28



Castiø 13.23.A.29

Ferrari Giovanni) i altro
851 Altro di
Ferrari Rodolfo
857



IOANNIS
FERRARII MONTA
ni adnotationes in IIII. insti
tutionum Iustiniani
libros.





EXCVDEBATVR LVGDVNI
ANNO 1536

ILLVSTRIS. PRINCIPI PHILIPPO, HESSIAE

Lantgrauio, Comiti in Catzenelnpogen, in Dietz, Ziegenhain, & Nidda, perpetuo studiosorum Mecoenati, Io. Ferrarius Montanus, Felicitatem.



EMPORVM *uicißitudinē quoties cōsydero Illustrißime idemq; Maxime Princeps, non facile occurrunt, quæ communem hominū uitam præsentioribus insidiarum procellis expositā habuerint, atq; hæc nostra omnium corruptißima, si quidem reipublicæ statum utcūque, & quasi per transennam contemplatus fuero, confestim me uidere arbitror atq; introspicere, specus aliquod subterraneum adeoq; atrum, quale Socrates apud Platonem effingit, in quo mortales neq; ulla eruditione compositi, neq; ulla legum ratione discreti, inciuilem planè uitā degentes, ut sua quenq; libido rapit, inuicem grassantur, usque adeo magistratus dum uel securus in utramuis aurem dormit, uel quod priuatum est publico anteponit, nullam, uel, si aliqua est, saltem obscuram reipublicæ faciem, eamq; indies deteriorem, & magis deploratam nobis relinquit, à quibus tenebris fore existimem, ut aliquando cælestem lucem cōspecturi, dignis modis eriperemur.*

ubi solem ipsum, hoc est, rectiores literas ad unius hominis salutem diuinitus comparatas, non ita detrectaremus, enimuero honestum, & quod in communem hominum societatem expositum sit, qui ignorat, inhonestum atq; inutile diligat, amplectaturq; oportet, prudentiam nanq; post habet eius ciuitatis, quæ legibus instructa esse debet, reginam, sola eruditione comparabilem, quod ipsum & Aegyptios aduertisse olim uideo, quando reges suos, ubi iam patrijs cum literis, tum moribus probe educati essent, etiam solos eruditos à latere habere uoluerunt, quibus cum semper uersarentur, & rerum administrationem quasi communem partirent. Vnde & Platonis illud uerbum haud incelebre promanasse, quis credat, Rempublicam ante felicem non futuram quàm uel sapientiæ studiosi ciuitatibus imperitarēt, uel Reges legitimam sapientiæ operam nauarent? hoc siquidem uno fieri posse, ut regnis in tuto collatis, Principes non tanta armatorum satellitum frequentia opus habeant, sed magis hominum beneuolentia (quam optimi magistratus & proram & puppim Periander Corinthius prudenter dixit) atq; amore stipentur. Neq; literarum subsidia quibus in publicam utilitatem bonæ indolis iuuenes erudiri queāt, nostræ ætati prorsus abesse uidemus. Nam pietatis studium quàm feliciter sese obtulerit, etiam multis toties, sed frustra reclamantibus, is compertū habet, qui aliqua eius dulcedine oblectari desuper accepit. Ius ciuile ab Gothica barbarie qua iam quingentis plus annis captiuum tenetur, quasi postliminio rediens pristinum illum nitorem paulatim uindicare pergit. Medicus ad pro-

fessionis

fessionis fontem, Graeca nimirum exemplaria recurrit, ut eos praetercam, qui remotius secedere, & si quid eius rei gemmis, radicibus, herbis & id genus alijs occultum insit, perscrutari non cessant, quibus si linguarum cognitionem, reliquarumq; disciplinarum Encyclopaediam adiunxeris, nemo certe est, nisi omni pistillo retusior, qui non breui fore arbitretur, ut & Musas ipsas, si non ipsi, posteritas tamen nostra sit uisura, eatenus hoc seculum defunctorie modo expensum bonā futurarum rerum faciem nobis ostendit. Cum uero propius rei adcesserimus, & quod intus nutrit parumper simus intuiti, inuenire est, & hanc felicitatis partem Aten suam, & praesentem insidiarum caussam offendisse, idq; adeo, ut nisi soli & tui quàm simillimi Principes studiorū Mecoenates hoc quicquid est rei literariae reliquum, in portum receperint, postremo periclitaturū, nam pingues illi purpurati (ut uulgi interim obliuiscar) qui rerum summam suis duntaxat humeris, perinde atq; Atlanti caelum, incumbere persuasum habent, huic instituto quàm sit iniqui, multorum animi argumentum praebent, manifestius quàm quod reipublicae admodū sit profuturū, & nescio, qua nam caeli inclementia iam olim quoq; fiat, ut nōnulli quamprimū in Principū aulis uino semel atq; iterū probe sint inebriati, nihil non post se contemnant, nihil nō utilius impēdi, toties Mecoenatibus etiam inuitis occinant, eo quod in optimarum disciplinarum studia erogatur, pro nihilo habentes Harpyiae se multis sestertiorū millibus pro importunitate uix semel exaui posse, tantū abest ut uel unquam saturentur, tolerabilius profecto malū, si id bellum ab ijs

ſolum indiceretur, qui cum ipſi neq; natare neque literas ſciant, reliquos ſui ſimillimos eſſe uelint, & non etiam ab ijs quos in eruditorum albo haberi, nihil obſcure permittimus, eos tametſi profeßionis cauſſa literas ſic apertis conuitijs inceſſere non ſinat, illam tamen morum intemperantiam præ ſe ferunt, qua non modo ſe ipſos deſpectos reddunt, uerumetiam literas, quas ob id non admodum ingenue profitentur, male audire paſſim cogunt: porrò inter pleroſque ſcripturarum interpretes (niſi ſacratißimarum rerum profinatores quis dicere malit) quàm conueniat, non tam morum inſolentia, quàm ſectæ illæ docent, quas indies nouas diſſeminare non uerentur, nulla quidem ſcripturarum anchora innitentes, ſed ſola animi inconſtantia qua dum nec ſibi ipſis admodum conſtant, ſemper aliquid noui moliuntur, idq; ad cuiuſuis ſomnij ludificationem, pro oraculis Delphicis uerioribus, toties magni uenditam. Cui malo iuriſperitos noſtros non admodum obnoxios eſſe uidemus, ut quibus cum religione tantopere non ſit negocium, ſiue hoc primæua uitæ inſtitutione, qua ſtatim pietati terga dare pleriq; etiam uulgo exiſtimantur, ſiue ſingulari ſuperum adſpectu id obueniat, non ſtatim, pronunciarim, ſed alia ex parte peccatur, multi enim lucro, cuius odorem ex re quauis bonum eſſe prædicant, uſque eò inhiare non erubeſcunt, ut dum cauſſam ſuam quamlibet iniquam, & præcipitio proximam ſolo diuerticulorum præſidio ſuffulcire, & utcunque tueri laborant, ius alterius ex confeſſo præualens modis omnibus obſcurare, aut in uniuerſum premere,

etiam

etiam sibi laudi ducăt, quasi uero iuris sacerdotes (sic enim iurisconsulto uocantur) esse aut possint, aut debeant qui alterum lædere iuxta æstimant, atq; clientem iuuare, sanè ueteribus illis iuris professoribus, quã turpe hoc fuisset etiam nulla pietatis religione initiatis, sciũt quibus ueterum libros uel parum uidere contigit, nobis ne liceat, præsertim qui Christiani esse uolumus (utinam nõ falso) uiderint qui lucrum religione antiquius habent, ut reliquas imposturarum technas ueteratoribus illis immodice frequẽtatas interim prætereamus. Medicinarum architecti, præter hoc quod simultatibus laborant, promittunt sæpenumero plus quàm præstare detur, tolerabiliores si non essent, qui nullibi pedem figẽtes circulatorum instar sacram artem, per oppida, perq; agros prostituere, contemptibilemq; facere ausint: de bonarum literarum professoribus, satius esset tacere, quàm uel pauca referre, ut quibus cum & nobis nonnihil cõmune esse putamus (modo aliquid esse putes, non quidem Musas ipsas, sed uix bicipitẽ Parnasum protinus conspexisse) proinde quàm difficile sit inter amicos pronũciare, testis est Bias Prienæus, Græciæ sapientibus adnumeratus, quando ijs modis alterum ex amico inimicum fieri, non semel fuerit compertum, sed quod & hanc difficultatem suiq; deq; habemus, communis rei literariæ conditio facit, quam nos ipsi, nisi alia ingrediamur uia, deploratam propediem reddemus. Nam & apud ueteres, sed Ethnicos, æmulationis studium inter eruditos fuisse Hesiodus autor est, sed in hoc tolerabile, quod pro temporis simplicitate minus impudens esset, nobis uero

qui Christi nomẽ profitemur, utinã tam digni, quam nobis persuademus, quanto minus tale quidquàm licet, tãto insolentiores ultro citroq; sumus, non cessantes, donec omnia conuulsa ruinam ipsam minitentur, idq; si non corruptißimo uitæ instituto, tamẽ illis nostris moribus tam effrenatis, ut potius in media barbarie, quàm inter literas educatos nos aliquis credat, quod tunc in propatulo magis erit, si fructum inuidiæ morumq; testem ob oculos posuerimus, eum scilicet quod secundum nisi multis tragœdijs delassati uix patimur, tantum aberit, ut uel parẽ admittamus unquam, quod tot inuectiuarum modis alter alterius nomen non secus atq; fabulam prostituit, deniq; quod non semel ob unius uerbuli uoculationem, nõ æquè inuicem obseruatam, cælum terris miscemus, & posthabita scholari adeoq; modesta collatione, ad uera arma perinde atq; furijs agitati rapimur, nõ cogitantes quidnam pietati, quid præterea musarum mãsuetudini debeamus, & nihilominus bonas literas docemus, quasi uero doceat, qui eam uitæ insolẽtiam præ se fert, qualem in tota uita puerum uix semel uidisse conuenit, tam periculosum est ab ineunte statim ætate etiam a præceptore imbibisse, quæ omnia si oculis non conniuentibus introspexeris, obuium erit, quam mali plerique possesßores rem omnium præclarißimã occupemus, cui si purpuratorum insidias, cæli inclemẽtiam, & communem omnium inuidiam addiderimus, nõ est, quod impendio miremur, liberales disciplinas male audire, & nisi pacatiori eruditionis modo reformentur, magis quàm à Gothicis temporibus internectioni propinquas esse, sed cũ rem optimam,

eo quòd

ro quòd male detinetur,ut Plato disserit,odisse non debemus,sed quomodo uindicari poterit,diu noctuq; inuigilare. Illud tunc fieri existimarim,si iuuentus statim à teneris unguiculis cum optimæ uitæ,tum rectæ institutionis fundamenta iecerit,plurimũ enim intererit quibus artibus & quibus hãc tu moribus instituas:hinc enim nemo dubitare debet,quin egressuri sint,ceu ex equo Troiano, qui ad rempublicam nati, rebus patriæ bene gerendis quàm felicißime adcommodari queant,ad quod cum ius ciuile unice expositum uideam(nam reliqua morum præcepta in umbra hactenus & apud scholas fermè cõsenuerunt) & Institutiones quibus ad hoc aditus paratur,partim antiquatas,partim breuitate sua laborãtes, proinde commẽtarijs magis doctis quàm puris perplexiores, quã ut iuueniles animi illis statim inuolui debeãt,eas adnotationibus parumper illustrare,tyronibusq; comparabiles facere constitui,an feliciter pronuncient, qui rei literariæ ex animo bene consultum uelint,nam alijs qui ad omnia nisi quæstionũ mæãdris perinde atq; Sorites Chrysippei,sint intricata,neq; ipsis sæpenumero peruia,nauseare solent,illud Socratis respõdere in animum sumpsi, qui cum diuitiores quosdam ad cœnulam nõ oppidò instructam uocasset,& Xanthippen modici apparatus nõ nihil puderet,bono animo(inquit)esto,si quidẽ modesti erunt quos uocaui.frugi mensam nequaquã aspernabuntur,sin uero intemperantis sint stomachi.nihil curæ nobis erunt.Iuuentuti enim scribimus,quã optimis statim & uitæ & literarum primordijs imbuẽdã etiam Quintilianus cẽset,reliquos ad parem,sed magis cõpositum,

laborem inuitantes. Cæterum quòd à Commentatoribus alicubi dißidemus, nõ eo existimes fieri, quod procerum illorum autoritatẽ omnino peßundatam esse uelim, nam probius in conferendis legibus sunt meriti, quàm ut sic temere conuelli debeant, sed in hoc, uti mactus uirtute puer iudicium autoribus adhibere persuasui, quod ex ijs cognitu sit dignum exosculetur, in reliquis autem homines, qui oberrare poterint, esse condiscat. Et cum tua Celsitudo ut ad hoc studij genus me quandoq; adcingerem iusserit, huiusmodi adnotationum qualiacunq; collectanea, eius primitias, sub te Principe in publicum prodire, & utcunq; periculum inter bonos facere operæpretiũ esse duxi, ut qui nihil, quod ad pietatis atq; literarum studiũ attinet uindicari desinis, hoc quoq; laboris acceptum habeas. Vale perpetuum literarum præsidium, ex Mapurgo tuo, Calendis Martijs.

M. D. XXXII.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

Imperator Cæsar Flauius Iustinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Atticus, Slauonicus, Vandalicus, Africanus, Pius, Felix, Inclytus, uictor ac triumphator.



LA. Val. Iustinianus qui nõ tam Imperio orbis feliciter reparãdo, quàm sacrosanctis legibus in numerũ cogẽdis animũ admouit, primus eius nõis inter Augustos fuit, Iustini maioris ex sorore nepos, à quo & adoptatus & Imperij cõsors atque Cæsar factus est, anno ab instaurata salute supra quingentesimũ uicesimo nono, Vnde est quod Iustinũ patrẽ suũ appellat, infra. de dona. §. est & aliud. & quib. non est permißum facere testamentum. §. cæcus autem. Hic belli quomodo se habuerit non est præsentis loci, cum autores historiarum rerumq́; à Cæsaribus gestarum id affatim posteritati scriptum reliquerint: domi uero atque in toga quantus fuerit, indicio sunt Tribunianus,

nus, Theophilus, Dorotheus, Leontius, & id genus seculi illius proceres, quorum opera non modo in publicis priuatis'que rebus, uerum etiam in legum ciuilium Rhapsodijs componendis est usus, in hoc commendandus, quòd cũ ipse ἀναλφάβητος qualem Sudas scribit, & literarum rudis esset, eos tamen rebus gerendis & adhibuit & audiuit, qui & quod utile, quod denique honestum foret consulerent, & Principem ex bono meliorem, ex meliore optimum facere scirent, cuius nec ob id potest nomen inuolui, quod hæreseos à nonnullis insimulatur, siquidem in Euthiætis dogma corruit, sed ab Agapito Pontifice Maximo monitus Christianæ fidei cõfeßionem recepit, adeoq; syncæriter obtinuit, ut Principem fide Christianum, operibus rectum, iudicijs iustum, atque multis nominibus bonum, cum Paulo Diacono in XVIII. rerum Rhomanarum ad Eutropium libro appellare optimo iure poßis. Est & alius Iustinianus eius nominis secundus Imperator, quem ob id minorem uocant, Heraclianæ familiæ, Constantini filius, sub cuius temporibus VI. Synodus aduersum eos qui unam & operationem & uoluntatem in Christo esse, peruerse docebant, secũdo legitur congregata, iuxta c. habeo librum. dist. XVI. Vir in omnem auariciam expositus, contemptorq; pauperum: is ubi in hæresim Pelagianam esset collapsus, in multisq; Constantino Pont. Max. aduersaretur, ab Leontio Patricio, & Callinico Patriarcha imperio deturbatus, ad Chersonam relegatur, unde per Trebellium Bulgarorum regem restitutus, Tiberio qui Leontio successerat fugato, & Callinico luminibus priuato, tandem

Iustinianus minor.

tandem insania correptus, per Philippicum Bardanem & imperio & uita exuitur.

Praeterea Iustinianus noster quia multis uarijsq; nominibus nō solū hoc loci, sed etiam passim per frontispicia librorum ciuilis iuris scribitur (in quibus si commētatores tantum uariarent, & non etiam statim in portu (ut dicitur) impingerent, susq; deq; ferendum arbitrarer) ne ignoremus, quod pueri sciunt, monendi sumus.

Imperatorem ueteri & Romana consuetudine dictum qui aliquot millibus externorū hostium prostratis optimum militiae suae exemplum dedisset, apud Ciceronem in Philippicis, & primum ab Senatu, deinde ab exercitu appellabatur, idq; Senatu non detrectante, unde & Augusti nomen adcessisse uidetur, cui si lectus displicuisset, alium legere autoritatem habebat, argumento etiam literarum quas Gordianus pater quando cum filio ab Afris Augustus esset appellatus, ad Senatum dedit in haec uerba inuitum me P.C. iuuenes quibus Africa tuenda commissa est, ad imperium uocarunt, sed intuitu uestri necessitatem libens sustinco, uestrum est existimare quid uelitis, nam ego usq; ad Senatus iudicium incertus, & uarius fluctuabo. Haud dissimiliter Maximino, qui primus è militari corpore & nondum senator, autore Capitolino, ab exercitu augustali diademate decoratus erat, profligando, Senatus, tribus uiris, Decio Clodio Balbino Maximo, Pupieno, & Gordiano paruulo annos uix XIII. egresso, Imperium orbis decreuit, ex quo factum existimarim ut Imperatores per militem adeoq; absentes delecti, imagines suas, Romam transmiserint

Imperator.

Augustus.

Maximinus e militari corpore Imperator.

ſerint, non ſecus atq; ipſos coràm approbandas, ſicuti Conſtantium, Galeriumq; feciſſe hiſtorici tradunt. Habes quomodo Imperatoris appellatio modo apud P. C. modo apud exercitum, ut fortunæ uidebatur, fuerit: ſed ne & hoc perpetuum exiſtimes, aduertendum eſt, Imperatores ipſos & auguſtæ maieſtatis uiros, quandoq; alios ſibi in Imperium ſucceſſuros deſignaſſe, quemadmodum Iuſtinus ille maior Principem noſtrum Iuſtinianum Imperij conſortem atq; Cæſarem fecit.

Cæſares. Cæſares à Iulio Cæſare ex Iuliorũ familia adeoq; gentilitio nomine ſic uocato, appellantur, quorum primum, quod ex matris utero fuerat cæſus, Plinius cognominatũ putat, cum tamen uerius Cæſones ſint, autore Pompeio, qui ſic exciduntur, & Cæſares proprie quia primus eius familiæ cum cæſarie natus progrediebatur, dicimus: non nulli à Cæſo Elephanto, quem Perſæ Cæſum uocant. Porrò Cæſares, ut Spartianus in Aelio Seuero teſtatur, ſunt quaſi principum quidam filij, & deſignati auguſtæ maieſtatis hæredes, quapropter & Iuſtinianus Cæſar eſt, utpote Iuſtino adoptatus, & imperij conſors, hoc eſt, Cæſar factus, & non ab Auguſto, uel quòd ex matris utero fuerit cæſus, ſicuti interpres ſomniat. Vnde facile cognoſces quid ſibi notæ illæ literarum atq; multæ aliæ eius generis, in Codice Iuſtinaneo uelint, Imperatores Diocletianus, & Maximianus A A. & C.i. Auguſti & Cæſar, nam uterq; Auguſtus fuit, ſed Maximianus tantum Cæſar, quem Diocletianus tãdẽ belli neceßitatibus adactus, ex Cæſare Auguſtum fecit, Diocletianus uero Cæſar, hoc eſt, Imperij conſors non fuit, ſed ſtatim exercitus de Perſide

Cæſares quaſi principũ filij.

fide uictor rediens, ubi Carum Augustũ fulmine, Numerianum Cæsarem insidijs perijsse compertum haberet, ipsum Imperatorẽ creauit, proĩde, Imperator Cæsar Flauius Iustinianus, scribitur, utroq; nomine ab augusta dignitate accepto, inter quæ primũ est Imperatoris uel Augusti, ab Senatu proficiscens, secũdum uero Cæsaris, hoc est, designati ad augustam maiestatẽ hæredis, ex quo fit ut Augustus proprie sit cui summa in rebus gerendis au toritas obtigit: Cæsar uero qui iam quidem administrat, sed ad Augusti nutum. Sed quemadmodum ab hac propria uerborum significatione itum est, ut modo Cæsarem dicamus Augustum, & rursus Augustum Cæsaris nomine, & utrunque imperatorem, ita ab antiqua illa atque ancipiti Imperatoris deligendi consuetudine, in rationem longe constatißimam est peruentum.

Differunt Imperator & Cæsar.

Leo enim III I.Pont. Max. cum uideret Imperatores Constantinopolitanos ægre id nomen tueri, ac ob eam rem urbem atq; Italiam deploratam ferme fieri, imperio à Græcis (ut cuius sedes hactenus apud Byzantiũ, à Constantini cognomento magni, tẽporibus fuerat) ad Germànos translato (quãquàm sint qui hoc Stephano II. Pont. Max. adscribant, sed præter annalium fidem) Carolum magnũ imperatorẽ decernit, diademateq; donat, ter adclamante populo Romano, Carolo Augusto à deo coronato magno, & pacifico Imperatori uita & uictoria.

Imperiũ a Grecis in Germanos.

In hunc modum diadema Augustum penes Germanos remanens, cœpit quasi hæreditariũ esse, & aliquando segnes potius quàm strenuos Principes adipisci. Quare Gregorius eius nominis V. Rom. Pontifex, quo stabilius

bilius Imperium foret, sanctionem fecit, Otone III. qui tunc rerum potiebatur, adnuēte: ut solis Germanis Principibus, ijs maxime, qui ob id electores uocantur, Romani Regis diligēdi, Cæsaris'ue designādi, autoritas incumberet, quem si Romanus Pontifex, confirmasset inunxisset́q;, Imperator Cæsaŕq; salutaretur, eam sanctionē posteriores principes, præsertim Carolus IIII. non modo approbarunt, uerumetiam auxerunt, & quo ordine id fieri debeat luculentißime constituerunt. Ex quo apparet eum quē uetustiores Cæsarem dixerint, nos Regem, & rursus quem illi Imperatorem, nos Cæsarem compellare: uerum plura de cæsare designando uidere est apud Iacobum Aluaroti in usus feudales, super titulo, Quis dicatur dux, Comes uel Marchio.

Rex Romanorū per Germaniæ principes.

Flauius.

Flauius prænomē est more Romano, non à Flauijs deuictis, ceu Accursius in Pandectarum proœmium hallucinatur, sed à Flauiorum familia, ex qua fuit oriūdus, deriuatum, quæ non solum Iustinianum, sed & alios retro Principes imperio dedit, quales fuere Vespasianus, Titus, & Domitianus autore Tranquillo.

Iustinianus.

Iustinianus nomine primitus indito, adeoq; proprio dicitur, ad imitationē Iustini patris, nisi me fallat opinio, nomēclatione à iure originata. Pius, inter alia, est qui erga suos, nō secus q̃ parens erga liberos, paternū adeoq; officiosum gerit animū, quod cognomenti Antoninus Boionius à Senatu primū accepit, quòd Princeps natura clemētißimus nihil tpibus suis asperū facere præsumpsit, præter hoc quod pacis studiosissimus erat, eò usq; ut Scipionis sententiā, autore Capitolino, subinde in ore haberet,

Pius.

ret, qua ille dicebat, Malle se unum ciuem seruare, quàm mille hostes occidere. Verbum neutiquam indignũ, quod Principibus multis occineretur, præ ijs, quorum utinam soli prætentores duntaxat & Perilli experimenta senti rent, & non etiam innoxij, quorum sanguinem fudisse ut impium est, ita principi, animo quãuis crudeli, non admit tendum. Porrò Iustinianus ut populum sibi arctius deuin ciret, & se quasi patrem patriæ ostenderet, pius quoque cognominari uoluit, cuius uocis & Constitutio mentionẽ facit, in auten. ut liberti decætero. §. facimus. colla. VI. Perilli.

Felix, eò quòd multa feliciter, & non sine fortunæ suc cessu domiq; belliq; gesserit. Poëta, Felix.

Viuite felices quibus est fortuna peracta
Iam sua.

Enimuero, persuasum habent & fortunã imperiũ nonni hil iuuare, cui Iulius Cæsar quantũ tribuerit, argumento est, quòd nautæ, per quẽ modica cymba traducebatur, sæ uientibus undis perterrito, dixerat, Noli timere, hac ego manu fortunã fero, quo factũ ut post eum Cæsares & for tunæ signum simul atq; diademate decorati essent accipe rent, sic fore rati, ut felicius sint imperaturi. Fortunæ signũ

Spartianus in Seuero, fortunam deinde regiam quæ co mitari principes, & in cubiculis poni solebat, geminare statuerat, ut sacratißimũ simulachrũ utriq; relinqueret filiorũ. Proinde Iustinianus noster fatali iã morbo adfe ctus, Iustinum ex filia nepotem, Cæsarem fecit, caputq; diademate ornauit, & fauentis fortunæ signum in cubicu lum illius transferri iußit.

Triumphatorem dicimus, quia bis triũphauit, de Per sis ui Triumphator.

Vandali. sis u'deliact & Vandalis, vandali enim populus Europæ septetrionalis, omniũ ferocißimus, cum Africã annis iam centum & quinq; occupassent, iuxta l.1.C.de offi. præfe. præto. Africæ. per Imperatorem nostrum duce Belizario (nam quod ipse manu sua gesserit, non admodũ inuenio) superati sunt, & Africa imperio restituta, præter hoc, quod Persas quoq; qui transgreßis limitibus Mesopotamiã, Cœlesyriã, atq; Syriã prædati sunt, prælio fudit, & de utrisq; tandem triũphauit. Ad rem etiã quod adtinet, triumphum à folijs ficorũ, quæ θρία uocãtur, quibus Bacchi eius inuentoris, milites, post Indicam uictoriã uultus cooperuisse ferũt, atq; ab Iambis quos accinere originari uolunt, quare Græci θριαμβὸν dicũt alij ἐκ τῶν τρίων, hoc est, tribus, tamẽ satis remote, ueluti ordinibus, puta Senatorio, populari, & militũ, quibus triumphus ut magis conspicuus, celebriorq; reddi soleat, nam confecto bello, & hostibus deuictis, duces exercitus, quibus triũphus per Senatũ decretus esset, inaurato curru, quẽ IIII. equi albi trahebant, insidentes, Romã inuehebãtur, capite primum laurea, post deinde aurea corona redimito, captiuisq; catenatis currũ præcedentibus, quo modo, Senatu, populoq; Ro. & militari ordine præeuntibus, ad Iouis Opt. Max. templũ, quod in Capitolio erat, ascẽdebatur, unde immolato tauro albo, uotisq; si qua suscepta essent, peractis, domum triũphans reducebatur. Atqui ne ob qualemcũq; uictoriæ successum quiuis triũphare statim in animũ sumeret, lege statutũ erat, nulli nisi quinq; hostium millia una acie cecidissent, triumphũ decernendũ, nõ enim numero, sed gloria triumphorũ, excelsius urbis futurũ decus, Romani

Triumphus.

Triumphus quõ habebatur

Leges triũphales.

nani arbitrabantur, quare oportebat Imperatores prius quàm triũphus decerneretur, & hostiũ in acie occisorũ, et amissorũ ciuiũ numerum literis ad Senatũ referre, Plebiscitoq;, quod L. Mario, & M. Catone Trib. Pleb. rogatũ est, iubebãtur simul atq; urbẽ ingreßi, protinus apud Quæstores Vrbanos iurare, se uera de utroque numero ad Senatum scripsisse. Præterea lege sancitũ erat, ut pro aucto tantum imperio, & non pro recuperatis quæ imperij quondam fuissent, triumpharetur: sic Q. Fuluius, & L. Opimius, quia Capuam & Fregellas solum recuperauerant, triumphare nõ sunt permißi, reliqua apud Blondum uidere est in x. triumphantis Romæ libro.

Reliqua nomina Iustinianus à deuictis gentibus obtinuit ad ueterũ Romanorũ imaginem, quibus deuicti hostes non semel cognomenta dedere, quemadmodum Scipio Africanus, Metelli, alter Numidicus, alter uero Macedonicus, atq; alij alijs cognominibus sunt appellati, idipsum adprobante Senatu uti argumento est locus ille apud Trãquillum de Claudij Cæsaris patre Druso, olim decimo, mox prænomine Nerone, cui Senatus, cum post res præclare in Germania gestas supremum diem in æstiuis castris obijsset, inter alios honores etiam Germanici cognomen adsciuit, uerba Trãquilli ita se habent: Præterea Senatus inter alia cõplura, marmoreũ arcum cũ tropheis, uia Appia decreuit, & Germanici cognomẽ ipsi, posterisq; eius. Sed postmodum augescente Principũ autoritate, sibi quisque sine delectu atque ut collibitum esset, posthabito Senatus decreto cognomentum arripiebat, sic Spartianus de Antonino Caracallo. Non ab re est etiam diasyrticum

Drusus Germanicus.

quoddam in eum addere dictum, nam cum Germanici, & Parthici, & Arabici, & Alemanici nomen adscriberet, nam Alemanorum gentem deuicerat, Heluius Pertinax, filius Pertinacis, dicitur ioco dixisse, adde si placet, etiam Geticus maximus, quod Getam occiderat fratrem, & Gothæ, Getæ dicerẽtur, quos ille dum ad Orientem transit, tumultuarijs prælijs deuicerat.

Imperatoriam Maiestatem &c.

E*Xpositurus Imperator iuris ciuilis elementa, ne protinus nulla habita præfatiõe, &* ἀνίπτοις πόσι *(quod aiunt) rem adgredi uideatur, hanc Epistolam præfationis loco præponere operæpretium duxit, sic fore ratus ut cupida legum iuuentus, & principalem operam boni consulat, & ad institutionum ciuilium prælectionem libẽtius inuitetur, in qua refert, Principem tam armis decoratũ, quàm legibus instructum esse debere, his enim domi atq; in toga, illis uero belli tantum uti eum oportet: quo fit ut æque turpe sit Principi uiro, & ei qui* πολιτένεσθαι *ac in communi reipub. functione agere uolet, ius in quo uersatur ignorare, atque arma, in quo si utrunq; desideratur, nec optimos quosq; habeat, quos dum bene monent, exaudiat, quibus cum commune sit imperium, haud alium dicere ausim, quàm uel puerum illum regem, quem Propheta interminatur, uel malum pupillum, qui cum ipse omniũ sit inutilissimus, etiam homines reipub. neq; necessarios, neq; utiles per aulam pascit, uentres puto, atq; harpyias nihil non insumentes, nominante eum hac uoce Alexandro Seuero apud Lampridium.*

Princeps & armis & legibus instructus esse debet.

Malus princeps, malus pupillus.

Prætrea Imperatoris esse diximus, etiam legum curam

ram sustinere docet quo modo post diualium constitutionum libros, & pandectarum compositas leges, augustis suasionibus Institutiones ciuilis prudentiæ per Tribunianum, Theophilum, & Dorotheum maximos illius seculi uiros, ex uarijs antiquorũ commentarijs, præsertim Caij illius, sint congestæ, atq; in IIII. libros partitæ, quas & ipse perlectas recognorit, & non minus atque reliquas Principum constitutiones autoritatis habere iusserit. Postremo legum suarum studium non modo iuuentuti commendat, uerum etiam ubi se eruditam ostenderit, præmia laborem deuoratura, optimus Princeps pro liberalitate sua pollicetur, præsertim functiones publicas ipsi ex parte credendas.

Omnes uero populi &c.

LEges promulgatas uocat, quas ipse edidit atque inuulgauit, nam promulgari aliquid appellamus, quod primo in publicum editum prouulgatur, autore Festo, Tranquillus in Cæsare, Romani ueteres suas leges ex iure x.uirali promulgatas, atq; in æs incisas in ærarium condebant. Compositas uero, quas retro Principes & iureconsulti ediderunt, sed ipse in ordinem coëgit, nam componere inter alia, est confusanea & ea quæ minus cohærent, aut pugnant rescißis superfluis digerere, consonaq; reddere. Proinde quia operam suam in ueterum legibus componendis, suisq; promulgãdis Iustinianus nobis unice commendat, operæpretium facturus uideor, si de iuris Romani origine paulo altius, et quasi ab auo (ut dicitur) sermonem sumpsero.

Promulgari.

Componere.

Et quidem in initio ciuitatis Romanæ (ut Pomponij

De origine iuris ciuilis.



uerbis loquar) populus sine certa lege primum agere instituit, omniaq; manu ab Regibus *μοναρχίαν tenentibus gubernabatur, cum aucta ad aliquem modum ciuitate* Romulus *populum in treis tribus, et rursus singulas tribus in* x. *curias diuisit, ex quibus per lectorem curiatim accersitis, leges nonnullas rogauit, quas ob id curiatas* Cicero *in de legibus appellat, ex quibus sunt, si* Plutarcho *&* Halicarnasseo *credimus, de mulieribus quæ uinum bibissent, supplicium sumito, uxor marito in bonis succedito, filius quandiu uixerit in patris potestate maneto, Marito uxorem repudiare liberum esto. Tulerunt & leges qui post* Romulum *rerum potiti sunt, puta* Numa Pompilius, Tullus *Hostilius,* Ancus Martius, Tarquinius Priscus, *&* Seruius Tullius, *quas similiter apud ueteres scriptores ex parte inuenies, & omnes in uniuersum* Sext. Papirius *compositas, memoriæ posterorum commendauit.*

Leges curiatæ.

Sext. Papirius

Deinde exacto Tarquinio, *qui superbus ob iusticiæ cõtemptum cognominatus est, regium nomen tam exosum populo fieri occepit, ut etiam leges ab retro principibus latas, exoleri* Tribunitia *rogatione placuerit, cœpitq; populus* Roma. *iterum incerto magis iure, & consuetudinario uti, quàm lege scripta. Sed cum hominum instituta, nisi publica autoritate firmentur, uariare soleant, atque ad uulgi libidinem fluctuare, uisum est ciuitatem certis legibus fundari, eisq; aliunde à Græcis, qui reliquis terrarum gentibus, longe & eruditione & sapientia antecedebant, petitis: sic fore rati, ut ἀριστοκρατία in quam iurauerant, stabilior esset atque magis perpetua futura.* Tres igitur legati Athenas *sunt missi, qui inclytas leges*

Regię leges exoletæ.

Solo

Solonis scriptas ferrent, iura etiam & mores aliarum ciuitatum maxime Lacedæmoniorum noscerent. Hi fuere Sp. Posthumius Albus, Aul. Manilius, & P. Sulpitius Camerinus, qui tertio quàm recesserant anno, leges uti ab Atheniensibus ipsas interim susceperāt scriptas, moresq; ciuitatum, populo referunt, quibus censendis conscribendisq; xuiri constituuntur, qui suo arbitratu conscriptas, pro rostris in Comitijs centuriatis promulgarent, atque exponerent. xuiri fuere, Appius Claudius Sabinus, T. L. Benutius, P. Sestius Vaticanus, P. Oratius Puluillus, T. Veturius, C. Iulius Tullus, Aul. Manlius, P. Sulpitius, T. Romulus, & Sp. Posthumius Albus, qui primo anno x. tabulas (quas nonnulli eburneas fuisse putant) edunt, quibus, cum nonnihil deesse atque adhuc leges aliquot desyderari aduertunt, sequenti anno II adijciuntur, sed per alios xuiros excepto App. Claudio, qui cum magistratum iam prorogauit, apud Liuium in III. ab urb. cond. Ciceronem in I. de oratore, & L. Fenestellam: & illæ sunt leges XII. tabularum nobis à tot retro seculis commendatæ, quas alij xurales uocant, tāti apud populum habitæ, ut in æs incisas, (Atheniensium exemplo, qui & Solonis leges æri commendarūt) quo magis æternæ essent, in ærariū cōdi iuberet, ne' ue memoria posteritatis exciderent, pueris ediscēdæ proponebātur, de quibus Cicero ī persona L. Crassi sic testatur: Fremāt oēs licet, dicā quod sentio, bibliothecas (me hercle) unus mihi uidetur XII. tabularū libellus, si qs legū fontes, & capita uiderit, & autoritatis pondere, ut ubertatis utilitate supare. Vbi obiter silētio

Legati qui leges ab Athen. tulerunt.

Leges. xij. tabularum.

b 4 præter

Pomponius *prætereūdum non est, Pomponius iureconsultus quā sit lapsus in .l.ij .ff.de orig.iuris, quando scribit xuiros constitutos, per quos peterentur leges à Græcis ciuitatibus, cū sint à III. tantum uiris ad hoc legatis petitæ atque adlatæ, & tandem per xuiros compositæ.*

Atqui leges illæ XII.tab. quia breuißimis uerbis complexæ habebantur, foroq; disputationes (ut non æque ab omnibus intellectæ) progenerabāt, factū est ut interpre= Xuiratus explosus. *tationem desiderare inciperent, nam xuiratus, cui eas interpretari solum fas erat: iam olim ob Appij Claudij dominationē uindicias Virginio postulanti, secundū libertatem non cedentis, fuerat explosus, quare prudentū autoritatem interuenire non ab re fore existimatū est, qui leges XII.tabul. cum interpretarentur, tum responsis suis illustrarent, qui legū (inquit Cicero) cōsuetudinisq; eius, cuius priuatim in ciuitate usus esset, & ad respondēdum, & ad agendum, & ad cauendum periti essent, cuiusmodi fuere Appius Cæcus, P. Nasica, Q. Mutius, Tiberius Coruncanus, Sex. Aelius, P. Attilius, M. Portius Cato, P. Mutius, Seruius Sulpitius, Q. Tubero Pāsæ auditor, M. Tul=* Iuris prudētes. *lius Cicero, L. Crassus, & id genus prudētes, omnes quidem iurisperitorū eloquentißimi, & eloquentißimorum iurisperitißimi, ut paßim uidere est apud Ciceronem præ multis unū, atq; locupletißimū testē, in de oratore, ī Bruto, & alijs sexcētis locis. Et hoc ius ex Prudētū interpretatione, atq; respōsis introductū, cōmuni appellatiōe Ius* Ius ciuile unde *ciuile uocitabatur, quo nomine nos totū ius Ro. quo utimur appellamus, quorsum spectat, Paragraphus, Responsa prudentum, inferius, de iure natu. gentium, & ciuili, qui*

uili,qui in hoc aduertendus est,quòd nisi caute expendatur,indicare uidetur,Prudentibus iura publice enarranda à Cæsare dumtaxat permißum esse,cũ antiquitus, & dudum ante Cæsarem.nempe rerũ summa penes COSS. *existente,& interpretandi,& respondendi de iure, munus à Senatu,populoq́; Romano fuerat datum. Præterea P.Scipioni Nasicæ,qui optimus a Senatu & coraelũ appellatus est,publicæ domus in sacra uia data erat, autore Tullio,quo facilius & consuli,& respondere posset.*

Nasica optimus.

Aeditis sic XII *.tabu.legibus iureq́; ciuili ex Prudentum interpretatione,atq; responsis introducto,ne quiuis ut sibi uideretur lege ageret,scientiamq́; longe sacratißimam sine modo prophanaret,placuit foro etiamnum modum præstitui, & legis actiones componi, idq́; præscriptis & solennibus uerbis, quæ in tantam deuenerunt superstitionem,ut ad meram uerborum seruitutem (uti Fabius inquit) à Philosophorum consuetudine inductam, res sit connoluta,usq; adeo,ut si quis uno uerbulo errasset,atq; ex præscripto id non obseruasset, à tota caderet caussa, cui syllabarum aucupio quamlibet prouidus, uix terga dare poterat,nisi insignis esset ueterator,atq; formularum architectus ad forum cõsenuisset.Cuius & Cicero in* I.*de oratore meminit.in hanc sententiam, Quod Iurisconsultus,absq; oratoria per se nihil aliud sit,nisi leguleius quidam cautus, & acutus præco actionum,cautor formularum,& aucæps syllabarum, ubi interpres(bone deus) quàm insulso errore,anceps quasi ex syllabis ambiguitas euenire soleat, pro aucæps legit, in quem eò facilius quisq; prolabi poterit, quò minus loci cognitionem*

Legis actiones

Aucupium syllabarum.

Locus Ciceronis.

habet, quem tractat. Porrò legis actiones atq; formulæ ad Pontifices concessere, qui cum ius ciuile inter sacra, ceremoniasq; deorum abditum haberent, obtinendæ atq; augendæ potentiæ suæ caussa, peruulgari artem noluerunt, nec contenti hoc, sed etiam igni stipulam addentes, statuerunt, ut qui legis actionem, tametsi suis uerbis, concepisset, nisi eam quoq; à Pontifice impetrasset, & id præscriptis, solennibusq; modis, adhuc caussam amitteret. Sic enim Pontifices quibus diebus singulæ actionum dandæ, ex libris quos fastos dicunt, respondebant.

Ius ciuile apud Pontifices.

Impetrandæ actiones.

Cumq; Popul. Roma. iam multis annis occulta illa actionum dinundinatiõe circunscriptus, atque diuexatus esset, & Appius Claudius eas composuisset, ordinemq; habere fecisset, Cneus Flauius Annio libertino patre genitus, eius scriba, librum illum subreptum, populo tradidit, & nundinatoribus utcunque iratis, diuulgandæ sciẽtiæ copiam fecit, tanta populi gratificatione, ut Aedilis Curulis fieret, non sine ingenti nobilitatis indignatione, atque ex eodem ius ciuile Flauianum dixere. Scribunt de hac re affatim Liuius in IX. ab urbe condi. Cicero in I. de oratore, Valerius Maxi. lib. II. Aulus Gellius lib. VI. capitu. IX. & rursus Cicero in oratione pro Murana, sub his uerbis: Posset agi lege, nec' ne, pauci quondam sciebant, Fastos enim uulgo non habebant, erant in magna potentia qui consulebantur, à quibus etiam dies tanquam à Chaldæis petebantur, inuentus est Scriba quidam Cn. Flauius, qui cornicum oculos confixerit, & singulis diebus ediscendos fastos proposuerit, & ab ipsis cautis Iurisconsultis, eorum scientiam compilarit, itaq; irati illi quod

Flauius scriba, prodidit actiones.

Ius Flauianum.

quod sunt ueriti, ne dierum ratione peruulgata, & co-gnita siue sua opera lege posset agi, notas quasdam com-posuerũt, ut omnibus in rebus ipsi interessent. Ex quibus *facile cognosces neminem ciuili prudentiæ tam inuisum fuisse, atque eos quos præpositos habuit. nàm cum scien-tiam ab eis iam compilatam, & ne diutius in occulto sit, luci expositam cognouissent, ne adhuc directo tramite adiri posset, notas quasdam adspergere collibuit, qui-bus obscurata ab ipsis tantum peteretur.* Porrò notas *illas signa tantum fuisse non ab omnibus statim intel-lecta, haud ægre credo, quarum usum in iure ciuili post diu, præter hoc quod hodie quoque nonnihil haben-tur, obtinuisse Iustinianus in.* j. *C. de ueteri iure enucl. testis est, quando inhibet, textum sacri Codicis per ca-ptiones signorum & compendiosa ænigmata conscri-bi. Sunt qui notas illas ad prima uocum elementa re-ferre ausint, quales uisuntur in iudicio recuperatorio* Q. E. R. E. T. P. I. R. D. T. Q. P. D. T. D. D. P. F. *hoc est, Quanti ea res erit, tantæ pecuniæ iudicium recupe ratorium dabo, testibusq́; publice duntaxat decem denun ciandi potestatem facio. Nam recuperatorij iudicij apud ueteres hæc fermè ratio erat, ut si dolo malo iudi-cium fuisset habitum, tres iudices adhibebantur qui re-cuperandæ caussæ ergô, recuperatores uocabantur, ut quorum iudicio atque æstimatione omne illatum dam-num pensitaretur. Aulus Gellius pro iniurijs quoque adserendis, recuperatores constitutos scribit.* In uete-*rum quoque nummis, uarias literarum notas multoties comperies, cuiusmodi sunt,* A. A. A. F. F. *quibus signi*

Notæ iuris.

Notæ Cæsarũ.

significatur, ut Crinitus autumat, Aere, argento, auro, flãdo, ferendo. Cæterum de pluribus est deprehendere in Commentario Val. Probi, de notis Cæsarianis. Iulius quoq; Cæsar notas transposito literarum ordine usurpare consueuit, præsertim in Epistolis ad familiares de domesticis, ut autor est Tranquillus, in quibus si quæ occultius perferẽda erant, per notas scripsit, id est, sic structo literarum ordine, ut nullum uerbum effici posset, quæ si quis inuestigare & persequi uellet, quartam elementorum literam, id est, d, pro a. & perinde reliquas commutet. Paulus quoque & Vlpianus, notas in Papiniani corpus fecerũt, quibus ceu Aristarchi uirgula, errata eius denotare uoluere, quas Theodosius & Valentinianus AA. quia autoritati tanti uiri non sic detrahendum existimabant, infirmandas statuerunt. Similiter & alij iuris commentatorum in alios notas scripserunt, ut Claudius Triphonius in Serbidium Scæuolam, Marcellus in Iulianum, & rursus in Marcellum Aelius Martianus. Sanè actiones uerborum formulæ insidiosæ in Constantinum usq; Principem perdurarunt, qui cum optimum arbitratus esset, res ipsas proponi, & uerba non periclitari, ut cum Cicerone loquar, illam uerborum seruitutem, & iuris formulas aucupatione syllabarum insidiantes, eliminauit atq; è foro sustulit, est in II. Codicis libro, de formulis, & impetrationibus actionum sublatis, & factum, ut singulas actionum, quantum fieri potest, suis nominibus distinctas, nominatasq; habeamus

Notæ in Papinianum.

Actionum formulæ sublatæ.

Præterea plebe cum patribus ob fœneratorum, ut quidam uolunt, impotentiam, in discordiam diducta, atq; in

sacrum montem secedente, Tribuni, quorum magistratum sacrosanctum aduersum COSS. *esse placuit, nouas leges plebem rogarunt, quæ ob id* Plebiscita *dicuntur, Ciceroni, leges* Tribuniciæ *in* III. *de legib.* & Priuilegia *in oratione, pro P. Sextio, quod idem Gellius in* x. *lib. capi.* xx. *sentit. alij rogationes.* Ad *plebiscita pertinent, lex* Falcidia, *lex* Aquilia, *lex* Stolonis *quæ est etiã,* Agri plus quinquaginta iugera nemo poßideto. Item *lex* Genutia *qua fœnus inhibitum est.* Item *lex* Oppia. Ne *mulieres superfluo ornatu uterentur, neq; plus semuncia auri ad exornandum corpus impenderent, & id genus rogationes quibus Patricij non ante tenebantur quam* Q. Hortensius *dictator lege lata statuisset,* Eo *iure, quod à plebe fuisset rogatum, ut omnes* Quirites *tenerentur. apud* Aulum Gellium, *libro* xv. *cap.* XVII. Plebiscita.

Deinde *cum plebs propter magnam hominum frequẽtiam coire facile non posset, omniumq; minime uniuersus populus, ad Senatum iuris statuendi ratio peruenit, qui quicquid cauisset, rogante Consule, pro lege obseruatum est, & dicebatur Senatusconsultum, à* COS. *interrogantis nomine, appellationem obtinens,* Cuiusmodi *est.* S.C. Trebellianum, Pegasianum, Velleianum, Orficianum, *cum alijs in corpore iuris tractatis.* Nonnunquam *promiscue fiunt sanctiones, utroque nomine &* Plebisciti & S.Consulti *inscriptæ, eam forte ob caussam, quod antiquitus* Sena.*consf. non promulgabantur nisi per* Tribunos *plebis examinata essent atq; subscripta. quale fertur ad* Rubiconem *amnem in marmorea columna extare.* Iussu, *mandatu'ue* P.R. *commilito armate, quisquis es manipularis'ue,* Senatusconsulta. Sanctio.

Centu

Centurio'ue, Turmæ'ue Legionariæ, hic sistito, uexillũ'ue
Rubicon. finito, nec citra hunc amnem Rubiconem signa, ductum, commeatum'ue traducito. Si quis huiusce iussionis ergô, aduersus præcepta ierit, fuerit'ue adiudicatus, esto P.R.H. ac si contra patriam arma tulerit, penatesq; è sacris penetralibus asportauerit. S. P. Q. R. Sanctio plebiscit, S. ue C.

Postmodum COSS. belli necessitate euocatis. Prætor creatus est primum urbanus, tum peregrinus, deinde adaucto ipsorum, pro rerum exigentia, numero, XVIII. esse cœperunt Prætores, qui ius in urbe dicerent, cuius quia summam autoritatem obtinebant, Ius quod ipsi sic statuissent, Edictum, & ex honore magistratus, Honorarium appellatũ est, utq; scirent homines de qua re quisq;
Edicta Prætorum. prætorũ ius esset dicturus, Edicta sua in tabulis dealbatis proponebant. quod Album dicimus. in Authen. de litigiosis. §. Iubemus. coll. VIII. quorsum locus spectat, Si quis Album prætoris corrupisset. quibus id quod Aediles Curules statuissent, quoq; adnumerari conuenit, ut iuris Honorarij portionem.

Postremo respublica Romana iterum ad μοναρχίαν rapitur, & in uno simul cum iuris condendi autoritate recumbit, qui odio regij nominis, non Rex, sed uel Imperator, uel sanctiori nomine Augustus appellatus. Iulius Cæsar, qui primus, post exactos reges, partamq; ciuitatis libertatem, rempublicam occupauit, ut dominatus suspicionem aboleret, dictatorem se fecit, atq; in eo μοναρχίας statu orbis imperium in hunc usque diem producitur,
Constitutiões. in quo, leges, si quas Principes promulgarunt, Constitutiones

tiones uocantur. Et cum unus, tot per imperium gerendis rebus, non bene sufficeret, admißi sunt, iterum Prudentes & iureconsulti, qui ius scriptum interpretarētur, atq; de eo responderent, aut Principibus responsuris suggererent. Vti Q. Mutius Augusti seculo, respondendi autoritatem obtinuit, Massurius Sabinus, qui Atteio successit, à Tiberio Cæsare, Caßius Longinus, à Nerone Claudio, qui eum postea luminibus priuatum, è uiuis excedere iußit, apud Tranquillum. fuerunt & Hadriani temporibus, Celsus pater, & Celsus filius, prætterea Neratius Priscus, & Saluius Iulianus, qui & post Hadrianū, Antonino Pio, in magna erat ueneratione, apud Spartianū, cuius notabilem illam sententiā fuisse Pomponius refert, Et si alterum pedem in sepulchro haberem, adhuc quidē discere uellem. Præter hos est L. Volusius Mætianus, sub quo Antonius, cognomento Philosophus, ciuili disciplinæ operā nauauit. Scrbidius Scæuola Antonino à consilijs, & Papiniani præceptor, ut autor est Iul. Capitolinus, qui subinde dicere solebat, Ius uigilātibus esse scriptū. Aemilius quoq; Papinianus, Seuero Septimio imperatori amicißimus, & per secundam uxorem adfinis, qui discipulos habuit, Lampridio autore, Domitium Vlpianum, Iulium Paulum, Pomponium, Alphenum, Aphricanum, Florentinum, Martianum, Callistratum, Hermogenem, Venuleium, Tryphonium, Mætianū, Celsum, Proculum, & Modestinum, omnes iuris peritißimos. Fuerunt & Q. Saturninus, Fabius Sabinus, Sex. Lydius, Macer, Arcadius, Rufinus, Papyrius Fronto, Antistius Labeo,

Iure consulti Principum temporibus.

Papiniani discipuli.

beo, Aristo, Arrianus, P. Furius Antianus, qui omnes ius ciuile & illustauerunt, & modis omnibus auxerunt.

Iam erat lex Xuirilis, seu XII. tabul. & ius ciuile, ex Prudentum responsis profectum, erant & legis actiones, Plebiscita, Senatusconsulta, Prætorum edicta, Principum constitutiones, & tot iurisperitorum, tot, adeoq; immensa iuris uolumina, quæ omnia uix percurrere soli homini datum fuit, tantum abest ut plene cognosceret, etiam longæuus: cui difficultati remedium positurus Imperator (id quod olim Pompeius magnus, & Iulius Cæsar, uterq; nisi bellis impeditus esset, facere in animum sumpsit,) cogitauit, quomoodo studium illud ciuile non minus necessarium, quàm antiquum, tot anfractibus inuium, tot Meandris perplexũ, ut citius quis Labyrinthi illusiones, quàm iuris Romani ambages fugitasset, peruium faceret hominumq; comparabile: ne, si ludificationibus illis nullus contingeret modus, & ius, amputatis quæ merant, aut inutiliter adspersa, aut iam olim antiquata, pristino nitori, atq; luci non fuerit restitutum, nemo tandem foret, præsertim in ea seculi ætate qua optimarum literarum studia paulatim decrescere, atq; ilia ducere cœperunt, qui iuris prudẽtiæ cognitionem aut admodum ambiret, aut se ad sequi posse, in animum duceret, imperiumq; orbis sacratißimis legibus fundatum, deficiẽtibus qui consulerentur, responderetq; ἄθεσ μομ καὶ τὸ ἄδικομ .i. sine legibus factũ atq; iniurium ex sola Principis manu, atq; hominum opinionibus inter semetipsas nunquam non dißidentibus infeliciter, & non diu duraturum, pendere cogeretur.

Difficultas iuris ciuilis.

Codex primus

Et principio sacratißimas Imperatorum Constitutiones,

nes,maxime eorum qui ab Hadriano,aut si mauis Antonino,cui Pio cognomentum esse diximus, in suam usque ætatem summam rerum gubernarunt (nam retro Principum sanctiones à Iulij Cæsaris temporibus in Hadrianũ ex Traiani consobrino genitum, nullæ fermè nobis supersunt,nisi uel ab Historicis,uel iureconsultis in Pandectarum libris ex parte referantur) in treis Codices,Gregorianum,Hermogenianum,& Theodosianum sparsas, et dissimilitudine intolerabili pugnantes,in unũ corpus digessit, idq; opera Tribuniani quæstoris, Dorothei, Theophili,& id genus doctissimorum hominum,& antecessorum suorũ(ita enim eos,quia Principẽ functionis ergò in publicum antecedebant,Iusq; ciuile in communibus scholis profitentur docebant,compellat) quẽ librum Imperatorio nomine,ut plus autoritatis apud mortales inuenire t iustinianeum Codicem,inscribi uoluit. Iustinianeus Codex primus.

Tum maximũ & planè desperatum opus adgrediẽs, immensa illa,& argumentosa ueteris Romanæ prudentiæ uolumina,ad leges XII.tabul.Plebiscita,Senatus consulta,Prætorũ edicta,Prudentiũ responsa,Principũ placita,atq; alia per iureconsultos iam olim scripta, quæ in duo millia librorũ,& tricies cẽtena millia uersuum propagata extensaq; habebantur,in quinquaginta libros digessit,recisis,quæ uel inuicem pugnabant, uel superflua, exautorata'ue essent,quos Digestorum seu Pandectarum libros inscripsit,quorũ Archetypũ olim Pisæ habebant, unde & Pisanam literam dicunt,sed hodie apud Florentinos ut Angelus Politianus in Miscellaneis scribit,custoditur,& non à decte,ut interpres somniat, nam δέκτωρ Libri Pandectarum. Pandectæ vnde.

c Græci

Græci medicum uocant, ſed ἀπὸ τοῦ πᾶν καὶ δέχομαι, *quod eſt totum, & contineo, quia, Pandectæ, uniuerſum ueteris prudentiæ ius promiſcue complectuntur, continentq́; latino uocabulo Digeſta. Gellius noctium libro* XII. *Tullius, inquit, Tyro Ciceronis libertus, libros de uarijs ac promiſcuis quæſtionibus compoſuit quos Græco uocabulo Pandectas, id eſt, promiſcua & omnimoda continētes libros inſcripſit, tanquam omne rerum ac doctrinarum genus continentes. Idem in ultimo libro, Sūt qui libros ſuos Pandectas, id eſt, omnium receptacula inſcripſerūt Deinde, ne ſtatim ab initio rudis et adhuc infirmus ſtudioſi animus multitudine, ac uarietate rerum oneratus, duorū alterū, aut ſtudia deſereret, aut incōparabili labore, ſæpe etiā cum ſtudiorum diffidentia: quæ non ſemel iuueniles animos concuſſit: ut ſerius ad id perueniret, quod ſi recta duceretur, maturius, nec tātis ſudoribus comparatum, adſequi potuiſſet leuiori uiæ, qua uti per compendium in ius ciuile adceſſus pateret: animum intendens ex ueterum monumentis, multisq́; commentarijs* IIII. *Inſtitutionum libros componi iuſſit, in quibus, præter hoc quòd ſunt totius legitimæ ſcientiæ elementa, breuiter expoſitum eſt, quicquid uel legum robur obtinet, uel principali emendatione exautoratum, in deſuctudinem abijt, argumento eorū quæ ſunt in Procemio Pandectarum. & C. de nouo codice faciendo, de Iuſtinianeo Codice confirmando. & de ueteri iure enucleando, l. j. & l. ij. reliqua prudens omitto.*

Inſtitutiones ciuiles.

Quibus peractis, partim diualium Conſtitutionum extra corpus Codicis, atq́; ſub dio uagari, partim earum

quæ

quæ Codici insertæ essent & sub tectum receptæ emendationem desyderare comperit, ne in hac etiam remediorum præsidia optimus Principum subtrahere uideri possit. Codicem illum primum reuideri statuit, & repetita prælectione, secundo, sed emendatius, componi: ita, si quid non receptum diuagaret, iam insereretur, aut emendandum, eliminandum'ue inesset, restitueretur, eliminaretur'ue. Et is est Codex, quem inter reliquos iuris libros, diurna nocturnaq; uersamus manu. Est in eodem libro, de emendatione Codicis Iustiniani, & secunda eius editione, & rotundioribus uerbis in l. meminimus. C. de legiti. hæred. quo factum est, ut in nostris Institutionibus Imperator non semel Constitutionum meminerit, quas in Codice suo extare refert, cum nihilo magis extent: certißimo indicio, quòd Codex ille cuius meminit, primus sit, cui huiusmodi sanctiones insertæ erant, quo tandem, & post Institutiones compositas sublato, secundus subrogatus est Codex, memoratas constitutiones non complectens. Codicis editio. Aduerte.

Nouißimo loco ius Autenticarum constitutionum, & ipsum Iustiniano autore in lucem prodijt, in id diligentißimo animo aduertendum, quod plerasq; leges tam Pandectarum quàm Codicis corrigit, & quid in foro obseruandum, indubitato sancit. testatur gloß. in uerbo, Congregationem, & uerbo, Nouellarum. C. de emendatione Codicis Iustinia. Sunt tamen qui eas Iustiniani nostri esse nolint, ducti legum ordine & longiori, & magis confusaneo, quàm reliquæ eius sanctiones habere, conspiciuntur, ut styli obliuiscar, quem aliquantum dißidere à Tri- Constitutiones Autenticæ.

 buniano

buniano earũ architecto haud ægre apparet. Sed Accurſius omnẽ nubem mouere, atq; diſautere intendẽs, Monacho cuidam Græco literioni hoc laboris adceptũ refert qui Imperatoris noſtri iuſſu, opus in manus ſumens, non potuerit pro loquacitate ſua, quæ inſignis erat, non, cum prolixas, tum loquaciſſimas quoq; & grecolatinas cõſtitutiones parere. Habes Rapſodias atq; Centones ueteris diſciplinæ, quos unus Iuſtiniauus, pro integris Voluſio, Papiniano, Caio, Iulio, paulo, vlpianõ, Sabinio, Labeone, Ariſtone, Antiano & ſexcẽtis alijs legũ proceribus, uiris ĩcõpabilibus, nobis obtrudi uolui, leuiori me hercle iniuria ſi interim & ipſi autores non eſſent extĩcti, ex quibus ἀντινομίαν illam & legũ diſsidentiam, ſi quæ in eſſe uidetur, facilius & ceu ex fontibus ipſis pacaremus. poteſt tñ fieri ut ueniam mercatur facti, qui nõ ut omnino optimi premerẽtur autores, id feciſſe uideri poteſt, ſed magis ut magnũ illud iuris mare tot ſcopulis, tot ſyrtibus atq; ſcyllis inuiũ, & fermè ob innumeras commentariorũ obſcuritates ludificationesq; quibus oppidò adulterabatur incognitũ, huiuſmodi modis tranabile, & homini expoſitũ faceret, quãobrẽ non contentus fuit, diſciplinã Romanã, ceu Augiæ ipſius ſtabulũ, repurgaſſe, ſed lege edita etiam cauit, ne ulli iuriſperitorũ in poſterum cõmẽtarijs eam augere, compendiumq; cõfundere ſint auſuri, niſi παράτιτλα, hoc eſt, Titulorum ſummas, quæ in Rubricas fieri ſolent, quales Azonis eſſe uidentur, addere uelint, quæ magis faciũt ut ſumma iuris titulatim innoteſcat, quàm ut fori diſputatiões, & anfractus uix uno atq; altero æuo comparabiles, rurſum ab inferis reuocentur.

Antinomia.

Commentarij ne legibus applicentur.

Iuſtinia

Iustinianus sic statuit: Nostram autem consummationem, quæ Deo adnuente componetur, digestorum seu Pandectarum nomen habere uolumus, nullis iurisperitis in posterum ausuris commentarios illi appliicare, & supradicti Codicis compendium confundere, quemadmodum & antiquis temporibus factum est, cum per contrarias interpretantium sententias, totum ius penè conturbatum est, sed sufficiat per indices tantummodo, & titulorum subtilitatem, quæ παράτιτλα *Græce dicuntur, quædam ad monitoria eius facere. ex quibus facile apparet, quàm uoluerit & Reipublicæ consulere, & studium ciuile egregie promouere: sed lusit operam Princeps optimus, & illud, cui tam diuinis suasionibus, quàm edicto promulgato toties obuiare conatus est, prò dolor, euenit, & posthabito edicto, totam rempublicam uinctam tenet: nam pro eloquentißimis simul atq; consultißimis legum proceribus, qui non minus Musas ipsas, & synceram Latinæ linguæ uetustatem, quàm ius ipsum ab inferis uindicauerint, nescio qua cæli iniquitate Azonem, Bosianum, Accursium, Dynum, Cynum, Bartolum, Baldum, Saliceutum, Fulgosium, & id genus, sexcentos plus minus exoticæ linguæ homines, durißima fori captiuitate, ferre cogamur, ut Diomedis hercle arma, & Glauci non dispari magis pretio æstimata sint, quibus multis unum præstare Papinianum, si integer extaret, facile mihi persuaserim: sed ferendum est interim, quòd mutare non potes, donec Iustinianus ab inferis, reuocatus ad superos, & hoc Commentatorum uulgus Aristarchi uirga notarit, legesq; à sentina illa defæcatas pristinam lucem synceritatemq;*

Constitutio Iustiniani.

Pro Papiniano Barbaros habemus.

temq; redhibere iusserit.

Non ab antiquis fabulis &c.

Fabula. *Fabula, ut Hermogenes in praeexercitamentis* Rheto*rices* Prisciano *interprete, tradit: Est oratio ficta ueri similis dispositione imaginem exhibēs ueritatis.* Ideo *autem hanc primam tradere pueris, solent* Oratores, *quia animos eorum adhuc molles ad meliores facile uias rite instituit, usi sunt ea tamen uetustissimi quoque autores, ut* Hesiodus, Archilochus, Horatius, Hesiodus *quidem* Lusciniae, Archilochus *autē uulpis, &* Horatius *muris, mendacem quidem esse uolunt fabulam, sed ad uitam utilem, nec non & uerisimilem. Est autem uerisimilis, si res quae subiectis accidunt, personis apte reddātur, ut puta, de pulchritudine quis certat, pauo supponatur, astutiā delineare cupis, & uulpecula subijcienda est: proinde aemulationem simia exprimere atque obumbrare solet: quia uero* Rhetores *inter exempla quoque fabulis utuntur, id quo commodius fieret, argumenta ficta & fabulosa, sed ut maxime fieri potest uerisimilia, tyronibus eius artis proponunt, eosq; exercent, praecipiente* Fabio, *in* III. *oratoria. institutionum, unde cum & iuris cognitio oratoriae sit accommodanda: ueteres iuris commentatores pueris exempla à fabulis sumpta tradebant, & eos haud dissimiliter ad umbratilem pugnam exerceri permittebant, sed cum & hoc institutum praeter quàm coeptum esset, cedere appareret, & iuuentus non ut primum iussa erat, fabulis praeluderet tantum, sed ad eas fermè tanquàm ad scopulos Sirenos consenescet, operae pretium uisum est, modum huic rei praescribere, & fabulis iuuentuti in posterum*

Fabula uerisimilis.

strum

strum non ita remoram facere, sed præstare in initio statim uera iuris elemēta capessere, nequaquam nebulis illis antiquis obūbrata, sed à principali opera profecta atq; ceu res habet exposita.

TITVLVS I.

De Iustitia & Iure.



VRA Pop. Rom. expositurus Imperator, à iusticia recto ordine principiū sumere mihi uidetur. Ius enim à iusticia ad pellatū est. Nā ut elegāter Celsus diffinit autore Vlpiano, Ius est ars boni & æq, Ius quid. *cuius merito quis nos sacerdotes adpellat: Iusticiam siquidē colimus, boni & æqui notitiā profitemur, æquum ab iniquo separātes, licitū ab illicito discernētes: bonos nō solū metu pœnarū, uerum præmiorū quoq; exhortatione efficere cupientes. Certe quòd boni sumus, ad nos quoq; redundare solet: quòd uero æqui, ad alterum tantum, id quod præcipuū iusticiæ munus est. Nā iusticia (inquit iu reconsultus) est constans & perpetua uoluntas, ius suum unicuiq; tribuēs: Enimuero quomodo ius suum cuiq; tri-* Iusticia quid. *buet, qui iusticiam iuris parentē atq; moderatricem neq; colit, neq; intus atq; in animo cōcepit? quamobrē Chrysippū recte fecisse arbitror, qui iusticiā nihil aliud putat quàm iniusticiæ priuationē. Aristoteles quoq; in v. librorum quos de moribus scripsit, iusticiā omnium uirtutum optimā, nec nō Hespero, Luciferoq; admirabiliorem propterea differit, quod ad aliud relata existit, atq; perficia-*

tur: potest p se quis fortis esse, potest magnanimus esse, tum in reliquis (id genus) uirtutibus conspicuus, sed iustus nemo erit, nisi in alterum, tribuendo ei quod suũ est: in quo omnis legum ratio, omnis æquitas nõ aliter quàm ad sacram anchoram & fundatur, & quiescit. Proinde *quãti iusticia apud ueteres sit habita, poëtæ ĩdicio sunt, qui (ut figmentis res palliare solent) deam esse fabulan-*
Iusticia dea. *tur* Δίκην *nomine, quæ* Ioui *patri adsidens, colentibus se optima quæq; polliceri, cõtemptoribus autem & inique agentibus, uiceuersa ultionem imprecari soleat.*

Hesiodus *in* Ἔργοις:

Ἡ δέ τε παρθένος ἐστὶ δίκη διὸς ἐκγεγαυῖα,
Κυδνή τ' αἰδοίη τε θεοῖς, οἳ ὄλυμπον ἔχουσιν.
Καί ῥ' ὁπότ' ἄν τίς μιν βλάπτῃ σκολιῶς ὀνοτάζων.
Αὐτίκα πὰρ διὶ πατρὶ καθεζομένη κρονίωνι,
Γηρύετ' ἀνθρώπων ἄδικον νόον, ὄφρ' ἀποτίσῃ
Δῆμος ἀτασθαλίας βασιλήων, οἳ λυγρὰ νοεῦντες.
Ἄλλῃ παρκλίνωσι δίκας σκολιῶς ἐνέποντες.

Et dea iusticia est, magno sata de Ioue uirgo,
Inclytaq;, & cælum quibus est, ueneranda deabus.
Hæc ubi iudicio rectum uiolaris iniquo,
Mox patri ad auius latus adsidet, ora resoluens,
Incusare scelus non desinit, impia regum
(Qui ius peruertunt, & credita regna profanant)
Ausa, luunt penas donec popularibus æquas.

De *ijs uero quibus iusticia cordi est idem poëta in hunc modum scribit:*

Οἱ δὲ δίκας ξείνοισι καὶ ἐνδήμοισι διδοῦσι
Ἰθείας καὶ μή τι παρεκβαίνουσι δικαίου,

Τοῖσι

Τοῖσι τέθηλε πόλις, λαοὶ δ' ἀνθεῦσιν ἐν αὐτῇ.
Εἰρήνη δ' ἀνὰ γῆν κουροτρόφος, οὐδέ ποτ' αὐτοῖς
Ἀργαλέον πόλεμον τεκμαίρεται εὐρύοπα Ζεύς,
Οὐδέ ποτ' ἰθυδίκαισι μετ' ἀνδράσι λιμὸς ὀπηδεῖ,
Οὐδ' ἄτη, θαλίῃς δὲ μεμηλότα ἔργα νέμονται,
Τοῖσι φέρει μὲν γαῖα πολὺν βίον, οὔρεσι δὲ δρῦς,
Ἄκρη μέν τε φέρει βαλάνους, μέσση δὲ μελίσσας,
Εἰροπόκοι δ' ὄιες μαλλοῖς καταβεβρίθασι,
Τίκτουσι δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσιν.
Ast ubi ius pariter ciuisq; hospesq; reportant,
Et sic quod rectum, & quod iustum est permanet æque,
Hic urbes florent, populus quoq; floret in ijsdem,
Pax est in terris altrix iuuenum, neq; triste,
Iuppiter immittit bellum, neq; fame perire
Indigenas patitur iustos, tum nulla per urbes
Noxa est, & mundis conuiuia rebus adornant.
Terra illis uictus multum fert, montibus ipsis,
Glandem summa tenet quercus, media insidet appum,
Melliferum examen, sub lana armenta laborant,
Et patribus similes emittit fœmina partus.

Viden' quomodo ueteres iusticiam absq; uindicta contemni, aut in transuersum agi, sibi persuasum nequaquã habuerint? & rursus quot commoda ipsius cultores sequantur. Quia uerò dea habita est, imagine quoque eius ueluti symbolo exprimere illud sunt conati, quod res ipsa præ se fert. Vnde Chrysippus Stoicus Philosophus imaginem iusticiæ facit, fieriq; solitã esse dicit à pictoribus, rhetoribusq; antiquioribus ad hunc fermè modum: Forma atque filo uirginali, adspectu uehementi & formida- Iusticię imago.

bili, luminibus oculorum acribus, neq; humilis, neq; atrocis, sed reuerendæ cuiusdam tristiciæ dignitate. Verba Chrysippi uti à Gellio in, XIIII. describuntur, quia elegantem sententiam habēt, & expositam omnibus ijs qui iudicādi officio defungi uolūt, hæc sunt, παρθένος δὲ εἶναι λέγεται κατὰ σύμβολον τοῦ ἀδιάφθορος εἶναι, καὶ μηδαμῶς ἐνδιδόναι τοῖς κακούργοις, μὴ δὲ προσίεσθαι, μήτε τοὺς ἐπιεικεῖς λόγους, μήτε παραίτησιν, καὶ δέησιν, μήτε κολακείαν, μήτε ἄλλο μηδὲν τῶν τοιούτων, οἷς ἀκολούθως καὶ σκυθρωπὴ γράφεται, καὶ συνεστηκὸς ἔχουσα τὸ πρόσωπον καὶ ἔντονον, καὶ δεδορκὸς βλέπουσα, ὥς τε τοῖς μὲν ἀδίκοις φόβον ἐμποιεῖν, τοῖς δὲ δικαίοις θάρσος, τοῖς μὲν ὡς πρὸς. φίλους ὄντος τοῦ τοιούτου προσώπου, τοῖς δὲ ἑτέροις, προσάντους. *Eorū talis fermè est sensus: Virgo esse dicitur, ut in symbolo est, īcorruptibilis, q̄ maleficis nihil concedat, nō blādos sermones, non excusationē, nō precationē, nō adsentationē, neq; uerò aliud quicquam talium admittēs, tristis deniq; & cōtracta fronte pingitur atq; intēta, adspectu præterea toruo, ut iniustis terrorē incutiat, iustis uerò cōfidētiā præbeat, huiusmodi nimirū uultu, qui tū aduersum amicos gratus, aduersum alios uerò sit formidabilis. Proīde (ut semel dicā) Iusticia est qua alteri facimus quod nobis quoq; fieri uolumus, cōstans & perpetua uirtus, ius uerò pro tēporis cōditione uariat, ac mutabile est, reipublicæ enim utilitatē respicit, cui modo hoc, modo illud, ut dicta fert, magis proficuū est, ī quo legislatori ante omnia considerandum, ne dum suæ reipublicæ utilitatem quærit, alteri sit detrimento, nā qui suæ rei tantum prospicit, & non item alterius, iustus nō est,*

Iusticia est constans.

Ius mutabile.

cum

cum iuris præcepta sint, unicuiq; quod suum est tribuere, atq; alterum non lædere. Et hoc est, quod pleriq; in Romanis desyderant, qui imperio atq; rei suæ iustißimis modis consuluisse opinati sunt, cum imperij sui fines solis armis, sola potētia atq; ui, per uniuersum orbē dilatassent, iuris rationem ordinemq; nō pluris quàm floccum facientes. Audi Lactantium Firmianum in VI. Institutionum diuinarum: Quantū autem à iusticia (inquit) recedat utilitas, Populus ipse Romanus docet, qui per feciales bella indicendo, & legitime iniurias faciendo, semperq; aliena cupiendo, rapiendoq;, possessionem sibi totius orbis comparauit: uerum ij se iustos putant, si nihil contra leges suas faciant, quod etiam timori adscribi potest. si præsentium pœnarum metu, sceleribus abstineant. Sed concedamus sane ut id natura, uel (ut ait Philosophus) sua sponte faciant, quod legibus facere coguntur, num idcirco iusti erunt qui parēt institutis hominum, qui aut ipsi errare, aut iniusti esse potuerunt? sicut illi XII. tabul. conditores, qui publicæ utilitati pro cōditione temporum seruierūt: aliud est igitur ciuile ius, quod ubique pro moribus uariatur, aliud uera iusticia, quam uniformem ac simplicem proposuit omnibus Deus. Ex quibus haud difficile apparet, iusticiam hanc nostram prorsus humanam esse, & positiuam partim natura homini inditam, partim ciuili ratione persuasam, qua alter alterius rationem habere monetur, illudq; appetere quod non tantum sit utile, sed etiam iustum, honestum, bonum & æquum, quæ una communem uitæ societatem parit, urbes'que moribus humanis format, ut sic affectibus interim cohibitis

Ius alterum lædi non patitur.

In Romanorū uim.

Iusticia humana.

morta

mortales etiam in hac carnis sarcina, irreprehenso uitæ genere conspiciantur. Augustinus in .x. de ciuitate Dei, *Iusticiæ, inquit, munus est, ius suum unicuiq; tribuere, unde fit in homine iustus quidam ordo naturæ, ut anima subdatur* Deo, *animæ caro, ac per hoc* Deo *anima ipsa & caro.*

Quare mihi uehementer errare uidetur Accursius *interpres quando hoc loci, & in .l.* Iusticia*.ff.eod.titu. de diuina illa iusticia intelligi opinatur, quicquid definit* Iureconsultus, *cum longè aliud sit iusticia diuina, quàm quòd in ipsis iureconsultorũ præceptis includatur.* Iustus *enim ex iusticiæ operibus subinde iteratis morali ratione efficitur.* Verum *ut iustus sit, ea nimirum iusticia, quæ desuper est, nulla hominis opera contingit, sed ex sola misericordia, ex sola gratia, quam* Deus Opt. Max. *adeoq; solus iustus, ijs confert, quos ab æternis temporibus ad hoc præuidit, atque delegit: qui unus quicquid donat, gratia est, quicquid facit, iustum est.* Vbi *rursum cõcidit interpretamentum illud* Glossatoris *nostri in* xx. Matthæi *caput, de operarijs in uineam conductis, qui nõ uult tamũ eum mercedis recepturum, qui nouißimo seculo in uinea illa cælestis patrisfamiliâs operatus decesserit, quantũ is qui in primo seculò meritus fuisset, sed magis ad misericordiã illam cælestem gratiamq; referendus est, qua* Deus Opt. Max. *unumquenq; siue sub horam matutinam, sextam, nonam, siue undecimam uenerit, pro uolũtate sua donat, remuneratq;, ut cui in rebus suis facere liceat, quicquid uult, quomodo unusquisq; tollit quod suum est, nec murmurãdi causam habet aduersus patremfamiliâs, cui omnia debemus, & ipse nobis nihil omnino.* Nam *si omnia fecerimus uti*

Accursius lapsus.

Locus Matthæi.

(uti D. Ioannes scribit) adhuc inutiles dicimur serui, usq; adeò gratia sumus, quicquid sumus, & non est uolentis neq; currentis, sed miserentis Dei. Quare sic infert Matthæus, οὕτως ἔσονται οἱ ἔσχατοι πρῶτοι, καὶ οἱ πρῶτοι ἔσχατοι· πολλοὶ γάρ εἰσιν κλητοί, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί, *hoc est, Sic nouißimi erũt primi, & primi nouißimi, multi enim sunt uocati, pauci uero electi.*

Præterea quod iusticiam in homine constantem et perpetuam uolũtatẽ esse inficias it interpres, pari modo fallitur cum iusticia, etiã Philosophis sentiẽtibus, nihil aliud sit quàm habitus sic animo hominis cõceptus, ut per eum dumtaxat quod iustum est, quod æquum, & optimo quoq; dignum, & uelit & operetur. Vnde leges in ciuitatẽ perferri, unde quicquid ad rerum siue publicarum, siue priuatarum utilitatem, humanamq; societatem pertinet, deriuari debet: utcunq; igitur fragilis sit homo atq; mutationi subinde expositus, habitum tamen illum, hoc est, constantem & perpetuam uoluntatem, unicuiq; ius suum tribuendi habere potest, quam nos iusticiam appellamus. Itaq; leges tametsi pro temporum conditione, pro terrarum exigentia aliæ, aliæq; perferantur, & interim uarient, iusticia tamen una manet, atq; est constans, qua monemur id cauere, quod est iustum, utile, & alteri minus graue, quæ omnia ut cognoscamus iuris prudentia docet, & Plato in 1. de Repub. libro erudite, ut omnia, differit. Habes igitur quid sit iusticia iuris propagatrix, & tandem ius ipsum, quæ ipse tantum indicare, & quasi per transennam demonstrare statui, ne parergis & minus necessarijs rebus iuuentus diutius suspendatur.

Iusticia cõstã

His

His igitur generaliter cognitis &c.

QVamobrem Institutiones perinde atq; totius legitimæ scientiæ incunabula primá'que elementa statim in initio exponi uoluerit, modis breuibus, ut omnia, tradit, sanè Institutiones in omnibus studijs primum uēdicare locum necesse est, quibus fit ut uestigijs mediocriter ostensis, maturius sæpe ad id perueniat iuuentus, ad quod aliâs cum magno labore uix serius perduci potuisset, ubi rursum monendi sumus, uerbum maturius, pro præproperè, & citius contra ipsius sententiam positum uideri, ex eo, quod serius habet contrarium. Cum maturius sit, quod neq; temporius est, neq; serius sed medium quoddam inter utrunq; & temperatum, ut P. Nigidius *scribit, autore* Gellio *lib.* x. *cap.* x I. *& bene, nam & in frugibus, atq; in pomis matura dicimus, quæ neque cruda & immitia sunt, neq; cadūca & præcociter decocta, sed tempore suo adulta, rectè usus est uerbo* Fab. Quintilianus *in* xII. *Institu. quando ait, Maturius consuluissem uires meas, quasi dixerit, si operis magnitudinem expendissem, non sic festinassem, sed procrastinato opere, quantū humeri & ingenij uires poßint, considerassem: quod uerbi temperamētum diuus Augustus duobus Græcis uerbis exprimebat: nam & dicere in sermonibus, & scribere in* Epistolis *(ut* Tranquillus *refert) solitum esse aiunt,* σπεῦδε βραδέως, *per quod monebat, ut ad rem agendam simul adhiberetur, & industriæ celeritas, & diligentiæ tarditas, ex quibus contraria sententia positis maturitas propagatur. Hinc maturare uerbum pro ex consulto facere atque adeo bene, quo &* Vergilius *in ea sententia usus*

Maturius.

Festina lente.

Maturare.

usus est, hoc carmine.

Frigidus agricolam si quando continet imber,
Multa forent, quæ mox cælo properanda sereno
Maturare datur.

In quem locum si quis animum intendat, duo ista uerba, maturare, & properare, non sunt planè contraria, ut Gellius opinatur, cum maturare non habeat extreme cōtrarium properare, uerum medium sit, inter properare & serius aliquid facere, sic in opere rustico multa sunt, quæ per tempestates, pluuiasq; maturè & exquisitius fieri poterunt, quæ cælo sereno forent properanda, atque obiter perficienda. Gellius lapsus.

Meminit huius uerbi etiam Macrobius in sexto librorum quos de Saturnalijs scripsit.

TITVLVS II.
De iure naturali gentium & ciuili.



RATIO iuris publici, quod ijsdem tabulis quibus ius priuatū descriptū cōtinebatur, partī ad sacra spectabat, ceremoniasq; deorum, ut est illud: Separatim nemo habessit deos ne'ue nouos, siue aduenas, nisi publice adscitos, priuatim colunto. Cōstructa à patribus delubra habēto, Lucos in agris habēto, & Larium sedes, Ritus familiæ, patriæq; seruāto. Partī sacerdotibus præscriptū erat, quorū duo genera existebāt, unū quod sacris, & deorū ceremonijs præerat: alterū quod interpretaretur incognita uatū fatidicorumq; effata: Et partim magistratibus, quale est, Iusta īperia sunto, ijsq; ciues modestè, ac sine recusatione Ius publicum.

satione parento, magistratus nec obedientem & nocuũ ciuem multa, uinculis uerberibusq; coërcento, ni par, maior'ue potestas, populus'ue prohibescit, ad quos prouocatio esto, in summa id iuris ad communem Reipub. statum inductum est, cuius mentionem facit Iureconsultus in l. j. ff. de iusticia & iure. Cicero in de legib. Item in oratione in pub. Clodium, & post eum Valerius Max. memorabilium lib. I. Verum Iurisconsultus illud Pontificum libris relinquens, eam iuris partem prosequitur, quam priuatã adpellamus, ea propter, quòd eius beneficio, quisque id adquirit, efficit'ue quod in suam est rem, & hoc modo in genere cõstituitur, ut singulæ legum formæ pluribus aut personis, aut rebus accõmodari poterint, disserit Aristoteles in V. Ethicorum libro, & est in l. iura. ff. de legi. & sena. & autent. de nuptijs. §. j. collat. iij. Et hæc pars deducitur in ius naturale, gentium, & ciuile, quæ omnia quãtum ad principia pertinet, tam docte exponuntur, ut commodius Athenis noctuas, quàm ijs uerbũ addideris, præter hoc unum, quod ius illud totum quo utimur, primitus Ius ciuile non dicebatur, sed postmodum loquendi usu sic recepto, nam ueteres illud ius proprie ciuile dixere, quod post leges xuirales ex interpretatione atque responsis prudentum esse cœpit, uti pomponius refert in l. ij. ff. de origine iuris.

Ius priuatum.

Ius ciuile quando.

Lex est &c.

I*Vris scripti, quod Aristoteles* τὸ νομικὸν *uocat, singulas parteis repetit, præsertim ea ratione qua ab origine censentur, ad usum siquidem quod pertinet nullum discrimen est inter legem, Plebiscitum, responsa pruden-*

tum

tum, constitutiones, & reliquas eius partes, quæ omnes ad æqui boni'que cognitionem faciunt, quare à communi legis significatione non abhorrent. Nam lex (inquit Papinianus) est commune præceptum, uirorum prudentum consultum, delictorum quæ sponte uel ignorantia contrahuntur coërtio, communis reipublicæ sponsio, cuius uirtus est imperare, uetare, permittere, & punire. Ex quibus collige, eam non tantum dici legem, quam populus rogante magistratu constituit, uerumetiam omne illud ius, ad quod ciuitates diriguntur, ad cuius præscriptum, omnes sociam uitam acturos sese formare par est, sic Cicero in III. de legib. Lex est, iustorum, iniustorumq; distinctio, ad illam antiquissimam, & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominũ diriguntur, quæ supplicio improbos afficiunt, & defendunt, & tuentur bonos. Pindarus quoque lyricorum facile princeps, in olympijs haud dissimile cantat, ὅτι γύ (inquiēs) πολὺ, καὶ πολλὰ ῥέπει, ὀρθᾷ διακρίνειν φρενὶ μὴ παρὰ καιρὸν δυσπαλές, τεθμὸς δέ τις ἀθανάτων. Vbi est multitudo, & plurimæ rerum se ingerunt, difficile est recta opportune dijudicare, sed legem immortalium desyderant: ueterum more immortalium legem appellans, ut cuius Plato nulla exordia fuisse scribit, sed deorum tantum munus. Itaque definitio qua legem omne præceptum esse, diximus, longo interuallo distat ab ea, quam institutiones nostræ habent, tantum abest ut sensu conueniant, quemadmodum interpres opinatus est. Nam Imperator legem eam solum describit, quæ à populo rogatur: quod iam olim ante ipsum Atteius quoq; Capito faciens, ut

Lex quid.

Differunt legis definitiones.

Gellius refert, Lex (inquit) est generale iussum populi, aut plebis, rogante magistratu. Et primum Romulus *leges suas, quas ob id Curiatas Cicero uocauit, ex Curijs popularibus rogauit, Tum xuiri leges quas in* XII.*tabulas referrent pro Rostis exposuere, deinde* COSS. *si quid iuris statuere uisum esset, populum rogabant, penes quem eius sanciendi delectus erat, quare recte* M.*Varro fecisse uidetur, quando legem à legendo deriuat, quasi ex pluribus statuendis sit lecta, ut una obseruetur. Præterea leges, partim ab ijs nomen adcepere, qui eas rogarunt uti lex* Scantinia, *quam* P.*Scantinius in puerorum concubitores statuit, & lex* Cornelia *in falsarios: partim ab eo cuius ergô sunt decretæ, cognominãtur, quemadmodum lex annaria, quæ annis modũ præstituit, quibus magistratus obeundi potestas esset, sic* Pompeium *cauisse* Plinius *ad* Traianum *refert, ne quis capiat magistratum, ne ue' sit in senatu minor* XXX. *annorũ, quem sequutum est deinde* Edictum D.*Augusti, quo permisit minores magistratus ab annis* II.*&* XX.*capere, uerum hodie id temporis ad* XXV.*annum est coarctatum, in l.ad rempublicam.ff.de munerib.& hono.l.sextũdecimũ.§.de minoribus quoq;. ff.de uaca.& excusa. munerum.& l.non tantum.§.neque enim. ff. de decur.* Item *lex sacrata, quam autore* Pompeio *sic dicunt, quod deorum alicui sanctum est, quicquid aduersus eam fecerit, uel quod plebs in monte sacro eam sciuerit, cuiusmodi est lex sacrata militaris, quam* M.*Valerius Coruinus dictator tulit,* Ne *militis scripti nomen, nisi ipso uolente, deleretur.* Insuper *est lex Satyra, quæ uno rogatu multa, uariaq; promiscue comprehendit.*

Lex unde.

Leges à quibus cognominantur.

Lex sacrata.

Lex Satyra,

uerbi gratia, Hostis cũ quo bellũ compositũ iri permittis oppida dedito, transfugas uniuersos reddito, exhibitisq; uadibus, pacis securitatẽ præstato, sic appellata ab Satyris qui greßum nõ figat, sed incertis uestigijs, ut sunt petulãtes, feruntur, atq; uariant, ut haud obscure colligit, qui animũ ad ea intendit, quæ sunt in. l. j. in prin. C. de latina liber. tollen. & c. satyra uero. dis. II. atq; in Epistola Pandectarũ procemiali. §. & primo quidẽ anno ubi non possum præterire silẽtio, inconsultã illã Ludouici Bolognini (si modo eius sunt quæ adnotãtur) audaciam, quãdo eo loci, qui est, Et quasi per Satyrã collectum. Vnus cornicum oculos cõfigere arbitratus, nõ satyrã sed potius saturam cõmentitio quodã inuẽto, legendum opinatur, ea propter, quòd Imperator opus illud suũ, ceu satura atq; ex multis bonis, ad saturitatẽ usq; collectũ, his uerbis commẽdauit, cum nihil minus ibi sit tractatũ, prӕter hoc, quod Satura uidelicet, eo in loco idẽ facit quod canis in balneo, tantum abest ut Bologninus aliquẽ eius sensum acceperit. Verum ita se habet. Quàm necessariũ fuerat ius ciuile repurgatũ iri, ex hoc palàm esse potest, quod antea primo quidẽ anno, hoc iuris opus discentibus exponebatur, quod promiscue, & ueluti per Satyrã collectũ, utile cũ inutilibus permixtũ, maxima tamen ex parte inutilia haberet. Postremo sunt qui leges Romanorũ trinũdinas uocant. Nã ut Rutilius scribit (autore Macrobio) & Moderatus in, de re rustica, Romani nũdinas, à nono die appellatas, instituere, ut octo quidẽ diebus in agris rustici opus facerent, nonò autem die intermisso rure, ad mercatum, legesq; accipiendas Romã uenirẽt, ut & scita, atq; consulta frequentiore

Bolognini insigne erratum.

Leges trinundinæ.

populo referrentur, quæ trinundino die proposita, à singulis atq; uniuersis facile pernoscebātur, unde etiam mos tractus, ut leges trinundino die, hoc est, singulis tribus nundinis, absoluerentur, primis enim nundinis atq; secundis, promulgabantur duntaxat, tertijs uero nundinis, publice ferebantur, ita demum sancitæ, ut ne amplius quidem intercedere liceret, id quod tamen in prioribus duabus nundinis fieri permissum erat.

Plebiſcitum eſt &c.

POst leges XII. *tabularum latas, plebs cum patribus in discordiam peruenit, secesſitq;, & ex Algido monte, iunctis legionibus ex Sabinis, in montem Auentinum est profecta, & tandem in mōtem sacrum transiuit, quōrsum & plebs urbana confestim se contulit, caussam secesſioni Virginium quendam præbuisse ferunt, in cuius familia Appius Claudius xuir uindicias secundum libertatem dicere noluit, tametsi ob fœneratorum impotentiam secesſionem hanc factam Liuius in* II. *lib. scriptum reliquit. Interea plebs ne patrum legibus semper obnoxia esse uideretur, sibi proprium ius constituere rogantibus tribunis, (quem & tunc magistratum sacrosanctum esse uoluit) in animum sumpsit, quod ex suo nomine Plebiscitum dici placuit, Græci* ψήφισμα *uocant, hoc ipsum Capito Atteius sic diffinit: Plebiscitum est lex quā plebs, non populus accipit: refert Gellius lib. x. cap. xx. Et Pompeius, Scita plebis appellantur, ea quæ plebs suo suffragio sine populo, iusſit, plebeio magistratu rogante, ubi uulgata exēplaria, sine patribus habent, sed falso, nam sine populo, esse debet. Plebiscita Cicero priuilegia appel*

Plebiſcitum.

Pompeij locus emaculatus.

appellauit, licet priuilegia proprie sunt quasi singulares leges de singulis conceptæ, quo significatu neq; plebiscita, neq; leges priuilegia dicẽtur, nam ueteres prius dixerunt, quæ nos singula. Priuilegia. *Præterea leges Tribunicias in* III. *de legib. eò quod per Tribunos rogantur, & in uniuersum rogationes proprie sunt, quotquot rogãtur leges siue ex populo id fiat, uti leges sunt, siue ex plebe, ut plebiscita, quibus tamen ante Patricij, non tenebantur, quàm Hortensius, rogata lege, eandem ipsis, quã legibus, autoritatem esse uoluit, in. l. ij. §. deinde cum esset. ff. de orig. iuris. de qua re Lælius quoq; Felix ad Q. Mutium, autore Gellio, in hæc uerba scribit: Tribuni autem neq; aduocant Patricios, neq; ad eos referre de re ulla possunt, ita ne leges quidem proprie, sed plebiscita appellantur, quæ Tribu. ple. ferentibus, accepta sunt. Quibus rogationibus ante, Patricij non tenebantur, donec Q. Hortensius dictator, eam legem tulit, ut eo iure, quod plebs statuisset omnes Quirites tenerentur. Proinde plebiscitum generale est iuris nomen atq; in legis appellationem trasfunditur, & ab eo nomẽ accipit, qui in sacrosancto magistratu constitutus illud rogauit, Cuiusmodi est, Lex Oppia, quã M. Oppius tulit, ne qua mulier ueste uarij coloris uteretur. Item lex Orchia qua conuiuis certus numerus præstituebatur, & ut patentibus ianuis cœnitaretur, eam C. Orchius Tribu. pleb. tulit. Item lex Atinia, ut eius rei quæ subrepta fuerit, æterna esset autoritas, nisi in potestatem eius cui subrepta fuerit, reuerteretur. Cuius mẽtio est in. l. sequitur. §. quod autem. ff. de usur. Et Gellij, lib.* XVII. *cap.* VII. *proinde leges Gracchorum de agris inter ege-*

Rogationes.

Q. Hortẽsius.

Plebiscita Tribunorũ nominibus vocãtur.

nos diuidendis, & lex falcidia, cum innumeris haud dißimilis farinæ legibus, quas Trib. ple. *tulerint, plebiscitis adnumerantur.*

Atqui in tantum Tribunorũ *magistratus adcreuit, ut etiam Senatus decreta minus autoritatis habere sint uisa, quæ non* Tribunorum *calculo essent promulgata, ueteri enim* Romanorũ *instituto, ut* Valerius *Max. in.* II. *memorabilium libro scribit,* Tribuni *plebis ante ualuas Curiæ, quam intrare non licebat, positis olim subsellijs, decreta Senatus examinare solebant, ex quo factum, ut antiquis illis Senatusconsultis* T, *litera suscripta uideatur, qua nota & Tribunos eadem censuisse significabatur.*

Tribuni S. C. subscribebant.

Senatusconsultum est &c.

P*Opulo* Romano *eatenus iam aucto ut sic facile & quantum res desyderabant, conuenire non posset, neceßitas curam* Reipubli. *ad pauciores, uidelicet Senatum perduxit, ille quicquid iuris constituisset, Senat.Cons. erat, nempe quod Senatus nihil decernere, nihil deniq; promulgare in animum induxit, quàm quod summa consiliorum maturitate examinatum ex re fore censuisset, quare ad aliquid statuendũ, præsertim in rebus ad exemplũ pertinentibus, non minus centũ senatores adfuisse, Liuius innuit. Cuius in* IX. *belli* Macedo. *uerba hæc sunt: Si quis tale sacrum (de* Bacchanalib. *loquitur) solenne et necessariũ duceret, nec sine religione ac piaculo dimittere posse, apud* Prætorẽ *ut profiteretur,* Prætor *Senatũ consuleret, si ei permissum esset, cũ in Senatu cẽtũ nõ minus essent, ita id sacrum faceret.* Quanquàm *Cornelius, Ciceronis tempori bus, legem tulisse dicitur, ne quis in senatu legibus solueretur*

Senat. Conf.

retur, nisi ducenti adfuissent decreti autores, id quod ad legum maiestatē constitutū uideri potest, quibus solui ali quem, & laborē, & opus haberet: Sed & Senatusconsultum ne fieret, intercedēdi, prohibēdi'ue ijs solis ius erat qui eadē potestate, qua ij, qui Senat.consj. facere uellent, maiores'ue eßēt, cuiusmodi fuere dictatores, COSS. Praetores, Tribuni Ple. Interrex, & Praefectus urbi. intercedebant tamē saepe Tribuni Pleb. autore Liuio, Cornelius Tacitus in XX. Historiarū libro, cum rogarēt sententias COSS. Volcatius Tertulinus Trib. Plebis, intercessit, ne quid super tāta re, Pricipe absente, statueretur. Proinde ne sine omni praestituto modo Sen.consf. faciēdi potestatē fuisse arbitris, ī ea maxime ciuitate, quā sanctißimis legibus formatā, etiā Solon ille fateri debeat, M. Varro scriptum reliquit, ut Aul. Gellius lib XIII. cap. VII. refert, Nisi in loco per Aug. constituto, quod templum appellaretur, Senat.consf. factum esset, iustum id non fuisse, propterea & in curia Hostilia, & in Pōpeia, & post in Iulia, cū profana ea loca fuissent, templa esse per Aug. constituta, ut in ijs Sen. Cōsf. more maiorū iusta fieri poßent.

Qui intercedere ne senatusco. fieret, poterant.

Locus faciendi Senat. Consf.

Post haec deinceps dicit, Senat. Consf. ante exortum, aut post occasum solem factum, ratum non fuisse, opus etiam censorium, id est, Censoribus animaduertendum, existimatos fecisse, per quos eo tempore Senatusf. Consf. factum esset. Neque Senatus habendi ius erat, nisi oblata prius hostia, sumptisq; auspicijs. Eoq; macto, de rebus diuinis ante referebatur, statuebaturq;, quàm humanis. Sed & uno die Senat. Consul. duo, uel plura fieri fas non erat, uti Capitolinus de Gordiano innuit. Hic

annum agens ætatis XIIII. statim raptus est, & nouo genere Senatusconsulti, cum eodem die Senatusconsultũ factũ esset, inductus in Curiam Cæsar est appellatus. Proinde Senatusconsultũ duobus modis fiebat: aut per discessionem si consentiretur, aut si res dubia esset, per singulorũ sentẽtias exquisitas, nam singulis senatoribus rogatis, atq; singula sentientibus, tandem illud recipiebatur, quod magis ex re uisum esset. Tametsi 'Atteius Capito, Tuberonẽ dicere ait, nullũ Senat. cons. fieri posse, nõ discæssione facta, & recte meo iudicio: cũ in omnibus Sen. cons. etiam in ijs, quæ per relationẽ fierẽt discæssio esset necessaria, quale enim foret Senat. cõs. ex singulari unius sententia factum, in cuius partẽ ne unus quidẽ, ex tot senatoribus, aliud atq; adeo diuersum sentiẽtibus, discæsserit. Porrò Senat. cons. per discessionẽ tũc proprie fiebat quãdo ab alterius sentẽtia discæssum, atq; in alterã itum esset: cuius Plinius Nouocomensis in VIII. Epistolarũ libro ad Aristonem Iureconsultum, hanc legem esse scribit: Qui hæc sentitis, in hanc partem, qui alia, omnes in illam partẽ, ite. Præterea ueteres noluerũt decreta tanto cõsiliorũ labore comparata, ita prostitui, ut cuiusuis manu passim conterantur, institutum est, ut Senat. cõsul. in Cereris ædem ad Aediles plebis deferrentur, quæ ante arbitrio COSS. (ut Liuius inquit) supprimebãtur nũciabanturq;, uerum postea ad ærarium delata sunt, ubi & leges xuirales in æs incisæ obseruabantur, autoribus Cicerone & Tranquillo. Proinde Senatus decreta non in uniuersum diuulgari cõueniebat, sed erant quæ premi satius fuit, donec explerentur, perinde & tutissimũ in expedition

Senatusc. per discessionem.

Discessiõis lex

Senatusconsul. In æde Cereris.

peditionibus creditur, (Autore Vegetio in tertio de re militari libro, capite sexto) facienda nesciri, ob hoc ueteres Minotaurum signum in legionibus habuerunt: ut quemadmodũ ille in intimo & secretißimo labyrintho abditus perhibetur, ita ducis consilium semper esset occultum. Et hæc Senatusconsulta tacita uocant, de quibus Iulius Capitolinus in Gordianis suis sic scribit: *Omnino exemplum Senatusconsulti taciti non aliud est hodie, quàm quod uestra clementia conuocatis ad interiora maioribus, & disponit quæ non sunt omnibus publicanda, de quibus adiurare etiam soletis, ne quis ante rem completam quicquàm uel audiat, uel intelligat, hoc autem apud ueteres neceßitates publicæ repererunt, ut si fortè aliqua uis ab hostibus immineret, quæq; uel cogeret humilia captare consilia, uel aliqua constituere, quæ non prius oporteret dici, quàm effici, uel si nollent ad amicos aliqua permanare, Senatusconsultum tacitum fieret, ita ut non Scribæ, non serui publici, non censuales illius actibus interessent, senatores exciperent, senatores omnium officia censualium, scribarumq; complerent, ne quid forte proderetur.*

Minotaurus signum militare.

Senatusconsulta tacita.

Proinde Senatusconsulta partim à Consule rogãte nomen accepere, ut Sen. consf. Velleianum, Trebellianũ, & id genus innumera. Partim ab ijs, quorũ caussa sint constituta, quale est Macedonianũ, quod parentibus prospicit, aduersum eos creditores, qui fœneratorijs technis, filijs familiâs uti liberius agunt, & perpotẽt, pecuniã mutuo dare non uerentur, à Macedone fœneratore, cuius alibi commeminisse locus ipse postulat. Insuper Heliogabalus

Senatuscõsulta à rogante Consule.

balus ille Romanorũ impuriſsimus Princeps, matris ſuæ Semiamiræ appellatione Senatuſcõſulta fecit ut noua, ita ridicula, quò mulierem quam unus Principum in Senatũ ad Conſulum ſubſellia uocare auſus fuit, etiã decreti perpetui inſcriptione orbi notam faceret, quare Senatuſconſulta mulicbria aut Semiamirana uocari iuſsit: de quibus Aelius Lampridius in Heliogabalo in hæc uerba ſcribit: Sed Semiamirana facta ſunt Senatuſconſulta ridicula de legibus matronalibus, quæ, quo ueſtitu incederet, quæ cui crederent, quæ ad cuius oſculum uenirent, quæ pilento, quæ equo ſaginario, quæ aſino ueheretur, quæ carpento mulari, quæ boum, quæ ſella ueheretur, quæ utrum pelliciono ſſea, an eborata, an argentata, & quæ aurum, uel gemmas in calciamentis haberent.

Senatuſconſulta mulicbria.

Sed & quod Principi placuit &c.

HActenus rerum ſumma ab exactis Regibus, annis plus CCCCLXXX. penès conſularem magiſtratum fuerat, donec Iulius Cæſar ingentis animi princeps Reipub. ſtatu euerſo, ad dominationem animum appulit, & ſimul imperium cum iuris ſtatuendi autoritate occupauit: alijsq́; poſt Principibus, ut ſoli dominarentur, feneſtram nõ ſine magna urbis calamitate, unus aperuit: quãuis & hic ſint, qui rem fuco obducere cupientes, Patrum conſulto id factum ſcribant, quaſi dilatato iam per uniuerſum orbem imperio, tot prouincijs Senatus cum proſpicere non potuerit, uiſum eſſet rempublicam per unum gubernari, ſentit Pomponius in l. ij. ff. de orig. iur. uerum hoc ita non eſſe, indicio eſt, cupido illa quam Iul. Cæſar ſtatim à prima ætate rapiendæ dominationis imbibit,

Iulius Cæſar.

quod

quod existimasse uidebatur (ut Tranquilli uerbis utar) & Cicero, scribens de officijs tertio libro, semper Cæsarem in ore habuisse eos in Phœnissis,

(Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρή, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν, τ᾽ ἄλλα δ᾽ εὐσεβεῖν χρεών.)

Euripidis uersus quos sic ipse conuertit:

Nam si uiolandum est ius, imperij gratia Ius Imperij gratia uiolandum.
Violandum est, alijs rebus pietatem colas.

Adde Pharsalicos campos, ubi appellatis de Republi. patribus, Pompeium magnum pro patria arma sumentem, per quatuor penè menses, maximis obsessum operibus, ad extremum prælio fudit, effugientem Alexandriam persecutus, neque contentus occisum deprehendisse, nisi Scipionem & Iubam, reliquias copiarum in Aphrica recolligentes, deuicisset, & Pompeij libros in Hispania: quæ ob id citius missum facimus, quod non historiam contexere, sed adnotatiunculas saltem in iuris primordia conscribere, nostri est propositi. Princeps igitur quicquid iuris constituit, siue hoc per epistolam rescripsit, siue est interlocutus, aut cognoscens respondit, edicto'ue præcepit, ut. C. de legib. Principũ cõstitu. & edictis, aliquot legibus uidere est. Legis uigorẽ obtinet, sanciente id regia Lex regia.
lege in hoc cõstituta, ut scribit Vlpianus in. l. j. ff. de constit. principũ. & Põponius in. l. ij. ff. de orig. iuris. quod ius modo constitutiones, modo placita Principum, rescripta, aut edicta appellamus. Neque de ijs legib. intelligendum uenit quas VII. illi ante consulare imperium reges tulere, à Sexto Papirio compositæ, sed eas tantum quas Iulius Cæsar, & post eum Principes constituerunt

runt: tametsi ex ijs quas Cæsar atque deinceps imperatores usq; in Antonium cognomento Pium, promulgarũt, nihil reliqui habeamus, exceptis ijs quas partim Latini scriptores, partim iureconsulti in Pandectarum libris, referunt, tum rescripta quæ D. Traiani nomine ad Plinium secundum in x. eius Epistolarũ lib. circunferuntur. Verum Constitutiones quæ ab Antonino Pio in Iustinianum eius nominis primum demanarunt, ante in Theodosiano, Gregoriano, & Hermogeniano Codicib. exponebantur, sed postmodum Iustinianus recisis superfluis in XII. sui Codicis libros, etiam cum suis constitutionibus eas coëgit, quibus nonnullæ adcessere, qualis etiam est Constitutio diui Federici, de priuilegijs scholarium, sub titulo Ne filius pro patre. Nouissimoq; librum Autenticarum nouellis atq; recentioribus legibus concinnatum diuulgauit. Præter has sunt aliquot sanctiones extra librorum iuris ciuilis contextum frequentatæ, quas ob id extrauaganteis appellant, qualis est Constitutio Lotharij, de feudo non alienando, & diui Federici, de pace tenenda, & de sacramentis puberum sponte factis non retractandis. Item de priuilegijs Ecclesiarum, Federici imperatoris eius nominis II. Item de maiestate læsa, deq; re bellic. edictũ Henrici VII. & rursus de pace Cõstantiæ, diuorum Federici imperatoris, & Henrici Romanorum regis VI. Cum nonnullis alijs principum sanctionib. publicis iuris libris, necdum adiunctis, sed quæ in Archiuis imperij in Reipub. usum conseruantur. Proinde iureconsultus diuales illas leges modo decisiones, modo pragmaticas sanctiones, modò constitutiones uocare consueuit,

Codex Theodosianus.

Constitutiones extrauagantes.

hoc

hoc tamen discrimine, quod decisionem eam intelligas im peratoris legem, qua partiũ altercationes diremptæ sunt, ut colligitur ex.l.ueteris.C.de contra.& committen. stipula. Decisio. *Pragmaticæ uero sanctiones, licet uulgo dicantur, quas principes extra corpus iuris ciuilis promulgarint, uerius tamen ea sunt, quæ priuilegia uocant, non quidem priuatis hominibus, sed ul' corpori alicuius uniuersitatis, uel ei, qui officio bene functus est conferuntur, uocatæ quasi negociales sanctiones, hoc est, quæ ob caussam publicam, aut communem negociorũ functionem in speciale quoddam priuilegium impertiri consueuerunt: quod is solum intelligit, qui Iustinianum nostrum planè expendit, cuius in de Iustinia. Codice confirmando, hæc sunt uerba: Si quæ uero pragmaticæ sanctiones quæ minime in eodem nostro Codice receptæ sunt, Ciuitatibus forte, uel corporibus, uel scholis, uel scrinijs, uel officijs, uel alicui personæ imperitæ sunt, eas (siquidem aliquod priuilegium speciali beneficio indulgẽt) omnimodo ratas manere, si uero pro certis capitulis factæ sunt, tũc tenere, si nulli nostri Codicis aduersantur Constitutioni, præcipimus. Item Zeno Imperator, in.l.fi.C.de diuersis rescriptis. Pragmaticas præterea sanctiones, non ad singulorum preces, super priuatis negocijs proferri, sed si quando corpus, aut schola, uel officium, uel curia, uel ciuitas, uel prouincia, uel quædam uniuersitas hominum ob caussam publicam fuderit preces, emanare decernimus, ut ijs etiã ueritatis quæstio reseruetur.* Pragmaticæ sanctiones.

At constitutio omnis in uniuersum lex est quam Princeps cõstituit, siue in corpore ea sit. siue extra corpus diualium Constitutio.

ualium sanctionum.§. postea uero.C. de emenda. Codicis Iustinia.& .l.leges.C.de legib.& const.princ. & edictis.

Prætorum quoq; edicta &c.

Cum iam bellis finitimis COSS.*auocarētur, ne in ciuitate desyderaretur qui ius diceret, Prætor inductus existimatur. Quāquàm Fenestella Liuiū æmulatus, hāc eius creādi caussam scribat: quod cū patres crebris ac diuturnis certaminibus uicti, alterū* COS.*è plebe creari cōceßissent, uice uersa, id ex plebis uolūtate obtinuere, ut unicus magistratus ex Patribus crearetur, qui ut alij à præessendo, secundū Varronem autē ab eo quod populo præiret, Prætor appellaretur. Is tandē ex eo quod ius inter urbanos diceret, Prætor urbanus appellatus est: tātæ autoritatis, ut penès unicum hunc Magistratū, omnis & publici & priuati iuris potestas fuerit cōstituta, præter hoc quod regia insignia, Cōsularesq; fermè apparatus, lictores sed nō amplius sex, sellā curulem, trabeam candidā, & cætera huiusmodi ornamēta. sibi tradita habuerit. Demū cū undiq; peregrinorū multitudo in urbē conflueret, neq; unus caussarū turbæ sufficeret, alter quoq; Prætor creatus est, qui quoniam inter peregrinos cognoscebat, Prætor peregrinus uocatus est, porrò augescēte imperio, & prætorū numerum auctum iri oportebat: quare Cornelius Sylla* IIII. *adiecit, deinde diuus Augustus* XVI. *prætores esse uoluit, quibus diuus Claudius.*II.*adiecit, Tiberius* I. *detraxit, quē diuus Nerua iterum adiecit, sed ut inter fiscum, & priuatos ius dicere: ita* X. & VIII. *prætores in urbe dicebāt. Verū Prætoris autoritati tantū honoris ergò adtributū est, ut ius illud quod edixisset, ius honorariū uocaretur*

Prætor creatus.

Prætor urbanus.

Prætor peregrinus.

XVIII. Prætores.

caretur, testis etiã l. ius autẽ. §. ius prætoriũ. ff. de iust. & iure. Et quia lex XII. tabul. breuissimis modis & pro tẽporũ cõditione emendandis cõprehensa erat, ita ut omnibus rerũ ambiguitatibus atq; emergẽtibus caussis sufficere non posset, Prætor partim naturali æquitate, partim Reip. utilitate psuasus, ius suũ introduxit, quo legẽ XII. tab. aut iuuaret, ut in cõmodato, aut suppleret, in eo qui metu perculsus, uel dolo malo circũuentus obnoxiũ se fecit, aut corrigeret, quod factũ est in emãcipatis, quos inter liberos ad bo. poss. uocat. Quare non immerito iurecõsultus in. l. nã & ipsum. ff. de iust. & iure. Ius prætoriũ uiuã ciuilis iuris uocẽ appellat. Vtq; scirẽt homines de qua re quisq; prætoriũ ius esset dicturus, Edicta illa sua in tabulis dealbatis publicæ cõspiciẽda, proponebãt, unde Albũ prætoris dicimus, in Autẽ. de litigiosis. §. iubemus. coll. VIII. quorsum & is locus cõferendus est, de eo qui albũ prætoris corruperit. Sed & Aediles Curules edicta proponebãt, quæ & ipsa iuris honorarij portio est, quibus prospiciebatur, publicis cloacis, aquæ ductibus, cæterisq; ædificiorũ ornamentis, quo lauta, mũda, integraq; & expedita per urbẽ ad seruarẽtur. Deniq; si seruũ quispiam, iumẽtum'ue, morbosum, aut uitiosum, pro integro, sanoq; uendiderit, edicto Aedilium emptori succurritur, præsertim exposita actione, quam ex eo Aedilitiam uocant, alibi per nos adnotatam. — *Viua uox iuris.* — *Albũ prætoris.* — *Edicta ædilitia.*

Exemplum Aedilitij edicti, ut Labeo scribit, teste Vlpiano, hoc est, Aiunt Aediles, qui mancipia uendunt, certiores faciant emptores, quid morbi, uitij'ue cuique sit, quis fugitiuus, erro'ue sit, noxa'ue solutus non sit, eademq; — *Exemplũ edicti ædilitij.*

demq; omnia, cum ea mancipia ueniunt, palàm ac recte pronuncianto. Quod si mancipium aduersus ea uenisset, siue aduersus quod dictum, promissum' ue fuerit cum ueniret, fuisset, quod eius nomine præstari oportere dicetur, emptori, omnibusq; ad quos ea res pertinet, iudicium dabimus, ut id mancipium redhibeatur. Item, Aiunt Aediles, *Ne quis canem, uerrem, nel minorem aprum, lupum, ursum, pantheram, leonē, & generaliter, aliud'ue, quod noceret, animal, siue soluta sint, siue alligata, ut contineri uinculis, quo minus damnum ferant, non possint, qua uulgo iter fiet, ita habuisse uelit, ut aiquam nocere, damnum' ue dare posit, si aduersus ea factum erit, & homo liber ex ea re perierit, solidi ducenti præstabūtur, si nocitum homini libero esse dicetur, quanti bonum & æquum iudici uidebitur, condemnetur, cæterarum rerum quanti damnum datum, factum' ue sit, dupli.* Reliqua ex XXI. Pandectarum libro, de ædilitio edicto. qui uult, petat. Cæterum Prætori ut summa autoritas iuris cum statuendi, tum abrogandi in Consulari imperio fuit, ita rebus per principes occupatis, licet is magistratus nō statim sit extinctus, autoritas eius tamen paulatim est diminuta, nam ex principum oraculis & ius dicere, & officio fungi iubentur. sic Constantinus Augustus ad Senatum. *Prætori defertur hæc iurisdictio sanciētibus nobis, ut liberale negocium ipse disceptator examinet, sanè interponi ab eo decreta conueniet, ut siue in integrum restitutio deferenda est, probatis duntaxat causis ab eodem etiam interponatur decretum.*

Autoritas pretorii diminuta

Responsa

Responsa prudentum &c.

Ius xuirale quia breuibus uerbis, & sententijs in morem ἀποφθεγμάτων conscriptum erat, unde haud dubie obscuritatem enasci, ut breuitatis est natura, cōtigit, & iam paßim forensium negociorum architecti & ueteratores quique in suā sententiam illud flectere, atque in quoduis causse patrocinium adulterare cœperunt. Necessitas rei postulabat prudētū autoritatē, q ius illud interpretatione responsisq; illustrarent, & ut quisq; eruditionis suæ fiduciam magis concepisset, ita tutius consulētibus responderent, cuiusmodi fuere, Scipio Nasica, optimus à Senatu appellatus. Q. Mutius, qui cum Carthaginienses, si uel pacis, uel belli tesseram secum Romā referre uellet, arbitrium dedissent, utranq; sustulit, dicēs, Carthaginiēses petere debere, utram mallent accipere. Tiberius Corūcanus ante quem publice professus nemo traditur, & enim cæteri (ut scribit Pomponius) in latenti ius ciuile retinere cogitabant, solisq; cōsultoribus uacare potius quàm discere uolentibus se præstabāt. Fuit & Sext. Cæcilius, & P. Attilius, Sex. Aelius, quem Ennius laudauit. deinde M. Cato Portiæ familiæ princeps, P. Mutius etiam Pont. Max. Q. Tubero ille stoicæ Philosophiæ sectator, qui Pansæ operam dedit, etiam COS. L. Crassus P. Mutij frater, quem Cicero iurecōsultorum disertißimū scribit. Fuit & Tubero Aul. Ofilij auditor, primum caussarum patronus, deinde post accusatum Q. Ligariū atq; ex diuerso per Ciceronem illum defensum, ad ius ciuile animum mouit. Est alter quoque Q. Mutius qui ad Seruium Sulpitium, dum iuris responsum semel atq; iterum

Iurecōsultipost leges xij. tabularum.

datum ex integro non percepiſſet, dixiſſe fertur: Turpe eſſe patricio & nobili uiro, & cauſſas orãti, ius in quo uerſaretur, ignorare. Sed te M. Cicero quo piaculo ſilentio præterirem, qui tantam iuris prudentiæ eloquentiã cõiunxiſti, quantam neque ex ueteribus quiſquam habuit, neq; ex poſteris alicui ſperare datum eſt, tantum abeſt ut præſtare eam potuiſſent. Verum poſteaquam reſpublica Romana Iulio Cæſare, ad id feneſtram aperiente, in monarchiam retrudi cœpiſſet, & ius ipſum ſimul cum rerũ ſumma per uim occupari, iterum admiſſi ſunt prudentes qui pro ſtudiorum ſuorum fiducia conſulentibus publice reſpondebant: primus tamen diuus Auguſtus quo maior iuris autoritas eſſet, conſtituit, uti ex autoritate eius reſponderent, & hoc eſt, quòd Imperator noſter ſcribit, antiquitus cõſtitutum, ut eſſent qui iura publice interpretarentur, quibus à Cæſare ius reſpondendi datum, unde Iuriſconſulti appellabantur, ad Cæſarũ ſi quidem tẽpora duntaxat reſpicit, nam antea quoq; dudum reſpondendi ius habuere prudentes, id quod hoc loci aduertendum. Porrò qui principum temporibus reſpondendo ius condiderunt, ij fermè ſunt, Attëius Capito, qui Ofilio operam dedit, & Antiſtius Labeo, per Trebatium inſtitutus, uterquè iuris, cum priuati, tum publici, per Auguſti tempora peritiſſimus, ille COS. fuit, hic uero Cõſulatũ renuit, & reliquum uitæ literarum ſtudijs impertiri maluit, quàm publica functione inſumere, quare diuiſo anni ſpatio, ſex menſibus Romæ, apud ſtudioſos eſſe conſueuit, & reliquis ſex menſibus ſecedere, libriſq; conſcribendis operam dare, homo adeo liber, ut neque Auguſto iam

M. T. Cicero.

Iureconſulti a Cæſarum temporibus.

rerum

rerum Principi *ſubſcriberet, niſi in ijs quæ & iuſta, & in* Romanis *antiquitatibus ſancita cognouiſſet.* Maſſurius *quoque Sabinus modicæ rei familiaris, ſed ab auditoribus plurimum ſuſtentatus, cui à* Tiberio *conceſſum erat, ut pu blice reſponderet, deinde in humanis fuere* C. *Caßius* Longinus, Nerua Proculus Tiberij *ætate, tum alter Caſ ſius* Longinus, *quem* Nero Claudius *luminibus orbatum, quod in ueteri gentili ſtemmate, ut autor eſt* Tranquil*lus,* C. *Caßij percuſſoris Cæſaris imagines reſtituiſſet, mori iußit, ad quod non amplius quàm horæ ſpatium da bat, & ne quid moræ interueniret, medicos admouebat, qui cunctantem continuo curarent uenas mortis gratia incidere.* Cœlius *Sabinus, &* Pegaſus *etiam urbis præfectus, uterque* Veſpaſiano *ut gratus, ita in ſummo pre tio habitus.* Fuerũt *etiam diui Hadriani temporibus inſi gnes,* Neratius Priſcus, Celſus *pater,* Celſus *filius, uel (ut quidam)* Iulius Iubentius, Domitius Labeo, Ariſto, Arrianus, *quem & de* Alexandri *rebus ſcripſiſſe nonnulli putant.* C. Caßius Tertullianus, *qui Senatuſconſulti* Tertulliani *autor fuiſſe creditur.* Saluius Iulianus, *cuius memorabilis illa ſententia circunfertur,* Et *ſi alterum pe dem in ſepulchro haberem, adhuc tamen uellem addiſce re.* Voluſius Mætianus *ſub quo* M. Antonius *Imperator, cognomento philoſophus, ciuili diſciplinæ operam nauauit, autore Capitolino.* Valens *quoque iureconſultus,* Iabolenus, Marcellus, Mauricianus, Serbidius Scæ*uola, qui ſubinde dicere ſolebat,* Ius, *uigilantibus ſcriptum eſſe.* Aemilius Papinianus *unicum iuris aſylum, & doctrinæ legalis* Theſaurus *(ut* Spartianus *ait)*

Maſſurius Sabinus.

Ius vigilantibus ſcriptum.

Seuerò Septimio non modo amicus & familiaris, uerum etiam per secũdam uxorem affinis fuit, ex cuius auditorio non secus quàm ex equo troiano uiri prodiere multi, si non armis, tamen in iure clarißimi, teste Lampridio, puta Domitius Vlpianus, Iulius Paulus, Pōponius, Alphenus, Africanus, Florentinus, Martianus, Callistratus, Hermogenes, Venuleius, Tryphonius, Mætianus, Celsus, Proculus, & Modestinus. T. Caius *quoque* Baßianum Antoninum *contigit sua ætate doctißimus. Fuerunt & alij, alijs rerum summam tenẽtibus, multi in iure peritißimi, quos ex parte apud* Historicos *inuestigare poteris. Cæterũ ex ijs qui ante Cæsares fuere, ne apex quidem quod ipse sciam, nobis reliqui est, præter hæc quæ Ciceroni adcepto ferimus.* Ex Atteio uero, Labeone, Massurio, Papiniano, Vlpiano, *atque id genus iureconsultis qui Cæsarum temporibus scripsere, sententias saltem aliquot, legum uice relictas per quinquaginta* Pãdectarum *libros,* Iustiniano *sic uolente, sparsas habemus, necdum omnium, sed eorum uix numero undequadraginta, uti quidam numerasse uolunt. Illi enim quicquid uel interpretando, uel*

Responsa. Prudentum.

respondendo, de iure scriptum reliquere. Responsa prudentum dicimus, quibus Imperatores *eandem autoritatem, quam suis & diualibus* Constitutionibus *esse uoluere, de qua re* Theodosius & Valentinianus Imperatores, *ad* Senatum *urbis* Romæ *hoc edictum proposuere. Cui &* Iustinianus *noster subscribit in.l.j.§. nunquam hæc materia.C.de ueteri iure enucl. uerba edicti hæc sunt:* Papiniani, Pauli, Caij, Vlpiani, *atque* Modestini *scripta uniuersa firmamus, ita ut* Caium *atque* Paulũ, Vlpianũ,

& cæte

& cæteros comitetur autoritas lectionis, quæ ex omni eius corpore recitetur. Eorum quoque scientiam quorum tractatus atque sententias prædicti omnes suis operibus miscuerũt, ratam esse cẽsuimus ut Scæuolæ Sabini, Iuliani atque Marcelli, omniumq; quos illi celebrarunt, si tamen eorum libri propter antiquitatis incertum, codicum collatione firmentur, ubi autem diuersæ sententiæ proferuntur, potius numerus uincat autorum, uel si numerus æqualis sit, eius parti adcedat autoritas in qua excellentis ingenij uir Papinianus emineat, qui ut singulos uincit ita cedit duobus. Notas etiam Pauli atque Vlpiani in Papiniani corpus factas, sicut dudum statutum est, præcipimus infirmari, ubi autem pares eorum sententiæ recitantur, quorum par censetur autoritas, quod sequi debeat, eligat moderatio iudicantis. Pauli quoq; sententias semper ualere præcipimus. Sanè hoc est quod Iustinianus in præsentiarum intelligere uidetur. Quorum omnium (inquiens) sententiæ et opiniones eam autoritatem tenebãt, ut iudici recedere à responso eorum non liceret, ut est constitutũ, quam & caussam fuisse nostris existimo, Rhapsodias illas, & iurisconsultorum sententias sic breui uerborum complexu in Pandectis nobis relictas, leges & inscribere, & paßim nominare, etenim si iudici maxime ei cui nisi secundũ leges aut receptas consuetudines pronunciare fas non est à responsis illis non licet recedere, quid interest leges dicere, atque id nominare, quod diui Imperatores ea esse etiam edictis uoluere? quare non admodum nos remoratur etiam in hac parte Laurentius Vallensis, qui nihil deformius in iurisperitis arbitratur,

Notæ in Papinianum.

Responsa prudentum quare leges.

Lauren. Val.

quàm testimonium uel Pauli, uel Vlpiani quoties adsumunt, quod legem nominant, cum longe sit aliud, legem esse, & habere legis uim: rem (si dijs placet) acu tetigit Valla, nam si prudentum responsa legis uim habere permiserit, non uideo, quare à communi legum appellatione abhorrere debeant, ut taceam emergentem rerum uarietatem, quæ necdum tot legibus poterit in uniuersum comprehendi. Testatur idem Iulianus in hæc uerba loquens: Neque leges, neque Senatusconf. ita scribi possunt, ut omnes casus qui acciderint, comprehendantur, sed sufficit ea quæ plerunque accidunt, contineri, & ideo de ijs, quæ primo constituuntur, aut interpretatione, aut constitutione optimi principis certius statuẽdum est. Eius ut plenam cognitionem habeas, pone ob oculos titulum aliquem Pãdectarum, uel eum qui est de lege Aquilia, ut eos prætercam, qui multo sunt perplexiores & perpetuam studiosis crucem facientes, & statim apparebit tot anfractibus, tot casuum formis interceptum, è quibus si unum obrueris atque sis adsecutus, statim ille centum alios, haud secus quàm Hydra illa apud Lernam emittere uidetur, quos omnes non una lege, sed singulos nonnunquam uix singulis legibus definiri comperies, & fieri potest, ut legibus destitutus, ad interpretum opiniones etiam sit recurrendum, quod is solum experitur qui foro deditus, cognoscit, quo nam usque humana audacia sit progressa, præterea usu receptum est, ut aliæ aliæque professiones, alijs atque alijs dicendi modis innitantur. sic Hippocrates medicorum facile princeps aphorismis rem suam plerunque egit, Euclides Mathemata

ubi suc

ubi succincta sunt, problematis, ubi uero ulteriorē indagationem desiderant, Theorematis complexus est. Grammatici cum reliquis triuialibus, suis fulciuntur regulis: iurisperitis autem recentioris seculi qui legibus cuncta peragunt, sententias illas iureconsultorum leges nominare uisum est. Tametsi etiam illud negare non possum, diuersos sæpißime casus sub una lege, distinctis tamen locis, comprehendi, & rursus quæ unius rei sunt, in diuersas leges coniecta, cuius haud aliam forte mihi rationem quis dederit, quàm eam: Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas. Præter hoc quòd haud obscure scimus ueteres iureconsultos, leges nonnullas, dum adhuc integræ essent, & non sic intercisæ, in capita diuisisse, & ea rursum in uersus, cuius & Pedianus meminit: eam ob rem non uideo quomodo peccet, qui unum titulum, in plureis leges, ut prudentum sunt responsa, diuiserit. nec cum ijs digladior, qui titulos in tractatus, & leges in capita, mutatis saltem nominibus trāstulerint, id quod BVDAEVM nostrum alicubi fecisse uideo, licet non sit nouum, titulos, atque rubricas iureconsultis dici, cuius facile indicio erit illud Iustiniani, qui paratitla fieri ad ius permittit, & ius uetus in titulos digerit, l. j. §. cumque. & §. nostra autem. C. de ueteri iure enucleando. In summa, quicquid iure ciuili constitutum est, siue sint Plebiscita, Senatusconsulta, Principum placita, Prætorum edicta, siue Responsa Prudentum, quia origine tantum & constituendi modo sunt diuersa, uirtute eadem, communi appellatione leges uocantur, ad quas iudicem perinde atque ad sacram anchoram confugere, nec per Leges communis appellatio.

trãſuerſum digitum diſcedere oportet: utcũq; aliud atq; aliud opinentur ij qui ſemper õpinari conſueuerunt, illi ſi quidem qui in nullis non ſcholis regnãt, qui nullũ nõ forum occupant, Azonem puto, Cynum, Bartolum, Baldum, Alexandrum atq; id genus prudẽtes, tametſi publicæ interpretationis munus obtineant, eatenus tamen id habent, quatenus legem, ſi fieri poteſt, cum lege conferunt, atq; à iure ſcripto non abhorrent: nam præter legem, licet opinio eorum probabilis eſſe poterit, nõ tamẽ eſt neceſſaria, ut quæ iudicem deuinctũ teneat: cum legibus non opinionibus ſit dijudicandũ, ubi ante omnia eſt conſiderandũ, ſi iure ſcripto res in forum perducta definiri poterit id facias, quod ſi minus, ad ſimilia gloſſematis cõquiſita recurrendũ, quæ ſi itidem defecerint, tũc demum ad eam interpretũ opinionem eatenus incumbẽdũ eſt, quatenus meliori fulcitur ratione, quã hoc caſu nõ ut opinionem, recipimus, ſed magis ut cauſſæ definitionem, quam ad iuriſperitorum interpretationem etiã Princeps in hunc modum fieri permiſit, uti tractatur in l. nemo. C. de ſentent. l. ſi de interpretatione. ff. de legibus. l. qui filium. §. Sabinus. ff. ad Senatuſconſ. trebell. cũ ijs quæ notantur in l. j. C. de legib. & l. ij. §. neque. C. de ueteri iure enucl. Hactenus de origine iuris ſcripti relatum eſt, proximum erit de eo quoq; iure tractare quod ex non ſcripto uenit, ſed uſu ſolum comparatum eſt.

Interpretes iuris.

Interpretũ opinionibus quatenus ſit inhærendum.

Ex non ſcripto &c.

VEterum mores in corruptiores noſtris fuiſſe hiſtoriarum fides argumento eſt, & nos ipſi paulatim langue

guescentes experimur, ut qui lingua potius quàm uitæ innocētia id exprimere quod imitabile est, studemus, quo fit ut ingenue, me hercle, Phauorinus Philosophus apud Aul. Gellium, monuisse adulescētē uideri debeat, ut moribus præteritis uiueret, uerbis autē præsentibus loqueretur, hoc ipsum quoq; Romani cōsiderātes, duas illustres & maximi nominis Græciæ ciuitates Athenas puto, & Lacædemona reipublicæ suæ quàm òptimæ ordinādæ quasi archetypum præponere, atq; ex parte imitari, prudentißime instituerunt, ex quarum altera leges scriptas, altera uero mores gubernandæ reipublicæ adcommodandos per Sp. Posthumium Album. Aul. Manilium, & P. Sulpitium Camerinum, sunt mutuati. Lacedæmones si quidem non legibus scriptis, sed ijs quas moribus comparatas à maioribus tanquàm per manus traditas acæpissent, utebantur, Lycurgo, ut Plutarchus scribit, id sanciente, quanquàm & ipsum Lycurgum leges sumptuarias Rhetris inscripsisse Ammianus Marcellinus tradat, cuius uerba in XVI. rerum gestarum libro, de Iuliano Imperatore, hæc sunt. Primum igitur factuq; difficile, temperantiam ipse sibi indixit, atq; retinuit, tāquā adstrictus sumptuarijs legibus uiueret, quas ex Rhetris Lycurgi, id est, axonibus Romam translatas, diuq; obseruatas, & senescentes paulatim reparauit, sic illa dictator reputans ex prædictis Democriti, quòd ambitiosam mensam fortuna, parcam uirtus adponit. Id enim etiam Tusculanus Cato prudenter definiens, cui Censorij cognomentū castior uita indidit. Cultus magna (inquit) cura tibi, magna uirtutis in curia. Iuris igitur alteram

Moribus præteritis uiuendū

Lacedæmones moribus utebātur.

Parca mensa.

*ſpeciem,quæ ex non ſcripto conſtat, Romani à Lacedæmonijs tranſtulerunt,unde conſuetudinem deriuamus, de qua Iulianus ſic ait:*De quibus cauſsis ſcriptis legibus nõ utimur,id cuſtodiri oportet,quod moribus & conſuetudine inductum eſt, inueterata enim conſuetudo pro lege non immerito cuſtoditur,& hoc eſt ius quod dicitur moribus cõſtitutum,nam cum ipſæ leges nulla ex alia cauſſa teneant,quàm quod iudicio populi receptæ ſunt, merito & ea quæ ſine ullo ſcripto populus probauit, tenebunt omnes,nam quid intereſt,ſuffragio populus uoluntatem ſuam declaret,an rebus ipſis,& factis? porrò Conſuetudo ius dicitur quod moribus conſtitutum eſt. Vnde M. Varro in de morib.uti Macrobius refert in III.Saturnaliorum libro c.XII.Morẽ eſſe dicit in iudicio animi, quem ſequi debeat conſuetudo:præcedat itaq; mos,id eſt, uſus tacito populi conſenſu receptus,oportet,ſi cõſuetudinem nobis adſciſcere uelimus. Conſuetudinem ſibi quæque ciuitas conſtituere poteſt,modo legitimis id fiat modis,quod tũc demum fieri cautum eſt,ſi decem annorum intercapedine aliquid ſit peractum quod ad inducendam conſuetudinem conueniat,adſentiente populo, uel maxima eius parte:nam conſuetudo ut præſcriptione adquiratur X.annorum ſpatium intercedat oportet, niſi in rebus Eccleſiæ alienãdis,ubi XL.annos deſideramus,aut in cõſuetudine legib.prohibita quæ præſcribi nõ poteſt. Tempus uero quo præſcribimus ſtatim currere incipit, ubi unus etiamnum actus qui publicus eſt,aut maxime ciuitatis parti cognitus,interuenerit,atq; idem ad perpetuandam præſcriptionem intra decennium uel poſt, ſi nulla*

Conſuetudini quando locus.

Conſuetudo quid.

Mos quid.

Cõſuetudo quo modo comparatur.

ſit in

sit interruptio, iteretur, ex moribus enim & longæuo hominum usu consuetudinē cōparari diximus, quare ex eo quod semel atq; iterū factū est, ut sic callū ducat, usum intelligimus. Quòd si contrarium aliquod atq; ex diametro pugnans priusquàm consuetudo legitime præscribatur, publice sit permissum aut factum, nullas consuetudini uires adtribuemus, sed eā interruptione dicimus perēptam. Quia uero consuetudines non ubiuis locorum iudici æque constant, aut notoriæ habentur, præsertim ei ad quem est prouocatum, frustra ipsas appellaueris, nisi per aduersarium negatas rite probaris, ubi rursus monēdi sumus, non esse consultum consuetudinis in libello mentionem facere, cum non sit medium ex quo conclusionem immediate inferri detur, ut Angelus quoq; refert, sed satis fuerit positionibus atq; articulis eam comprehendi negatamq; adstrui. Verum quàm difficile sit consuetudinē probare, ex hoc patet, quòd usum longæuum, populi adsentientis frequentiam, & tempus legitimū, simul doceri testibus non minus duobus oporteat: uerbi gratia, apud Marpurgum Hessorum consuetudo est annis iam multis inueterata, quando alter coniugum ad secundas nuptias conuolarit, quòd prioris matrimonij liberi, in utriusq; parentis bona, quæ soli hærent, & immobilia sunt, succedant, liberis ex secundis nuptijs atq; ex altero parēte fratribus, in mobilia duntaxat successuris: hanc probaturus consuetudinē, eos habeat testes necessum est, qui deponāt se uidisse atq; audiuisse Marpurgi semel iterumq; secundum hanc cōsuetudinem publice prenūciatum, idq; maxima ciuitatis parte præsente, uel si coram esse non potuerit, id

Interruptio præscriptionis.

Consuetudo quomodo probatur.

Consuetudo Marpurgi.

rit, id factum eatenus per omnes plateas, omniaq; publica loca diuulgatum, ut non poßit fieri quin maior populi aut ciuitatis pars perinde atq; digitos suos cognitum habuerit, sic esse pronunciatum, tum quod x. annorum spatium sit elapsum, ex quo primum sit cœptum pronunciari, ex ijs qui unũ imprudens negligit, consuetudinis inani spe frustratus, nihil adminiculi habiturus est. quæ omnia ad saturitatem uidere est apud Bar. Bal. *atque alios interpretes in.l.de quibus.ff. de legib. & senat. & annotata per Salice.in.l.ij.C.quæ sit longa consuetu. & refert Angelus noster in locum præsentem.*

Consuetudinis quanta autoritas. Proinde *consuetudinis sic comparatæ tanta est autoritas, ut non solum ab omnibus eius loci ubi inducta est, uice legis scriptæ sit tenenda, sed etiam legem cuius sensus in obscuro est, secundum usum qui retro in huiusmodi casibus receptus est, interpretetur, præter hoc quòd consuetudo generalis & per* Principem *eius conscium, toleratа, etiam legem abrogat generalem & scriptam: nam priuata lex non hæsitamus quin priuato consensu abrogari poterit, quare non immerito etiã illud receptum est, autore* Iuliano, *ut leges non solo suffragio legislatoris, sed etiã tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur, in fi.l.de quibus. & in titulo nostro.§. sed naturalia. per ea quæ adnotantur in citatã.l.ij.C.quæ sit longa consuetudo.*

Atheniẽses scriptis legibus vsi. Athenienses *uero quibus ius scriptum accepto ferimus usqueadeo scriptis legibus dediti erant, ut eis fermè in iocum atque opprobrium uerteretur, quasi scriptitandis magis quàm obseruandis legibus, animum intenderent, commendabant autem leges suas tabulis æreis & quadratis*

quadratis, quas modo κύρβεις modo ἄξονας appellant. Vnde Plutarchus Solonis leges κύρβεις uocare consueuit. Sane uetustas si quid perpetuum fore, & nunquam interiturum cupiebat, in æs incidere adsueuit, uti in armis illis Principum publicæ atque ad perpetuam rei memoriam suspensis, fieri nostra quoque ætas compertum habet. Minos proinde leges suas æreis tabulis (unde æreæ uocantur) inscribi, & ter quotannis per uniuersam Cretam circumferri iußit, ut est apud Platonem in eo Dialogo, qui inscribitur Minos. Fœdera quoque illa inter Athenienses, Eloos & Mantineos (quod Thucydides in V. belli Peloponnesiaci libro scriptum reliquit) in singulis ciuitatibus titulo lapideo, communiter uero ludis olympiacis æneo titulo describi iubentur. Proinde Maximinus crudelißimus Christiani nominis persecutor, dum per Orientem atque Aegyptum perpetuam tyrannidem exercet, scribit Eusebius in nono Ecclesiasticæ Historiæ, capite quinto, cum aliquot sequentibus, non fuit contentus falsa quædam acta confingere, uelut apud Pilatum de Saluatore nostro habita, in quibus aduersus Christum nihil non quod blasphemum est coacervatur, quæ per omnes regni sui prouincias perlato edicto mitti iubet, & per urbes singulas, per uicos, per agros proponi, præceptoribus etiam puerorum tradi iubet, uti pro ijs quæ ad meditandum, uel ad ediscendum dictare solent, hæc tradant pueris memoriæ commendanda. Nisi etiam leges aduersum Christianos in æreas tabulas incidisset, easq; singulis ciuitatibus uelut in æternum mansuras proposuisset, in quibus præter alia scribere non est ueritus, ex quo Christiani

Leges in æreis tabulis.

Minos.

Acta falsa in Christum.

Leges in æs incisæ aduersum Christianos.

Christiani sedibus suis atq; urbibus essent pulsi, aëris adspectum adparere lætiorem, ita quod terræ fœcunditas abũdantior, et segetum copia uberior progredi statim inceperit. Sed mißum faciamus crudelißimi hominis (si modo hominem dicere fas est) tyrannidem, cuius nomen etiã premi conuenerit, nisi in hoc citaretur, ut cæteri quoq; eius animi homines, tale quid audere facti atrocitate deterreantur. Postremo ad institutũ ut reuertar, Romani & in hoc Athenienses imitati, leges suas xuirales eburneis tabulis inscriptas, autore Pomponio iureconsf. in æs incidi, atq; in ærarium recondi iusserunt, uti Liuius & Suetonius Tranquillus scribunt.

Leges xij. tab. in æs incisæ.

Sed naturalia iura &c.

Ius naturale quomodo ciuili non perimit.

EA quæ de iure naturali sunt inducta, uti est maris & fœminæ coniunctio, liberorum educatio, & libertas, quantum ad genus pertinet, ciuili ratione non perimuntur, neq; dispereunt. tractatur in. l. abdicatio. C. de patria pote. l. j. & l. fi. C. unde lib. l. nam magistratus. ff. de arbitris. l. iura sanguinis. ff. de regu. iur. & inferius, de hæredit. quæ abintest. defe. §. emancipati. & §. minus quoq; iuris. Maris siquidem & fœminæ coniunctionem in uniuersum prohibere, quid aliud esset, quàm humanum genus ad internecionem uelle cogere, adempta non minus uita, quàm legitima illa hominũ atq; perpetua consuetudine, unde liberorum procreationem esse oportet, qua sine nec ciuitates constare, nec posteritatem fore, omnes scimus atq; perspectum habemus. Quare cum ius ciuile in hoc sit constitutum, ut homines iuxta atq; ciuitates incrementum capiant, & ius naturale unam eam ob caussam sit compa

sit comparatum, perimi illud minus oportebat, fieri tamen potest ut hæc iura quæ naturæ accepta ferimus, licet in uniuersum non perimantur, ex parte mutentur, quia uel modum, uel interpretationem recipiunt atque admittunt, nam iure naturali omnis maris & fœminæ coniunctio toleratur, sed ne brutorum instituto, omnes paßim personæ coëant, iure tam diuino, quàm humano, huiusmodi coniunctio in numerum est coacta, ut sint nuptiæ legitimæ, quibus homines copulari par est, præstituto etiam certo nuptiarum ritu, ut eorũ consensu quorum interest, fiant, ut personæ aliquæ modo sanguinis, modo publicæ honestatis, uel officij gratia abstineant, nisi uel legum pœnas experiri, uel eam sobolem progenerare uelint, quæ ut à iure ciuili non agnoscatur, ita à succeßione sit aliena, uti cauetur in XXIII. *Pandectarum libro de ritu nuptiarũ: & in* V. *Codicis libro de nuptijs. Item de incœstis & inutilibus nuptijs, cum multis alijs locis: præterea in* V. *Decretalium Gregorij Pontificis, ut taceam quæ iam olim in Patrum decretis habentur. Similiter & libertates non apud omnes qui nascũtur obtinent, sed periclitantur, nam bella quæ iure gentium fiunt, fructũ occultare non poterant, & seruitutem perpere, superius in. §. ius autem gentium. & in Pandectis de captiuis & postli. reuersis. Prætерea liberorum educationem, etiam Plutarcho autore, natura ostendit, da parentem pietatis officio destitutum, qui etiam quod natura iubet posthabeat, hic ius ciuile naturæ patrocinans, cogit parentem id facere, quod nulla non bestia suopte ingenio faceret, cum alimenta paruulis negare haud distet ab eo, quod*

Ius naturale quomodo mutatur.

Seruitus unde.

Educatio liberorum.

quod est necare, in l. si quis à liberis. & l. necare. ff. de liberis agnoscē. modum quoq; adhibuit ius nostrū, ut scire mus quibus & quatenus alimēta dari sit necessum: quo fit ut spurijs nihil debeatur, in auten. ex complexu. C. de incestis nuptijs. & ibidem Bar. tametsi ius Pontificū tales ab alimentis non faciat alienos, neq; à succeßiōe in id quod loco alimentorū relinqui aut donari solet. in c. cū hæret. de eo qui duxit in matrimo. quam poll. per adulte. Et Bar. *in allegata Authen. ex complexu.* Interest *etiam patris ut filium arte quadam instruat atque formet, quo sibi, uxoriq; uictū & amictum quærere poterit: id enim nisi sit factum, tenetur pater non modo filium, sed etiam uxorem eius cum nepotibus educare, iuxta l. si filio. §. j. ff. famil. ercisc. & glo. in citata l. Si quis à liberis. §. si filius fami. & in l. si maritus. in fi. ff. solu. matri.* Denegantur *tamen alimenta liberis ob ingratitudinem & ijsdem modis quibus exhæredationi locus est, in citata l. si quis. §. idem iudex.* E' *regione liberi quoque parentibus suis ope destitutis alimenta naturali ratione debent, etiam si parentes sint perfidi, & legum pœnis notati, ob uinculum illud naturæ quod magis adamantinum est, quàm ut ciuili ratione tollatur, rumpaturq;, per Auten. de incest. nuptijs. §. si uero contigerit. & l. mutus. §. manente. ff. de iure do. & est gloss. in c. si qui filij. xxx. dist.* Adnotat Bart. *in l. si quis. §. si uel parens. ff. de liberis agnos.* Et *quod plus est, frater qui rerum diues est, debet fratri aut sorori inopi alimenta, in l. eum qui filium. ff ubi pupill. edu. de.* Ex *quibus facile deprehendis quomodo iura naturalia ciuili ratione in uniuersum non possunt perimi,*

Spurij aluntur etiā de iure pōtificio.

Pater quādo filium & uxorē eius educare cogitur.

Filij etiā parentibus debēt alimenta.

Frater quando fratri debet alimenta.

iuuantur

iuuantur tamen & interpretationem atq; modum recipiunt à iure ciuili, quam speciei tantum mutationem nõnulli appellant.

Verum iura ciuilia & mutari, & abrogari nihil prohibet, id quod duplici modo fieri potest, aut suffragio legislatoris, aut contrario populi consensu, per desuetudinem, in l. de quibus. ff. de legib. & Sen. Suffragio legislatoris abrogatur lex per recentiorem latam, eam'que contrariam, quod hodie solus princeps Romanus *facere potest, in quem legum condendarum autoritatem regia sanctione translatam paulo ante diximus, quam aliqui non adtenta l. digna uox est. C. de legib. magis ad sui libidinem usurpare, quàm ut reipublicæ prospicerent, nõ sunt ueriti: cuius obuium exemplum* Aelius Spartianus *de* Antonino *Caracalla refert in hæc uerba:* Interest *scire quemadmodũ nouercam suam* Iuliam *uxorem duxisse dicatur: quæ cum esset pulcherrima, & quasi per negligentiam, se maxima corporis parte nudasset, dixissetq;* Antoninus, *Vellem, si liceret, respondisse fertur:* Si *libet, licet, an nescis te* Imperatorem *esse, & leges dare, non accipere?* Quo *audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus est, nuptiasq; eas celebrauit, quasi sciret se leges dare, cum uere solus prohibere debuisset.* Matrem *enim (non alio dicenda erat nomine) duxit uxorem.* Haud *dißimile est apud* Herodotũ *in* Thalia, *de* Cambyse Persarum *rege, cui percunctanti, num qua lex esset, quæ cum sorore nuptias contrahere sinat (erat enim unius sororum amore captus)* Iudices *respõdebant,* Nullam *se apud* Persas *huiusmodi legem inuenire, præter eam, qua licet*

Leges abrogantur per Pricipẽ Romanum.

Si libet, licet Hoc est quod hodie multis principibus occinitur.

Cambyses.

Regi facere quicquid libet. Rati hoc responso neque patrijs detrahi legibus, neque Regem furore percitum, in eos commoueri facile posse. Principiū igitur est legē aut tollere aut emendare, idq; per nouam & contrariā constitutionem, l. non est nouum. ff. de leg & l. tanta: C. de ueteri iure enuc. quod paßim uidere est in codice Iustinia. & nouißimo iure autenticarum, Praeterea dubia legis interpretatio, ad Imperatorem referri debet, praesertim super nouo negocio suborta, in l. & ideo. & l. nam ut. ff. de legib. & l. cum de nouo. & l. fi. C. eo. tit. l. ij. §. sed quia diuinae C. de ueteri iure enuc. & l. haec itaq; C. de fideicō. liber. Si uero legis obscurus sensus, inter litigantes ipsos enascatur, tunc iudicis est litem dirimere, & secūdum ueriorem legis sensum dijudicare, quem modo ex similibus habere potest, iuxta l. non possunt. ff. de legib. Modo ex usu ipsius legis quae consuetudinem peperit, cum optima legum interpres sit consuetudo, in l. minime. & l. si de interpretatione. ff. de legib. Sin autem Iudex neque ex similibus, neque ex consuetudine atque longaeuo usu legis scopum eruere poterit, tunc itidem ad principem est recurrendum, quo absente ita quod commode haberi non potest, benignior legis sensus excipiendus est, in l. benignius & l. in ambigua. ff. de legib. & l. publius. ff. de conditionibus & demonstr.

Imperator legū interpres.

Quādo Iudex legem interpretatur.

Consuetudo legum interpres.

Atqui ut lex aliqua scripta, uel moribus recepta, tollatur, opus est contraria aut lege, aut cōsuetudine, cum per non usum temporis utcunq; longi, lex, uel inducta consuetudo, tolli non poßit, ceu adnotatur in citata l. de quibus. ff. de leg. & in c. Ioānes. de cle. coniug. Aliâs enim quantum

Lex per non usum non tollitur.

tum fieri posset, legum correctionem deuitandam Iurecō-sulti docent. Quod & ueteres uoluisse Locri exemplo esse possūt, apud quos qui legis abrogationē aut correctionē suadere in animū sumpsisset, laqueo collo circūducto, id faceret oportebat, ut si uisum esset abrogationē fieri, liberaretur, sin minus, statim cōtracto laqueo strāgularetur, ut is qui iniuriā quodāmodo facere, incōsulto ausus fuerit, & legislatori, & legi publico cōsensu iam olim receptæ. Apud locros in laqueo lex abrogabatur.

Omne autem ius &c

IVre ciuili aut hoc agitur quemadmodum quid cuiusque fiat, inquit Vlpianus, aut quemadmodum quis rem suam, uel ius suum conseruet, aut quemadmodum alienet, aut amittat, id uero ut fieri possit operæpretium est cognoscere, quæ sint personæ, que uel adquirere, uel adquiri poterunt, tum quæ res adquiratur, deinde per quid sit datum rem persequi. merito igitur Caius in. l. j ff. de statu hominum, omne ius, ait, quo utimur, uel ad personas pertinet, uel ad res, uel ad actiones, id quod Imperator quoque æmulatus, Institutiones nostras in treis partes diuidit. Prima, ius personarum comprehendit, atq; statum, hoc est, quæ liberæ, quæ seruæ sint, & tandem quid cuiq; incumbit. ita progrediens usque ad librum II. ubi non possum præterire interpretis commentum, qui in citata l. j. ff. de statu hominum. ius personarum eò tantum spectare somniat, ut serui adquirātur, uel amittantur, cum tamen non modo seruos uerumetiā liberæ conditionis homines cōcernat, quod statim lib. II. eiusdem tituli testatur, quando summam personarum diuisionem, hanc esse ait, quod omnes homines aut liberi sunt, aut serui, ac si dicere Institutiōes in tres partes diuisæ. Interpretis commentum.

f 2 uelit

uelit, ius personarum est, quo cognoscimus, serui quibus modis uel adquiri, uel admitti poßint, item liberis hominibus quomodo aliquid conueniat, hoc est, qui alios in potestate habeant, aut alterius potestati sint subiecti, & demum qui tutores uel esse uel nõ esse poterint. Secunda Institutionũ pars est de iure rerũ ut sciamus quæ res in patrimonio nostro aut extra patrimoniũ habeantur, id est, quas uel persequi, uel amittere poßumus: & incipit, à titulo de rerum diuisione, usq; ad eum qui est, de obligationibus. Tertia pars Actiones complectitur atq; præcedentes eas obligationes, qua docemur id persequi quod nobis debetur, atq; à loco qui est de obligationibus, usq; in finẽ Institutionum protenditur, qua diuisione cognita, facile erit omnem imperatoriarum institutionum materiam tanquam digitos suos obseruasse.

TITVLVS III.

De Iure personarum.



ACTENVS *de iure atq; eius partibus tum quibus autoribus sit proditum, breui, sed tamen generali expositione egit: iam uero propius rei adcedens usum iuris ciuilis ostendere incipit: & quia hominum caussa omne ius constitutum iurecõsultus in l. ij. ff. de statu. hoc affirmat, cum primis de iure personarũ seu hominum non immerito exponit. Est autem ius personarum, status, quo quisq; hominũ sibi ius uel libertatis, uel seruitutis uindicat, unde qđ hic ius personarum dicimus, iureconsultus in I. Pandectarum libro, statum hominum appellat.*

Ius personarũ quid.

Seruitus

Seruitus autem est constitutio &c.

Seruitus cuius hic mentio habetur, est personalis, hoc est, quæ à persona serui, personæ liberali debetur, id quod ex diffinitione eius facile colliges, quam Florētinus iurecōsultus in l. iiij. §. 1. ff. de statu hominum. in hæc uerba dedit, Seruitus est constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur, nam eam seruitutem quam realem appellamus in II. lib. exponit titulo, de seruitutibus rust. prædio. Proinde est seruitus ex peccato deriuata, cuius Paulus Apōstolus in VI. ad Romanos meminit, & Philo Alexandrinus singulari libro est prosecutus. Nonnulli *seruitutem ebrietati acceptam ferunt, ex qua primum arbitrantur ortam, Cham enim ubi pudenda patris sui* Noë, *uino quod plātauerat, inebriati, denudata, non cooperuit, sed uocatis fratribus, patrem sic turpiter iacentem derisor ostendit, qui ubi eū cooperuissent, &* Noë *pater hoc ipsum postea resciuisset, nō Chā, sed Chanaan eius filio maledixit, inquiēs, Maledictus Chanaan puer, seruus erit fratribus suis: qua de caussa* D. *Ambrosius in sermone quodā de ieiunio, dixisse uidetur:* Non *esset hodie seruitus, si ebrietas nō fuisset. refertur in cap. sexto die. distin.* XXXVI. *& adnotat gloss. in l. manumissiones. ff. de iusti. & iure. in c. ius gentium. distin. I. & in c. ita quorundam. de Iudæis. Cæterum ad rem, quod attinet, quicūq; in alterius dominium concidunt, serui sunt, qui tametsi conditione, hoc est, statu non differunt, quia omnes alterius dominio subduntur, origine tamen & officijs sunt differentes.* Nam *alij adscriptitij, alij ordinarij, nonnulli uicarij, quidā receptitij dicuntur, sunt etiā quos*

Seruitus personalis.

Seruitus ex peccato.

Seruius ex ebrietate.

Serui quomodo differunt.

Adscriptitij serui.

atrienses uocant. Adscriptitios seruos dicimus nos colonos, qui glebæ, uel terræ alicui perpetuo colendæ in libro censuali uel publico iudicio sunt adscripti atq; addicti, ut inde nunquam recessuri, dominis suis quorum gleba est annuos redditus quantum ea ultra sumptus fœnerari poterit, & proferre, elargiantur, & dicuntur modo originarij, modo coloni, nonnunquam agricolæ, qui utcunq; conditione liberi esse uideri possunt, cum durum illud dominorum iugum, ut alia mancipia non patiuntur, serui tamen existimantur, & eorum sunt numero, partim respectu terræ aut glebæ, cui perpetuo sunt adscripti, partim dominorum consideratione, quorum dominio non secus quàm serui subijciuntur. Quæ enim differentia (inquit Iustinianus) inter seruos & adscriptitios intelligatur, cum uterque in domini sui potestate est positus, & possit seruum cum peculio manumittere, & adscriptitium cum terra dominio suo expellere. est etiam in. l. cum satis. §. cauant. atque multis alijs legibus. C. de agricolis & censitis. libro XI. & in. l. unica. C. de colonis tracen. eodem libro. Seruus ordinarius est, qui dominum agnoscit & prouinciæ alicui præficitur, in cuius labores si alius fuerit suffectus atque subrogatus: id quod emptione peculiari fieri potest, iuxta. l. si creditor. §. si seruus. ff. de peculio.

Seruus ordinarius.

Seruus uicarius.

Is seruus uicarius appellatur, qui licet in peculio sit ordinarij, tamen in domini, uti ordinarius, est potestate, Infra. quod cum eo qui in alie. §. cum autem fuerit. in. l. diffinitio. in. l. quam tuberonis. §. uicarios quoque. & l. si seruus meus. ff. de peculio. & gloss. in. §. cum sticho. l. seruus. ff. de in rem uerso.

Seruus receptitius.

Receptitium seruum dicimus autore

(autore Gellio libro xuij. cap. uj.) proprium uxoris, quem cum pecunia reliqua receperat, neque dixerat doti, sed sibi retinuerat, Mulier enim quādo dotem marito da bat, eumq; eius dominum faciebat, tum quæ ex suis bonis retinebat, neque ad uirum transmittebat, ea recipere dicebatur, hoc est excipere, ne in dominium mariti cum reliqua dote uenirent. Hoc modo & seruus receptus, id est exceptus dicitur, indicat M. Cato uoconiam legem suadens hisce uerbis: Principio mulier magnam dotem adtulit, cum magnam pecuniam recipit, quam in uiri potestate nō committit, eam pecuniam uiro dat mutuā, postea ubi irata facta est, seruum receptitium sectari atque flagitare uirū iubet. De seruo actore item Mediastino alibi dicemus ex I. Columellæ libro. Sunt & alia seruorum genera, ut seruus atriensis, qui atrijs ædium atque liminibus præponitur; quem Apuleius in I I. de asino aureo, seruum ad limina, appellat. Item serui insularij, focarij, forniciarij, & id genus alij, quorum officia unde cognominantur, notiora sunt, quām ut multa narratione opus habeant. Seruus atriensis.

TITVLVS IIII.

De Ingenuis.

Locus ad superiorem de iure personarum adtinet. nam eam personarum partem explicat quo homines liberi sunt, & quia seruorum differentia non est, præter eam quam uel origo uel officiorum gradus præstāt, de ijs paucis tractare statuit, sed liberorū naturā ut

in iure magis frequẽtatam & differẽtem, altius ſcrutari intẽdit, quorũ potiores intelliguntur qui natalibus clari atq; liberi habẽtur, quàm qui ex iuſta ſeruitute manumittuntur, de ingenuis primo diſſerit, quos ex eo ſtatim cenſemus quòd liberam matrẽ quando naſcerẽtur nacti ſunt: Nam regula iuris eſt, inquit Caius, ut quãdo legitimi cõcipiuntur, tempore cõceptionis ſtatũ ſumãt, qui uero de iuſtis nuptijs nõ concipiũtur, ſtatum ſumant eo tempore quo naſcũtur. quorſum communis ille locus apud iurecõſultum accõmodatur, Partus ſequitur uẽtrem: licet apud Longobardos uice uerſa obtineat: unde in omni conditione & ſtatu ſiue ingenuitatis, ſiue ſeruitutis, uẽtrem, hoc eſt matrẽ ipſam obſeruamus: ſic ex libera matre editus, patre utcũq; ſeruo, liber eſt: & rurſus ex matre ſerua, patre uero libero, ſeruus naſcitur, ut eſt in l. partũ. C. de rei uend. l. placuit. C. de liberali cauſ. l. idem Pomponius. §. ſi equam. ff. de rei uend. & in c. dilectus. extra de ſeruis non ord. cum gl. Eius rationem nonnulli eſſe uolunt, quòd mater ſemper ſit certa, pater uero aliquãdo incertus & is qui facile ludificetur. quare Telemachus apud Homerũ in I. Odyſſeæ Mineruæ Mentoris perſonã indutæ, dũ interrogaſſet, Vlyſsis' ne illius cũ quo ſibi olim arcta fuerit conſuetudo, ſit filius? in hæc uerba reſpondit:

Partus ſequitur uentrem.

Μήτηρ μέν τ' ἐμέ φησι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ οἶδα, οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.

Me genitum ex illo mater fert, attamen ipſe
Neſcio, nam patrem non eſt qui nouerit ullus.

Patrem ſuum nemo cognouit

Ad honores uero & dignitatem quod adtinet, patrẽ liberi ſequuntur, l. filiam. & l. liberos. ff. de ſenat. l. exẽplo. &

Liberi patris dignitate cenſentur.

plo & l.eos.C.de decurio. lib. x, Similiter uxor mariti sui dignitate atq; nominibus, censetur etiam uidua, donec contraxerit nuptias, ut est in l.mulierem.C.de digni. libro xij.

Vxor mariti honorem sequitur.

Natalibus non officere &c.

NAtales multitudinis numero pro ingenuitate seu clari sanguinis conditione usurpamus, præsertim ea in qua omnes homines ab initio iure naturali fuerũt, quo factum, ut si quis manumissus, obsequia patroni sui atq; operas effugere uellet, peteret ab Imperatore natalibus suis restitui, quo facto perinde habetur atque si ingenuus natus esset, atq; omniũ ingenuitatis statũ ab initio habuisset, nec patronus potest ad eius uenire successionẽ. est in xL. Pandectarum libro de natalibus restituendis, ubi Modestinus sic ait: Patrono consentiente debet libertus ab Imperatore natalibus restitui, Ius enim patroni beneficio impetrato adimitur. Libertinus qui natalibus restitutus est, perinde habetur atq; si ingenuus factus medio tempore maculam seruitutis nõ sustinuisset. Et uult locus noster, si quis ingenuus natus, postea ex seruitute qua de facto, & immerito cõtinebatur, similiter fuerit manumissus de facto, hoc ipsum ingenuitati eius non officere, hoc est, ut natalibus restituatur non opus esse, cum ingenuum retinuerit semper statum, ut C.de ingenuis manumissis. Cum in libertis qui ex iusta seruitute manumitterentur. utiq; manumissio officeret natalibus, ut quos sine Principis beneficio non poterant adsequi, tractatur in l.qui se uenire. & l.hac oratio. ff. si libertus ingenuus esse dicatur. & l.fin.C.ubi caussa status agi debeat. Ex quibus

Natalibus restitui quid.

Interpres lapsus.

facile patet nihil ad locum facere, quod interpres Natales pro scripturis illis etiam accipit quibus ingenuitas seu generis claritas probari solet, quos tunc maxime obtinet si huiusmodi scripturæ sint publicæ & omnibus eo loci cognitæ. Nam si pater solum scribat filium sibi eo die ingenuum natum, indicium solum affert. & nō plenā probationem, l. nec omissa. C. de liber. caussa. & l. neque natales. atque ibidem glos. & interpretes fermè omnes C. de probationibus. Cuiusmodi libri sunt genealogiarum, quales in secretioribus tēpli archiuis Iudæos habuisse inclusos, Eusebius lib. j. cap. uj. Ecclesi. histo. prodit. quibus omnes suas generationes secundum singulas tribus inscriptas custodiebant, & præterea alienigenarum quorundam sed tamen clarorum, ut Achioris, ex Ammonitis, Ruth, ex Moabitis, Aegyptiorumq; Israëliticis commistorum, quos Herodes Ascalonites obscuro loco natus, ille qui infantium neces perpetrauit (quapropter Augustus dicere solebat, se malle Herodis suem esse, quā filiū) comburi igneq; absumi iußit, ratus se tūc demum natalibus quoque clarum fore, nec amplius obscurum & quasi de lapide emptum, iudicatū iri, si nulli Israëlitici sanguinis fasti amplius extarent, quibus perinde tribuum genealogiæ atque è speculo refulgerēt. Ceterū, cuius obiter moneam, qui putant ius aureorum anulorum idem significare quod natales, insigniter errant, nam qui natalibus restituitur, plenam consequitur ingenuitatem, & à iure patroni eximitur. Sed qui ius aureorum anulorum obtinet, ut ingenuus quidem habetur, sed non ex omni parte, l. ij. C. de iure aure. anul. nam saluum in eo retinet ius patronus

Herodes genealogiam Iudæorum combussit

Ius aureorū anulorum quid.

patronus, & ab hæreditate eius non excluditur, in l. qui ius. ff. de iure aureo anu. & l. iij. ff. de operis liber. Etiam *particeps est legati liberto relicti. l. j. ff. de iure aureo.* Itē *patronum in ius sine uenia non uocat. l. sed & si. §. patronum. ff. de in ius uocan.* Proinde *pro cæde patroni torquexi poterit instar reliquorum libertorum. l. idemq; erit. ff. ad silleia.* Minus *ergo est ius habere aureorum anulorum, quàm natalium, & utrunq; principali solum beneficio tribuitur.* Sed *hodie nouißimo* Autēticarū *iure, quia manumißi, ciues denunciantur* Romani, *ex ipsa manumißione, ius & aureorum anulorum, & regenerationis, hoc est, nataliū statim accipiunt, ut sic fiant liberi, atq; ingenui, absque ulla alia* Principis *iudulgentia, idq; perpetuo si manumißoribus eorumq; filijs obsequium, id est, reuerentiam & uenerationem legibus introductam præstiterint. & est latius in* Autent. *ut liberti decætero, &c. §. propterea. cum sequentibus nonnullis coll.* VI. *& repetitur, in* Autent. *hodie.* C. *de iure aureo anulo. & de natalibus restituendis.*

TITVLVS V.

De Libertinis.



IBERTINOS *nonnulli latinorū scriptorum eos appellant, qui ex libertis generantur, ut est apud Suetonium* Tranquillum. Sed *iurisconsulto libertini sunt, qui ex iusta seruitute sunt manumißi, quales etiā sunt liberti, di*

uersa

Libertinus. *uersa tamen significatione.* Nam libertinus proprie dicitur intuitu libertatis ex manumißione receptæ, ut quemadmodum ingenuus est, qui statim ut est natus, liber est, ita libertinus, qui ex manumißione libertatem est consecutus, et in hoc sacratiß. iureconsultus hunc titulum post eum qui est de ingenuis, inscribere uoluit, de libertinis. Sed

Libertus. Libertũ patroni respectu dicimus similiter qui ex iusta seruitute per patronum est manumißus, sic quotiescunq; in iure nostro manumißionis tantum fit mentio, libertinus scribitur. Sin autem ex aduerso patroni quoq; ius inferatur, de libertis, tractatus fit, qualis est de operis libertorum, & id genus alijs, quare uel nunquam uel raro liberti mentio habetur, quin & patronus ceu correlatiuũ adcurrat, quod indicasse saltem uolebã. Nam Valla in IIII. Elegantiarum latinarum idem satis erudite exponit.

Manumissio unde. Manumißio autem quæ est datio libertatis, propterea dicitur, quòd dominus caput serui quem in libertatẽ adsciscere uolebat, aut aliud eius membrum (autore Festo) manu tenens, dicebat hũc hominem liberum esse uolo, & emittebat eum è manu. Multis autem modis manumißio committitur, utcunq; Cicero treis eius species esse uelit.

Manumissio p constitutiones. Primo per sacras cõstitutiões in sacrosanctis ecclesijs, ubi serui à dominis suis sub Antistite, plebis adspectu, scripturaq; ob facti memoriam qualicunq; interueniente, libertatẽ cõsequi poßunt. l. j. C. de ijs qui in eccles. ma. II. Per uin-

Vindicta. dictæ impositionem. Est autem uindicta uirga qua Prætor caput serui percutiens, solennibus uerbis dicebat, liberum te aio. & sic ubi circumactus esset per lictorem, liber erat, solebant enim antiquitus circumagi qui manu

manumittebantur, quod recordarentur (ni fallor) se iam liberos, ut quo uellent, pro arbitrio suo progrederentur, ruptis illis dominorum uinculis, unde etiam Seneca in I. *ad* Lucillium *epistolarũ libro circumagi uerbo, pro liberari atq; manumitti usus est hisce verbis:* Philosophiæ *seruias oportet, ut tibi contingat uera libertas, non differtur in diem qui se illi subiecit, & tradidit, statim circum agitur, hoc enim ipsum philosophiæ seruire, libertas est.*

Manumißio *per uindictam est, in. l. ego. & l. pater. ff. de manu. uindicta. l. et si minor. C. si aduersus liber. & l. nec mulierem. C. de uindicta & apud.* Vindictã *nonnulli à* Vindicio Aquiliorum, *ut* Liui. *in* I I. *ab urbe condita, uel uitelliorum, ut* Plutarchus *in* Publicola *habet, seruo dicunt: qui dum coniurationem de* Tarquinio *in urbem reducendo manifestasset, primus libertate donatus est,* Bruto *uindicias secundum libertatem dicente.* Alij *uerò, quibus libentius subscribo, à uindicari deriuant, quod est in libertatẽ adsciscere.* III. *Libertas seruo præsenti inter amicos dari potest, idq; testibus* V. *adhibitis, & interposita scriptura, in. l. unica. §. sed & si. C. de latin. liber. tollen.* I I I I. *per epistolam ab ipso patrono &* V. *testibus subscriptam, quomodo seruus etiã absens quasi ex ultima uoluntate libertatẽ consequitur, in citata. l. unica. §. sancimus.*

Manumissio inter amicos.

Manumissio p epistolam.

V. *Testamento etiam minus solenni, id est, codicillari, & uel directo, uel per fideicõmißum, sic qui directo testamento liber esse iubetur, ipsius testatoris fit libertus, præsertim si utroq; tempore, & dum fieret testamentum, & dũ testator moreretur, fuerit testatoris, & uocatur* Orcinus, *quasi patrono ad* Orcũ *misso libertus. l. directis. C. de testa.*

Manumissio testamentaria.

Orcinus libertus.

de testa. liber. & l. si is. ff. de fideicō. libert. & l. tutela. §. plane. ff. de legiti. tuto. Qui autem ex fideicommissi causa atq; indirecto manumittitur, non testatoris, sed eius fit libertus qui manumittit. §. qui autem. Institut. de singul. reb. per fidei. relictis. et. l. si quibus. C. de fideicom. libert. Et illi tunc demum liberi fiunt, cum hæreditas fuerit adita, in. l. testamento. ff. de manumiss. testa. & l. libertas. C. de testa. manu.

Qui manumis. merentur.

Sexto manumittuntur serui, dum aut dominorum suorum necem uindicarunt, aut falsos monetarios, aut armorum desertorem, raptæ'ue uirginis facinus detulerunt, ut in. C. ex quib. causs. serui pro præ. liber. accip. singulis firmè legibus cautum est.

Ancilla cōcubina quando fit.

Septimo quando ingenuus legitimam uxorem non habens ancillæ suæ consuetudinem concubinæ loco in extremum uitæ diē habuerit, neq; in ultimo suo elogio de ipsa, eiusq; sobole quicquam disponat, tunc post domini mortem, & ancilla, & soboles eius, ad libertatem eripiūtur. l. fi. C. cōmu. de manu. Prætera scribit Plutarchus *in lib. de ijs, qui sero puniuntur à deo. morem fuisse* Romanis, *ubi quempiam manumitterent, ut eius corpori tenuem festucā inijcerēt, quorsum & locus ille in* VI. *Satyra apud Persium spectare uidetur.* Non in festuca lictor quem iactat ineptus. *Refert* Angelus Polit. *in* Miscellaneis, *Cētu-ria.* I. *cap.* XCVIII. *erant & aliæ liberum faciendi species, quas ut minus usitatas silētio prætrimus, inter quas præcipua est, si quis consentiente uel iubente domino nomen in censum detulisset, nam & hoc modo ciuis* Romanus *fiebat & seruitutis uinculo soluebatur.*

Manumissio per festucam.

Libertinorum autem status &c.

Ex manumissis olim fiebant aut libertini ciues Ro*mani, aut latini, aut dedititij. Ciues* Romani *erant duntaxat, qui testamento, uel in Ecclesia, uel ante Consulem aut Prætorem essent manumissi. Latini autem, qui aut per epistolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione lege Iunia Norbana, manumittebantur, qui licet in certis rebus priuilegia libertinorum ciuium* Romæ. *consequi poterant, præsertim si iterum ab ipsis patronis aut testamento, aut in ecclesia, aut ante* COS. *manumissi fuissent, tamen nec testamenta condere, nec sibi ex testamento aliorum aliquid dimissum ullatenus poterant uendicare.* Dedititios *uero Caius in* I. *institutionum libro fuisse scribit, & idem Angelus Politianus Misçellaneorum centuria* j. *cap. lxxxiiij. in Græcis institutionibus haberi refert, qui post admissa crimina supplicijs subditi & publice pro criminibus cæsi essent, aut in quorum facie uel corpore quæcunq; notæ atq; stigmata, aut igne, aut ferro impressa essent, ita ut deleri non possint. Hi si gratia dominorum inita postmodum manumitterentur, dedititij appellati sunt, ad imitationē fortè peregrinorū dedititiorum qui abiectis turpiter armis se Romanis dedere non essent ueriti, in hoc latinis deteriores, quod illi ex lege Iunia Norbana ea conditione manumittebantur, ut totam uitam deinceps liberi peragerent, sed in ultimo uitæ spiritu perinde animam, ita & libertatem amitterent, & bona ipsorum haud secus quàm seruorum iure quodammodo peculij manumissores occuparent, l. unica. C. de lati. libertate tollen. &*

Libertini ciues Romani.

Latini libert.

Dedititij unde

infra

infra de succeßione liberto.§.sed hæc.Hi uero lege Aelia Sentia,quam Sex.Aelius,Catulus(& C.Sentius Saturninus Coss.rogarunt.Cuius etiam mentio est in l.qui soluendo.ff.de hære.institu. ad quam & Iulius Paulus VI. libros scripsit)omnium peßime instituti erãt,nam dominis ad seruilia opera se dedere solebant,ut totã uitam iis seruirent,in morte tantum libertatem recepturi,in citata l.unica.C.de lati.libert.toll.in hoc tantum seruis feliciores,quod successorem bonorum suorum habere permittebantur.Sed Iustinianus omnia ad pristinam illam atque

Latini & dedititij sublati.

simplicẽ urbis Romæ libertatẽ reducturus,duas illas manumißionum species Latinorum scilicet & dedititiorum penitus sustulit,unamq; libertatis faciem esse uoluit,ut nulli amplius essent,neq; latini,neq; dedititij,præsertim cum latinorũ nomen minus frequẽtari, dedititiorũ uero cõditio in desuetudinem iam nũc ire cœperit,ut est in l. unica.C.de lati.liber.toll.& rursus l.unica.C.de dedititia liber.toll.Proĩde in fine huius tractatus,ubi nullum ætatis nec manumißi,nec domini manumissoris discrimẽ habendũ manemur,Interpres addit nisi manumissor intra xx.sit annum,quo tempore manumittere non liceat iuxta.§.eadem.l.Aelia Sentia.j.1.titu.sed præter loci cognitionem id facit,nam xx.illi anni quo manumissorem

Labitur Accursius.

ex lege Aelia Sentia habere oportebat,hodie ad id restricti sunt,ut non aliter minori in testamento libertatem seruo dare liceat,nisi XVII.annũ impleuerit,& XVIII. annum attigerit,uti in.§.fi.eiusdem tituli exponitur.

Libertate autem donati statim ciues Romani fiunt, hoc est,eiusdem status cum manumissoribus,in hoc tamẽ inferiores

inferiores, quod nõ tam patronis, quã liberis eorũ, in beneficij impensi remunerationẽ obsequia aliquot, cũ alimentis, tũ operas, si fuerint impositæ, neq; per iuris patronatus renunciationẽ remissæ, debent, in l. etiã liberis. & l. libertos. C. de obseq. patro. præstan. l. j. C. de operis liber. & l. liberto. ff. de obsequijs. Similiter libertus, si uel manibus, uel insidijs, uel famosa actiõe, uel alijs etiã leuioris offensæ culpis aduersus patronũ insurgat, conuictus haud aliter quàm ingratitudine notatus sub pristinũ seruitutis iugũ retruditur, in l. si manumissus. C. de liber. & eorũ lib. & l. j. C. de obseq. patro. præst. & omniũ fusißime in Auten. ut liberti decætero. §. illud uero adijcimus. coll. uj. Præterea libertus si patronum etiam honestam actionẽ moturus in ius, non impetrata apud Prætorem uenia, uocauerit, pœnam quinquaginta aureorum luunto, l. iij. §. prætor ait. & l. pen. & l. ult. ff. de in ius uoc. & in. §. fi. ff. de pœna temere litigantium ubi obiter aduertendum solidum uocari, quem nos aureum dicimus, cum eiusdem sint naturæ, in l. ij. C. de sportu. ita iureconsultus, in l. si uero plures. §. ait Prætor. ff. de ijs qui deiecerunt uel effud. x. solidos appellat, quos Iustinianus in §. item is cuius. Instit. de obliga. quæ ex quasi delicto. x. aureos. Dictus solidus, quia iusto & integro pondere erat percussus, apud Lampridium in Alexandro. Vnde facile cognoscis quid sibi. §. si quis. de pace tenenda. in usib. feudorum, uelit: ubi est, eum qui aliquid sit furatus quod v. solidos uel pluris ualet, suspendio dandum: sin minoris, scopis & forpice excoriandum, tondendumq;. Vult enim, eum tantum laqueo strangulandum, qui v. aureos

Operæ libertorum.

Liberti quãdo in seruitutẽ retruduntur.

Solidus idem quod aureus.

Locus ex feudis.

aureos uel ultra esset furatus, hodie tamen exautoratus est & in aliam formam redactus, uti deinceps uidere est, de furtis: magis enim frequentiam furtorum quàm temerarium hominis lapsum inspicere iubemur.

TITVLVS VI.

Quibus ex caussis manumittere non licet.



VIBVS non est permissum manumittere & ex quibus caussis, exponit: id autem duobus fit modis, aut in ijs qui in fraudem creditorum manumittunt, aut, qui necdum XVII. expleto anno, id facere præsumunt. Porrò in fraudem creditorum manumittit qui uel eo tempore, quo fit manumißio tantum in bonis non habet, unde creditoribus satisfiat, uel præter seruos non habet unde poßit esse soluendo, præsertim seruis in libertatem adscitis, & ut hoc obtineat, atque manumißio uti lege Aelia Sentia est, reuocetur, oportet eo animi dolo manumissor id fecerit quo creditores defraudet, & quod euentus damni bonis non suffecturis interueniat, l. in fraudem. & l. qui in fraudem. ff. qui & à quibus manu. & l. j. C. qui manu. nō possunt.

Manumissio in fraudē creditorum.

Sed quia iniuria est bona defuncti ab intestato creditorum nominibus distrahi, cum intersit publicæ, & ut defuncti successores habeant, qui ut creditoribus respondeant, ita etiam uoluntates ipsorum exequantur. in l. & quia. ff. de interrogat. actio. & l. quod autem. ff. de bon. poß. & l. j. ff. de succeßorio edicto. & l. id quod pauperibus.

Interest defunctum successorē habere.

ribus.C.de epiſ. & cleric. fit ut qui facultates ſuas ſuſpectas habent, & ſoluendo ſe eſſe ægre ſperant, unum ſeruum neceſſarium hæredem etiam in fraudem creditorum relinquere permittantur, quo caſu ſi creditoribus ſatisfieri non queat, potius eius hæredis quàm teſtatoris bona per creditores poßideantur, uel diſtrahantur. Inſti. *de hæredum quali. & diffe.§. neceſſarius. & de hæredibus inſtitu.§.ſeruus.* Et *is ſeruus ſic inſtitutus etiam ſi libertatis nulla ſit mentio habita per teſtatorem, libertatẽ tñ conſequitur, iuxta.l.*1.*&.l.quidam.§.ſed cum ueteres.*C. *de ſeruis neceſſa.hæred.inſti.* Q*uod idem locum habet, quando plures ſerui ex ordine nominati hæredes inſtituũtur, nam primo nominatus in fraudem creditorum & liberatur & fit hæres.l.ſi quis habens.ff.qui & à quibus. &.l qui non ſoluendo.ff. de hæredib. inſti.* Q*uo caſu ſi plures ſerui ſimul, non habito inſtitutionis ordine inſtituantur, nulli libertas contingit, ſed alter alteri eſt damno, in.l.qui ſoluendo.ff.eo.* Seruus neceſſarius hæres.

Semel autem cauſſa &c.

M*Anumittendi non facilis cauſſa eſſe poteſt, ſemel autem approbata & recepta, ut diuus* Pius *reſcribit, non uenit amplius refricanda, iudicis itaque arbitrio huiuſmodi cauſſe examen lex commiſit, quo fit ut cauſſæ probandæ, & non iam probatæ ſit contradicendum, libertas enim ex qualicunque cauſſa obtenta, retractanda non uenit, in.l.iuſta cauſſa. ff.de manu. uindicta. niſi abſente eo cuius intererat, aut clanculum, caußa'ue minus probabili manumißio ſit facta, quo caſu reuocari* Libertas quando retractatur.

potest.l.j.C.quando prouo.non est necesse.l.Seiæ.ff.de tu to. & cura. da. ab ijs.& l.j.& l.fi.ff.quæ sen. sine app. rescin.

Ideo nos mediam quodammodo uiam &c.

VEteri iure atq; item lege Aelia Sentia constitutum erat, ut quamlibet dominus XIIII. *annorum testamentum facere posit, & hæredem instituere, & legata relinquere, hæreditatem tamen seruis intra* XX. *annos conferre non posit, quod cum ferendum non esset ut is cui totorum suorum bonorum dispositio in testamento data erat, ne unum quidem seruum manumittere sineretur,*

XVII. anni ętate manumittere licet.

Iustinianus mediam uiam eligens, cauit eum qui XVII. *annos implesset libertatem dare posse, nam si* XIIII. *addas* VI. *iam resultant* XX. *quare* VI. *illos annos, qui restabant inter eum qui testamentum facere posit, atq; eum qui libertatē testamēto dare, mediatim secuit, &* III. *ad* XIIII. *posuit, ut sic manumitteret qui* XVII. *annos haberet, aliâs enim mediū iureconsultis ut eligendū commendatur.l.antiqui.ff.si pars hæredi.petatur.l.solent.§. fi.ff. de offi.procon.in Auten.de consul.colla.iiij. Mediam siquidem uiam tenuere beati. & adnotatur in.l.j.§. labeo. ff.de aqua plu.arcen.& est uia iusticiæ & æquitatis, usq; adeo neq; ad dexterā neq; ad sinistram declinandū.ut Salomon prouerb.iiij.monet, quemadmodum de Iosia iiij. Regum xxij.scribitur, Fecitq; quod placitum erit domino, & ambulauit per omnes uias Dauid patris sui, nō declinauit ad dexteram neq; ad sinistram, quæ Numerorum* XX. *ca.uia publica, &* XXI. *uia regia dici uidetur, Tam-*

Medīū eligendum.

étsi

etsi symbolū illud quod Pythagoræ aliqui adscribūt λεωφόρους βαδίζειν, id est, per publicam uiam ne ambules, ad aliud respicere uideatur, nempe ne uulgi errores (ut Diuus Hieronymus exponit) sequamur. Cæterum medio quātum ueteres adtribuerint, ut Philosophos taceam, Hesiodus in Ἔργοις *locuples testis est hisce uerbis,*

Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός

Stulti haud cognorunt, quàm toto dimidium plus. Dimidiū plus toto.

Tractat hanc sententiam Fusius Plato in III. *de legibus.*

TITVLVS VI.

De lege fusia Caninia tollenda..



LEGE Fusia Caninia cauetur, inquit Iulius Paulus in IIII. *receptarum sententiarum, ut certus seruorum numerus testamento manumittatur, subductis igitur à duobus usque ad* x. *pars dimidia, à* x. *usq; ad* xxx. *pars tertia, usq; ad centum pars quarta, à centum usq; ad quingentos pars quinta, plures autem quàm centum ex maiori numero seruorum manumitti non licet. Caius autem sic. Constitutum est quantum seruorum numerū testamento, de quanta familia liceat manumitti, hoc ordine ut si quis* II. *seruos habet, ambos manumittere posit, qui uero* III. *duos testamento manumittat, si* IIII. *similiter* II. *qui* VI. *tres, qui* VIII. *quatuor, qui* x. *quinq;, qui* XI. XII. XIII. XIIII. X. *&* V. X. *&* VI. X. *et* VII. *similiter quinq;, qui* x. *&* VIII. *sex. & ab hoc numero usq; ad* XXX. *tertiam partem manumittere liceat, qui amplius quàm* XXX. *habuerit usq; ad centū, quartam partē de numero* Seruorum manumittendorū numerus.

seruorum manumittere potest, qui uero plures quàm centum habuerit, quintam partẽ manumittere potest, sed & hoc statutum est, ut de qualibet grandi familia, nulli amplius quàm centum testamento manumittere liceat. Nam qui aut in ecclesia, aut ante COS. *aut inter amicos, aut per epistolam manumittere uoluerit, potest his manumissionibus omnem familiam iugo seruitutis absoluere: quia uero inhumanum uisum est, id in testamento facere, non esse permissum, quod in uita haud ægre licet,* Iustinianus *hanc legem ceu libertatis inuidiam quandã e medio sustulit, neq; ullũ manumittendorũ numerũ amplius præstitui uoluit, sed oẽs libertates, tam directas quàm fideicommissarias in testamento iuxta atq; inter uiuos ualere, ut hic, & in vij. Codicis libro, de lege Fusia Caninia tollenda.*

Lex Fusia Caninia sublata.

TITVLVS VIII.

De ijs qui sunt sui uel alieni iuris.



LTERA *personarũ diuisio potest esse, qua aliquæ personæ sui iuris sunt, aliquæ alieno iuri subiectæ, id quod etiam liberis personis contingere solet. Itaq; cum ostenditur quæ persone alieno iuri subijciantur, ex aduerso facile atque euidenter agnoscitur, ut inquit Caius, quæ sui iuris sunt, in potestate itaque dominorum sunt serui, quam potestatem omnes gentes habere certum est, catenus ut etiam in necem seruorum illa ipsa sit obtenta, sed hodie ex rescripto* D. Pij *Antonini ad Aelianum Martianum Euticiæ Procos. non permittitur dominis ultra modum sæuire in mancipia sua, licet uirgis cædere aut emendare ea huma*

In seruos quatenus sęuire licet.

ca humanis modis permittantur, aut ergastulis compesceere.l.j.C.de emendati.seruo.& habet Columella in j. rei rusticæ lib.ca.viij. Sin uero seruus eo casu sit deprehensus quo etiam leges eum occidere indulgent,nihil periculi est cum neci dare,ut si in adulterio cum uxore domini,aut cum filia in stupro sit comprehensus.l.qui seruum.ff.de uerb.oblig.l.seruum quem.ff.de pigno.& l. quid ergo.§.si hæres.ff.de leg.j. & non modo seruum, sed etiam quemlibet adulterum,modo uilis sit cōditiōis, apud uxorem in ædibus interceptum,maritus occidit impune.l.gracchus.C.ad legem Iuliam de adult.l.mariti.& l.si adulterium.§.imperatores.ff de adult.Adde patrem, etiam adulterum cum filia in ædibus suis,uel generi deprehēsum unà cū filia ipsa interficere posse,nisi filia secedente non stet per patrem quin eam quoq; occidat.in l. patri.cum aliquot sequētibus.& l.nihil.ff.de adulterijs. Bar.in l.imperator.ff.de statu hominum. Adulter occiditur impune.

Qui ad ædem sacram uel ad statuam Principis &c.

MOses ille sacer dux,postquàm Israëlitas populum sibi commissum in patrium solum reduxerat in tribus,& ijs ciuitatibus quas ipse condiderat, asylum constituit: ad quod illi tantum profugientes, qui dolo non sic pertinaci neque ex proposito facinoris consilio, homicidium perpetrassent, extrahi atque abduci non permittebantur, ut Iosephus in iiij. antiqui. refert. Post deinde cum Hercules è terris commigrasset, nepotes eius timentes forte eos, quos auus adflixerat, Asylum.

 Athenis

Athenis Asylũ ἀπὸ τοῦ α, καὶ σύλαω, id est, trahere, quasi asyrum, ut inquit Seruius in II. Aeneid. uel miserícordiæ templũ collocarunt, unde neminem per uim extrahi fas esset. Testatur post Plutarchũ in uita Thesei, etiã Statius in II. Thebaidos libro:

Fama est defessos acie post busta paterni
Numinis Herculeos, sedem fundasse nepotes,
Sic sacrasse loco commune animantibus ægris.
Confugium.

Romulus quoque ut quàmplurimos haberet aduentitios & suæ farinæ homines quibus cũ urbem ampliaret Asylum in urbe ad imitationem Atheniensis constituit, ad quod quisquis quamlibet scelestus confugeret, ab omni noxa liberatus esset, apud Liuium in j. ab urb. condi. & Halycarnasseum in II. Virgilius in VIII. Aeneidos,

Hinc lucum ingentem quem Romulus acer asylum.
Retulit.

Et Ouidius in quarto Fastorum,

Romulus ut saxo lucum circundedit alto.
Quilibet huc inquit confuge, tutus eris.

In Asyli imitationem per Pontifices inductum est, ut ad aras uel ædem sacram confugientes non secus quàm ad Ad statuam cõfugientes. *Principum statuas atque simulachra, qualia & nostra ætas in nõnullis ciuitatibus posita uidet, Imperatoris maiestate sint tuti, & haud quaquàm extrahi queant, l. fideli. & l. præsenti. C. de ijs qui ad ecclesiam confug. & l. unica. C. de ijs qui ad statu. princip. confug. in cap. inter alia. extra de immunitate ecclesiæ & cœmi. Sũt tamẽ crimina quibus neque ad aras, neque ad statuas principum suffugia*

suffugia conceduntur, qualia sunt homicidium, adulte- rium, uirginum raptus, tributorum exactio, publicum la trocinium, nocturna depopulatio, & id genus malefi- cia, in quae ut animaduertatur reipublicae interest, in Au tentica, de mandatis Principum. §. neque autem. collat. III. & in citato c. inter alia. extra de immun. eccles. Prae terea seruus armatus eripitur, in l. si seruus, C. de ijs qui ad eccl. confug. Ad statuas qui non sunt tuti.

TITVLVS IX.

De patria potestate.

ROMVLVS *inter eas leges quas curia- tim rogauit, hanc quoq; tulit, si Plutarcho credimus, Filius quãdiu uixerit, in patris potestate maneto, quare neq; nuptiae ipsã soluunt, sed perpetuo manet, nisi aliâs legitimis modis di spereat, insti. de iniurijs. §. patitur. & §. sedet. Est au- tem patria potestas ius illudq́d pater uel auus in perso nas liberorũ qui ex iustis nuptijs procreati sunt, habet, in l. potestatis. ff. de uerb. sig. quod ius auus paternus so lum habet, aut auo mortuo, ipse pater. Et sic nepos perin de atq; filius in aui est potestate, iuxta l. sic eueniet. ff. de adult. l. fin. C. de leg. tute. l. liber homo. §. fin. ff. de acqui. rerum do. & non mater. l. in coniunctum. C. de nuptijs. l. nulla. ff. de suis & legit. l. illud. ff. de contra tab. infra de haeredum qualitate & diffe. §. caeteri.* Patria potestas

Ex quibus apparet liberos ex filia tua procreatos in tua potestate non esse, sed patris ipsorum, aut eo defi- ciente aui paterni usq; adeo qui nascuntur patris & non

matris familiam sequuntur, l. familiæ. ff. de uerb. sign. l. filiam. & l. liberos. ff. de senato. l. exemplo. & l. eos. C. de decurio. lib. x. Institu. de legit. agna. tutela. §. j. cæterum patria potestas multifariam operatur. Nam *filiusfamilias neque ex mutuo neq; ex uoto obstringi pōt patre nō adsentiente, ut in* Pandectis *ad senatusconsultum* Macedonianum *pluribus locis cauetur, & l. si quis rem. §. uoto. ff. de pol.* Item *testamentum aut codicillos facere non potest, quamuis pater adsentiatur, l. pen. & fin. C. qui testa. facere poss.* Neq; *mortis causa donare potest nisi consensum præbeat pater, in l. iam is qui. §. j. ff. de dona. mortis caussa.* Item *filiusfa. institutus hæres, si infans hæreditate non adita decesserit, pater eam hæreditatem iure patriæ potestatis adipiscitur. notatur in l. si infanti. C. de iure delib.* Item *filius potest à patre, in cuius est potestate, corripi atq; emendari. l. j. C. de emendat. pro. & l. si filius. C. de patria potesta.* Proinde *filiusfa. nō potest matrimonium contrahere, nisi patre consentiente, neq; tuto rem, nisi certo in casu, ut infra in titu. j. in princip. & l. nuptiæ. ff. de ritu nupt. & l. fi. C. de senten. passis.* Sin *autem in uiuis est auus, nihil proderit patris patrimi adsensus, sed oportet ut filiusfa. legitime cōtrahat, aut tale qd faciat, cui adsit consensus, utpote eius, in cuius tantū est potestate, nisi in caussa religionis aut uoti, nā pater inuito auo, potest filium religioni addicere, aut uotis obstringere, ut latius est apud* Ludo. Rom. *consi. ccccxij.*

Effectus patriæ potestatis.

TITVLVS X.

De nuptiis.

Patriam



ATRIAM *potestatem ex iustis nuptijs (quas ueteres à nubendo .i. uelando dixere, quia nouæ nuptæ flamine caput integere solebant) deriuari exposuit, id ut altius repetat, docet quæ sint iustæ nuptiæ, quod tum facilius cõstare existimat, si cognouerimus inter quas personas nuptiæ legibus prohibentur.* Postremo *insinuat posse fieri, ut quis ex iustis nuptijs nõ sit progenitus, postea tñ legitimis modis patriæ potestati subijciatur. Iustas igitur, hoc est, legitimas nuptias dicimus, si* Romanus Romanã, *hoc est, liberæ cõditionis masculus, liberã ducat uxorem, ad quarũ robur, opus est masculus* XIIII. *& fœmina* XII. *sit annorum. Præterea ut cõsentiãt nõ solũ qui iungũtur, sed etiã parẽtes sub quorũ sunt potestate, est etiã in .l. nuptiæ .ff. de ritu nuptiarũ. & .l. nec filiũ. C. de nuptijs. quod uerum est nisi parẽtes sint uel mẽte capti aut furiosi, uel per triẽnium absentes, eo maxime tempore quo nubilis est ætas, iuxta .l. si furiosi. C. de nupt. & .l. si nepos. l. si ita pater. ff. eo. & .l. iam dementis. C. de episc. audi. Quo tamen casu si parens adeo saxeus aut sordidus esse uelit, ut liberis suis nuptiarum conditionem aut quærere negligat, aut consensum præbere recuset, tunc per* Præsidẽ *eos & matrimonio collocare, & rite, & secundum facultates suas dotare iubetur, iuxta .l. qui liberos. ff. eo. tit. sed ius ciuile quia eorum parentum cõsensum tantum requirit in quorum potestate sunt contrahentes, hoc est patrum & auorum, cum in matris potestate liberi esse non poßint, ius diuinum nonnihil addit, & matris quoq; consensum non abhorret, eo maxime loci ubi patrem & matrem honorandos*

Iustæ nuptiæ.

Consensus parentum.

norandos præcipit, cui rei decreta Pontificum hunc modum adtribuêre, ut in nubentibus, matrimoniumq; cõtrahentibus, consensus solum necessarius habeatur : cæterum quòd parentes quoq; adsentire debeant, honestatis tantum esse, sibi persuasum habent, est in c. sufficiat xxvij. q. ij. & c. hoc sanctum. xxxij. q. ij. & c. cum locum. extra de sponsa. & matri. Apud ueteres, autore Boetio, tribus modis uxor habebatur, Vsu, cum qua domi uiuebat, nullis interuenientibus ceremonijs, de quo est in l. uicinis. C. de nuptijs. Confarratione, quæ solis Pontificibus conueniebat: & fiebat farreo libo adhibito: & Coemptione, quã certis interim solennitatibus peragebant, nam uir mulierem interrõgabat, uellet'ne sibi materfamilias esse, et illa respondebat uelle, rursum mulier interrogabat, an uir sibi paterfamilias esse uellet, ille respondebat uelle, itaq; mulier uiri conueniebat in manum, & uocabantur hæ nuptiæ per coemptionẽ, & hæc mulier proprie materfamilias dicebatur, ut quæ in mariti manu mancipioq; esset, & non solum in matrimonium, sed in familiam quoq; mariti & in filiæ atq; sui hæredis locum uenisset. at etiam Gellius libro xvij. c. v. scribit, Binas habere uxores quidam infamiæ, nonnulli stupri pœna uolunt plecti, in. l. neminem. C. de incestis nupti. & l. eũ qui duas. C. de adulte. quam obseruationem & Principum constitutionibus, & moribus diu receptam, unus Valentinianus Imperator, ut eo liberius uxori quam habebat alteram adiungeret, prodentibus historijs peßimo facti exemplo posthabens, permisit ut unusquisq; duas uxores habere posset. Cæterum qui matrimonium cõtrahere

Materfamilias.

Binas vxores non habendas.

Nuptiæ, prohibentur.

probi

prohibentur, non unam ubiubi consyderationem habent. Moses enim diuinus ille legislator, monente domino, lege cauit, ut est Leuitici XVIII. ne quis cum matre, patre, nouerca, sorore, nepte ex filia, filia nouercæ, sorore patris, sorore matris, fratre patris, eius'ue uxore, nuru, uxore fratris, priuigna, priuignæ'ue filia, & sorore uxoris suæ, consuetudinem habeat. Deinde ius ciuile nuptias aliter expendit, idq; ut alij dicantur, ascendentes & descendentes, alij ex transuerso collaterales, & alij adfines. Inter eas siquidem personas quæ ascendentes sunt & descendentes, hoc est, quæ parentum liberorum'ue locum obtinent, nuptiæ contrahi nõ possunt, eatenus ut nec qui per adoptionem parẽtes aut liberi esse cœperint, id facere permittantur, est in. l. nuptiæ. ff. de ritu nupt. & l. nemini liceat. C. eo. Inter transuersales nõn sic arctum ius est, nam in quartum usq; gradum nuptiæ solum prohibentur, sic filios duorum fratrum uel sororum matrimonio iungi, leges non abhorrent, & post hunc locum est, in. l. in celebrandis. C. de nuptijs. l. si neptem. & l. non solum ff. de ritu nuptia,

Adfinitatis quoq; ueneratione à quorundam matrimonijs abstinetur. Est autem adfinitas, quam ex coitu proximitatem personæ cõtrahimus, & oritur tam ex coitu nefario, quàm nuptiali, quo casu, neq; socrum, neq; nouercam, neq; priuignam, neq; nurum in matrimoniũ ducere licet: est latius in c. discretionem. & c. tuæ. extra de eo qui cog. uxo. suæ consangui. & c. per tuas. de proba. & c. unico. de spon. & matri. in VI. id quod publicæ honestatis gratia receptum uidetur, monente Herennio Modestino Adfinitas.

stino,in.l.semper.ff.de ritu nuptia.l.semper in coniũctionibus.ff.de reg.iuris.ubi non solum quod liceat consyderandum est,sed & quod honestum est.

Præterea sunt personæ inter quas officij ergô nuptiæ non permittuntur, sic tutori,eius'ue filio aut nepoti non licet pupillam uxorem ducere, constituto in hoc senatusconsulto,iuxta.l.senatusconsulto.ff.de ritu nupt.l.j. & l. si tutor.cum.l.fi.C. de interdicto matri.proinde Senatores eorumq; liberi,libertinam uxorem habere prohibentur,idq; iure Pandectarum,in.l.iulia. & l. papiniana.ff. de ritu nupt.sed nouißimo Autentico iure hoc emendatũ est,quo nihil impedimenti habent,iuxta Auten.ut liberti decætero.§.si quis autem.colla.vj.

Officij ergo nuptiæ ꝓhibent. *Sunt quoq; plures personæ inter quas nuptias esse nõ licet, qualis est Præses prouinciæ atque subdita eius.l si quis.ff.de ritu nupt.l.qui in prouin.& l.& si contra.C. eo.& l.j.C.si quacun.præditus potesta. Item liberæ conditiõis homo seu ingenuus atq; serua.l.cum ancillis.C.de incest.nuptijs.Item suscipiens & ea quã quis è sacro baptismatis fonte susceperit,tractatur in.l.si quis alumnã. C.de nupt.Reliqua nuptiarum impedimenta prudẽs missum facio,quorum aliqua habentur in Auten. quomodo oportet epis.§. neq; autẽ.colla.j.& in Auten. de sanctiß. episcop.§.si quis.colla.ix.& in Auten. de monachis.§. ante p.& in Auten.de rap.mul.quæ prop.rap.nub.coll.ix.*

Postremo constitutionibus Pontificis modus nuptijs præstitutus est,quem & aliquandiu sic obseruatum esse, nemo ambigit, qui non omni ex parte cum legibus pugnat,nam in ijs qui parentum liberorum'ue loco sunt, nihil

nihil immutatur, sed perpetuum est impedimentũ, quare Adamus ille protoplastus si inter uiuos ageret, legitimã uxorem ægre habiturus esset, ut is ex quo recta parentela omnes descendimus. Neq; in adfinium ratione ad modum pugnatur. Sed ad trãsuersales quod adtinet, matrimonia etiam in quarto gradu fieri non licet eo modo, quo duas semper personas in unum computant gradum, uerbi gratia, Simon filios habuit Pamphilum *&* Carinũ, *primũ gradum constituentes, qui rursum ille* Ioannem, *hic uero* Stephanum, *in* II. *gradu genuerunt, ex* Ioanne, Fridericus, *ex* Stephano *autem* Anna, *nati sunt.* III. *gradũ efficientes, amplius,* Fridericus Catarinam, Anna *uero* Georgium, *in* IIII. *gradu relinquere, inter has personas nuptiæ uti ius* Pontificum *constituit, esse non possunt, in omnibus autem, eas sequentibus, puta in* V. *gradũ diductis quia cõsanguinitas à quarto statim gradu disperit, matrimonia esse legitima nihil prohibet, est in c. non debet. de consangui. & adfinitate. quod emendauit c. progeniem. cum aliquot sequentibus, xxxv. q. iiij. quo consanguinitas in septimum usque gradum olim prorogabatur.*

Adam uxorem non inueniret.

Ius Pontificum nuptias prohibet

Quicunq; igitur aduersus legũ præcepta nuptias contrahunt præter hoc quod coitus eorum nuptiæ haud appellantur, cum nec uirum nec uxorem leges agnoscant, etiam dote carent. ut quæ non debetur, unde qui nascuntur non sunt in patria potestate, sed uel spurij, uel nothi, uel cõcepti uulgo, aut naturales tantũ fiunt. Bona *quoq; eorum qui sic contrahunt, in publicum ærarium adsciscuntur, nisi ex priori matrimonio superstites fuerint liberi, qui ea uindicare ex ærario queant.* Personæ *autẽ sic contrah*

Pœne nuptiarum illegitimarum.

potest.l.j.C.quando prouo.non est necesse.l.Seiæ.ff.de tu to. & cura. da. ab ijs.& l.j.& l.fi.ff.quæ sen. sine app. rescin.

Ideo nos mediam quodammodo uiam &c.

VEteri iure atq; item lege Aelia Sentia constitutum erat, ut quamlibet dominus XIIII. annorum testamentum facere poßit, & hæredem instituere, & legata relinquere, hæreditatem tamen seruis intra XX. annos conferre non poßit, quod cum ferendum non esset ut is cui totorum suorum bonorum dispositio in testamento data erat, ne unum quidem seruum manumittere sineretur, Iustinianus mediam uiam eligens, cauit eum qui XVII. annos implesset libertatem dare posse, nam si XIIII. addas VI. iam resultant XX. quare VI. illos annos, qui restabant inter eum qui testamentum facere poßit, atq; eum qui libertatē testamēto dare, mediatim secuit, & III. ad XIIII. posuit, ut sic manumitteret qui XVII. annos haberet, aliâs enim mediū iureconsultis ut eligendū commendatur.l.antiqui.ff.si pars hæredi.petatur.l.solent.§.fi.ff. de offi.procon.in Auten.de consul.colla.iiij. Mediam siquidem uiam tenuere beati. & adnotatur in.l.j.§. labeo. ff.de aqua plu.arcen.& est uia iusticiæ & æquitatis, usq; adeo neq; ad dexterā neq; ad sinistram declinandū.ut Salomon prouerb.iiij. monet, quemadmodum de Iosia iiij. Regum xxij. scribitur, Fecitq; quod placitum erit domino, & ambulauit per omnes uias Dauid patris sui, nō declinauit ad dexteram neq; ad sinistram, quæ Numerorum XX. a uia publica, & XXI. uia regia dici uidetur, Tametsi

XVII. anni ętate manumittere licet.

Mediū eligendum.

etsi symbolũ illud quod Pythagoræ aliqui adscribũt λεω φόρϐ βαδίζειν*, id est, per publicam uiam ne ambules, ad aliud respicere uideatur, nempè ne uulgi errores (ut* Diuus Hieronymus *exponit) sequamur. Cæterum medio quã tum ueteres adtribuerint, ut* Philosophos *taceam,* Hesiodus *in* Εργοις *locuples testis est hisce uerbis,*

Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός

Stulti haud cognorunt, quàm toto dimidium plus. Dimidiũ plus toto.

Tractat hanc sententiam Fusius Plato *in* III. *de legibus.*

TITVLVS VI.

De lege fusia Caninia tollenda..

LEGE *Fusia Caninia cauetur, inquit* Iulius Paulus *in* IIII. *receptarum sententiarum, ut certus seruorum numerus testamento manumittatur, subductis igitur à duobus usque ad* x. *pars dimidia, à* x. *usq; ad* xxx. *pars tertia, usq; ad centum pars quarta, à centum usq; ad quingentos pars quinta, plures autem quàm centum ex maiori numero seruorum manumitti non licet.* Caius *autem sic. Constitutum est quantum seruorum numerũ testamento, de quanta familia liceat manumitti, hoc ordine ut si quis* II. *seruos habet, ambos manumittere poßit, qui uero* III. *duos testamento manumittat, si* IIII. *similiter* II. *qui* VI. *tres, qui* VIII. *quatuor, qui* X. *quinq;, qui* XI. XII. XIII. XIIII. X. *&* V. X. *&* VI. X. *et* VII. *similiter quinq;, qui* X. *&* VIII. *sex. & ab hoc numero usq; ad* XXX. *tertiam partem manumittere liceat, qui amplius quàm* XXX. *habuerit usq; ad centũ, quartam partẽ de numero* Seruorum manumittendorũ numerus.

seruorum manumittere potest, qui uero plures quàm centum habuerit, quintam partē manumittere potest, sed & hoc statutum est, ut de qualibet grandi familia, nulli amplius quàm centum testamento manumittere liceat. Nam *qui aut in ecclesia, aut ante* COS. *aut inter amicos, aut per epistolam manumittere uolucrit, potest his manumissionibus omnem familiam iugo seruitutis absoluere: quia uero inhumanum uisum est, id in testamento facere, non esse permissum, quod in uita haud ægre licet,* Iustinianus *hanc legem ceu libertatis inuidiam quandā è medio sustulit, neq; ullū manumittendorū numerū amplius præstitui uoluit, sed oēs libertates, tam directas quàm fideicommissarias in testamento iuxta atq; inter uiuos ualere, ut hic, & in vij. Codicis libro, de lege Fusia Caninia tollenda.*

Lex Fusia Caninia sublata.

TITVLVS VIII.

De ijs qui sunt sui uel alieni iuris.



ALTERA *personarū diuisio potest esse, qua aliquæ personæ sui iuris sunt, aliquæ alieno iuri subiectæ, id quod etiam liberis personis contingere solet.* Itaq; *cum ostenditur quæ persone alieno iuri subijciantur, ex aduerso facile atque euidenter agnoscitur, ut inquit Caius, quæ sui iuris sunt, in potestate itaque dominorum sunt serui, quam potestatem omnes gentes habere certum est, catenus ut etiam in necem seruorum illa ipsa sit obtenta, sed hodie ex rescripto D. Pij Antonini ad Aelianum Martianum Euticiæ Procos. non permittitur dominis ultra modum sæuire in mancipia sua, licet uirgis cædere aut emendare*

In seruos quatenus sæuire licet.

ea huma

ea humanis modis permittantur, aut ergastulis compescere. l. j. C. de emendati. seruo. & habet Columella in j. rei rusticæ lib. ca. viij. Sin uero seruus eo casu sit deprehensus quo etiam leges eum occidere indulgent, nihil periculi est cum neci dare, ut si in adulterio cum uxore domini, aut cum filia in stupro sit comprehensus. l. qui seruum. ff. de uerb. oblig. l. seruum quem. ff. de pigno. & l. quid ergo. §. si hæres. ff. de leg. j. & non modo seruum, sed etiam quemlibet adulterum, modo uilis sit cōditiōis, apud uxorem in ædibus interceptum, maritus occidit impune. l. gracchus. C. ad legem Iuliam de adult. l. mariti. & l. si adulterium. §. imperatores. ff de adult. Adde patrem, etiam adulterum cum filia in ædibus suis, uel generi deprehēsum unà cū filia ipsa interficere posse, nisi filia secedente non stet per patrem quin eam quoq; occidat. in l. patri. cum aliquot sequētibus. & l. nihil. ff. de adulterijs. Bar. in l. imperator. ff. de statu hominum. Adulter occiditur impune.

Qui ad ædem sacram uel ad statuam Principis &c.

MOses ille sacer dux, postquàm Israëlitas populum sibi commissum in patrium solum reduxerat in tribus, & ijs ciuitatibus quas ipse condiderat, asylum constituit: ad quod illi tantum profugientes, qui dolo non sic pertinaci neque ex proposito facinoris consilio, homicidium perpetrassent, extrahi atque abduci non permittebantur, ut Iosephus in iiij. antiqui. refert. Post deinde cum Hercules è terris commigrasset, nepotes eius timentes forte eos, quos auus adflixerat, Asylum.

Athenis Asylũ ἀπὸ του α, και σύϱαν *,id est,trahere,quasi asyrum,ut inquit Seruius in* II. *Aeneid.uel miſericordiæ templũ collocarunt,unde neminem per uim extrahi fas eſſet.Teſtatur poſt Plutarchũ in uita Theſei,etiã Statius in* II. *Thebaidos libro:*

Fama eſt defeſſos acie poſt buſta paterni
Numinis Herculeos,ſedem fundaſſe nepotes,
Sic ſacraſſe loco commune animantibus ægris.
Confugium.

Romulus quoque ut quàmplurimos haberet aduentitios & ſuæ farinæ homines quibus cũ urbem ampliaret Asylum in urbe ad imitationem Athenienſis conſtituit, ad quod quiſquis quamlibet ſceleſtus confugeret, ab omni noxa liberatus eſſet,apud Liuium in j. *ab urb.condi.& Halycarnaſſeum in* II. *Virgilius in* VIII. *Aeneidos,*

Hinc lucum ingentem quem Romulus acer aſylum.
Retulit.

Et Ouidius in quarto Faſtorum,

Romulus ut ſaxo lucum circundedit alto.
Quilibet huc inquit confuge,tutus eris.

In Asyli imitationem per Pontifices inductum eſt, ut ad aras uel ædem ſacram confugientes non ſecus quàm ad Principum ſtatuas atque ſimulachra, qualia & noſtra ætas in nõnullis ciuitatibus poſita uidet,Imperatoris maieſtate ſint tuti,& haud quaquàm extrahi queant,l.fideli.& l.præſente.C.de ijs qui ad eccleſiam confug.& l.unica.C.de ijs qui ad ſtatu. princip.confug.in cap. inter alia.extra de immunitate eccleſiæ & cœmi.Sũt tamẽ crimina quibus neque ad aras,neque ad ſtatuas principum

Ad ſtatuam cõfugientes.

ſuffugia

suffugia conceduntur, qualia sunt homicidium, adulterium, uirginum raptus, tributorum exactio, publicum latrocinium, nocturna depopulatio, & id genus maleficia, in quæ ut animaduertatur reipublicæ interest, in Autentica, de mandatis Principum. §. neque autem. collat. III. & in citato c. inter alia. extra de immun. eccles. Præterea seruus armatus eripitur, in l. si seruus, C. de ijs qui ad eccl. confug. Ad statuas qui non sunt tuti.

TITVLVS IX.
De patria potestate.



R**OMVLVS** *inter eas leges quas curiatim rogauit, hanc quoq; tulit, si Plutarcho credimus, Filius quãdiu uixerit, in patris potestate maneto, quare neq; nuptiæ ipsã soluunt, sed perpetuo manet, nisi aliâs legitimis modis dispereat, insti. de iniurijs. §. patitur. & §. sedet. Est autem patria potestas ius illud qd' pater uel auus in personas liberorũ qui ex iustis nuptijs procreati sunt, habet, in l. potestatis. ff. de uerb. sig. quod ius auus paternus solum habet, aut auo mortuo, ipse pater. Et sic nepos perinde atq; filius in aui est potestate, iuxta l. sic eueniet. ff. de adult. l. fin. C. de leg. tute. l. liber homo. §. fin. ff. de acqui. rerum do. & non mater. l. in coniunctum. C. de nuptijs. l. nulla. ff. de suis & legit. l. illud. ff. de contra tab. infra de hæredum qualitate & diffe. §. cæteri.* Patria potestas

Ex quibus apparet liberos ex filia tua procreatos in tua potestate non esse, sed patris ipsorum, aut eo deficiente aui paterni usq; adeo qui nascuntur patris & non

matris familiam sequuntur, l. familiæ. ff. de uerb. sign. l. filiam. & l. liberos. ff. de senato. l. exemplo. & l. eos. C. de decurio. lib. x. Institu. de legit. agna. tutela. §. j. cæterum patria potestas multifariam operatur. Nam filiusfamilias neque ex mutuo neq; ex uoto obstringi pōt patre nō adsentiente, ut in Pandectis ad senatusconsultum Macedonianum pluribus locis cauetur, & l. si quis rem. §. uoto. ff. de pol. Item testamentum aut codicillos facere non potest, quamuis pater adsentiatur, l. pen. & fin. C. qui testa. facere poss. Neq; mortis causa donare potest nisi consensum præbeat pater, in l. iam is qui. §. j. ff. de dona. mortis caussa. Item filiusfa. institutus hæres, si infans hæreditate non adita decesserit, pater eam hæreditatem iure patriæ potestatis adipiscitur. notatur in l. si infanti. C. de iure delib. Item filius potest à patre, in cuius est potestate, corripi atq; emendari. l. j. C. de emendat. pro. & l. si filius. C. de patria potesta. Proinde filiusfa. nō potest matrimonium contrahere, nisi patre consentiente, neq; tutorem, nisi certo in casu, ut infra in titu. j. in princip. & l. nuptiæ. ff. de ritu nupt. & l. fi. C. de senten. passis. Sin autem in uiuis est auus, nihil proderit patris patrimi adsensus, sed oportet ut filiusfa. legitime cōtrahat, aut tale qd faciat, cui adsit consensus, utpote eius, in cuius tantū est potestate, nisi in caussa religionis aut uoti, nā pater inuito auo, potest filium religioni addicere, aut uotis obstringere, ut latius est apud Ludo. Rom. consi. ccccxij.

Effectus patriæ potestatis.

TITVLVS X.

De nuptiis.

Patriam

ATRIAM *potestatem ex iustis nuptijs (quas ueteres à nubendo i. uelando dixere, quia nouæ nuptæ flamine caput integere solebant) deriuari exposuit, id ut altius repetat, docet quæ sint iustæ nuptiæ, quod tum facilius cõstare existimat, si cognouerimus inter quas personas nuptiæ legibus prohibentur. Postremo insinuat posse fieri, ut quis ex iustis nuptijs nõ sit progenitus, postea tñ legitimis modis patriæ potestati subijciatur. Iustas igitur, hoc est, legitimas nuptias dicimus, si Romanus Romanã, hoc est, liberæ cõditionis masculus, liberã ducat uxorem, ad quarũ robur, opus est masculus* XIIII. *& fœmina* XII. *sit annorum. Præterea ut cõsentiãt nõ solũ qui iungũtur, sed etiã parẽtes sub quorũ sunt potestate, est etiã in. l. nuptiæ. ff. de ritu nuptiarũ. & . l. nec filiũ. C. de nuptijs. quod uerum est nisi parẽtes sint uel mẽte capti aut furiosi, uel per triennium absentes, eo maxime tempore quo nubilis est ætas, iuxta. l. si furiosi. C. de nupt. & . l. si nepos. l. si ita pater. ff. eo. & . l. iam dementis. C. de episc. audi. Quo tamen casu si parens adeo saxeus aut sordidus esse uelit, ut liberis suis nuptiarum conditionem aut quærere negligat, aut consensum præbere recuset, tunc per Præsidẽ eos & matrimonio collocare, & rite, & secundum facultates suas dotare iubetur, iuxta. l. qui liberos. ff. eo. tit. sed ius ciuile quia eorum parentum cõsensum tantum requirit in quorum potestate sunt contrahentes, hoc est patrum & auorum, cum in matris potestate liberi esse non poßint, ius diuinum nonnihil addit, & matris quoq; consensum non abhorret, eo maxime loci ubi patrem & matrem honorandos*

Iustæ nuptiæ.

Consensus parentum.

norandos præcipit, cui rei decreta Pontificum hunc modum adtribuêre, ut in nubentibus, matrimoniumq; cōtrahentibus, consensus solum necessarius habeatur: cæterum quòd parentes quoq; adsentire debeant, honestatis tantum esse, sibi persuasum habent, est in c. sufficiat xxvij. q. ij. & c. hoc sanctum. xxxij. q. ij. & c. cum locum. extra de sponsa. & matri. Apud ueteres, autore Boetio, tribus modis uxor habebatur, Vsu, cum qua domi uiuebat, nullis interuenientibus ceremonijs, de quo est in l. uicinis. C. de nuptijs. Confarratione, quæ solis Pontificibus conueniebat: & fiebat farreo libo adhibito: & Coemptione, quã certis interim solennitatibus peragebant, nam uir mulierem interrōgabat, uellet'ne sibi materfamilias esse, et illa respondebat uelle, rursum mulier interrogabat, an uir sibi paterfamilias esse uellet, ille respondebat uelle, itaq; mulier uiri conueniebat in manum, & uocabantur hæ nuptiæ per coemptionẽ, & hæc mulier proprie materfamilias dicebatur, ut quæ in mariti manu mancipioq; esset, & non solum in matrimonium, sed in familiam quoq; mariti & in filiæ atq; sui hæredis locum uenisset. at etiam Gellius libro xvij. c. v. scribit, Binas habere uxores quidam infamiæ, nonnulli stupri pœna uolunt plecti, in. l. neminem. C. de incestis nupti. & l. eũ qui duas. C. de adulte. quam obseruationem & Principum constitutionibus, & moribus diu receptam, unus Valentinianus Imperator, ut eo liberius uxori quam habebat alteram adiungeret, prodentibus historijs pessimo facti exemplo posthabens, permisit ut unusquisq; duas uxores habere posset. Cæterum qui matrimonium cõtrahere

Materfamilias.

Binas vxores non habendas.

Nuptiæ, prohibentur.

prohi

probibentur, non unam ubiubi consyderationem habent. Moses *enim diuinus ille legislator, monente domino, lege cauit, ut est* Leuitici XVIII. *ne quis cum matre, patre, nouerca, sorore, nepte ex filia, filia nouercæ, sorore patris, sorore matris, fratre patris, eius'ue uxore, nuru, uxore fratris, priuigna, priuignæ'ue filia, & sorore uxoris suæ, consuetudinem habeat.* Deinde *ius ciuile nuptias aliter expendit, idq; ut alij dicantur, ascendentes & descendentes, alij ex transuerso collaterales, & alij adfines.* Inter *eas siquidem personas quæ ascendentes sunt & descendentes, hoc est, quæ parentum liberorum'ue locum obtinent, nuptiæ contrahi nō possunt, eatenus ut nec qui per adoptionem parētes aut liberi esse cœperint, id facere permittantur, est in l. nuptiæ. ff. de ritu nupt. & l. nemini liceat.* C. *eo.* Inter *transuersales non sic arctum ius est, nam in quartum usq; gradum nuptiæ solum probibentur, sic filios duorum fratrum uel sororum matrimonio iungi, leges non abhorrent, & post hunc locum est, in l. in celebrandis.* C. *de nuptijs l. si neptem. & l. non solum ff. de ritu nuptia.*

Adfinitatis quoq; ueneratione à quorundam matrimonijs abstinetur. Est *autem adfinitas, quam ex coitu proximitatem personæ cōtrahimus, & oritur tam ex coitu nefario, quàm nuptiali, quo casu, neq; socrum, neq; nouercam, neq; priuignam, neq; nurum in matrimoniū ducere licet: est latius in c. discretionem. & c. tuæ. extra de eo qui cog. uxo. suæ consangui. & c. per tuas. de proba. & c. unico. de spon. & matri. in* VI. *id quod publicæ honestatis gratia receptum uidetur, monente* Herennio Mode- *stino* — Adfinitas.

stino,in.l.semper.ff.de ritu nuptia.l.semper in coniũctionibus.ff.de reg.iuris.ubi non solum quod liceat considerandum est,sed & quod honestum est.

Præterea sunt personæ inter quas officij ergô nuptiæ non permittuntur, sic tutori,eius'ue filio aut nepoti non licet pupillam uxorem ducere, constituto in hoc senatusconsulto,iuxta.l.senatusconsulto.ff.de ritu nupt.l.j. & .l. si tutor.cum.l.fi.C. de interdicto matri.proinde Senatores eorumq; liberi,libertinam uxorem habere prohibentur,idq; iure Pandectarum,in.l.iulia. & .l. papiniana.ff. de ritu nupt.sed nouißimo Autentico iure hoc emendatũ est,quo nihil impedimenti habent,iuxta Auten.ut liberti decætero.§.si quis autem.colla.vj.

Officij ergo nuptiæ ꝓhibent.

Sunt quoq; plures personæ inter quas nuptias esse nõ licet , qualis est Præses prouinciæ atque subdita eius.l si quis.ff.de ritu nupt.l.qui in prouin.& .l.& si contra.C. eo.& .l.j.C.si quacun.præditus potesta. Item liberæ conditiõis homo seu ingenuus atq; seruus.l.cum ancillis.C.de incest.nuptijs.Item suscipiens & ea quã quis è sacro baptismatis fonte susceperit,tractatur in.l.si quis alumnã. C.de nupt.Reliqua nuptiarum impedimenta prudẽs missum facio,quorum aliqua habentur in Auten. quomodo oportet epis.§. neq; autẽ.colla.j.& in Auten. de sanctiß. episcop.§.si quis.colla.ix.& in Auten. de monachis.§. ante p.& in Auten.de rap.mul.quæ prop.rap.nub.coll.ix.

Postremo constitutionibus Pontificis modus nuptijs præstitutus est,quem & aliquandiu sic obseruatum esse, nemo ambigit, qui non omni ex parte cum legibus pugnat,nam in ijs qui parentum liberorum'ue loco sunt, nihil

nihil immutatur, ſed perpetuum eſt impedimentũ, quare Adamus ille protoplaſtus ſi inter uiuos ageret, legitimã uxorem ægre habiturus eſſet, ut is ex quo recta parentela omnes deſcendimus. Neq; in adfinium ratione ad modum pugnatur. Sed ad trãſuerſales quod adtinet, matrimonia etiam in quarto gradu fieri non licet eo modo, quo duas ſemper perſonas in unum computant gradum, uerbi gratia, Simon filios habuit Pamphilum *&* Carinũ, *primũ gradum conſtituentes, qui rurſum ille* Ioannem, *hic uero* Stephanum, *in* II. *gradu genuerunt, ex* Ioanne, Fridericus, *ex* Stephano *autem* Anna, *nati ſunt.* III. *gradũ efficientes, amplius,* Fridericus Catarinam, Anna *uero* Georgium, *in* IIII. *gradu relinquere, inter has perſonas nuptiæ uti ius* Pontificum *conſtituit, eſſe non poſſunt, in omnibus autem, eas ſequentibus, puta in* V. *gradũ diductis quia cõſanguinitas à quarto ſtatim gradu diſperit, matrimonia eſſe legitima nihil prohibet, eſt in c. non debet. de conſangui. & adfinitate. quod emendauit c. progeniem. cum aliquot ſequentibus, xxxv. q. iiij. quo conſanguinitas in ſeptimum uſque gradum olim prorogabatur.*

Adam uxorem non inueniret.

Ius Pontificum nuptias phibet

Quicunq; igitur aduerſus legũ præcepta nuptias contrahunt præter hoc quod coitus eorum nuptiæ haud appellantur, cum nec uirum nec uxorem leges agnoſcant, etiam dote carent. ut quæ non debetur, unde qui naſcuntur non ſunt in patria poteſtate, ſed uel ſpurij, uel nothi, uel cõcepti uulgo, aut naturales tantũ fiunt. Bona *quoq; eorum qui ſic contrahunt, in publicum ærarium adſciſcuntur, niſi ex priori matrimonio ſuperſtites fuerint liberi, qui ea uindicare ex ærario queant.* Perſonæ *autẽ ſic*

Pœne nuptiarũ illegitimarum.

contrah

contrahentes, ubi contemptæ atq; uilis sint conditionis, uerberibus excipiuntur, aut si melioris, exilio multantur, l. incestæ. ff. eo. l. qui contra. & l. si quis. & auten. incæstus. & auten. ex complexu. C. de incæstis nuptijs.

Nefarie nuptiæ *Vbi aduertendum est, eas nuptias quæ inter ascendentis & descendentis lineæ homines, committuntur, proprio uocabulo nefarias dici, eas uerò, quarum collaterales in uetitis gradibus autores sunt, atque item adfines, incæ-*

Incestæ nuptiæ *stas. Reliquas uerò, modò illicitas modo inutiles uocari, licet etiam promiscuus huiusmodi uerborũ usus sit apud Iureconsultos, & est in nostro titulo. §. ergo. l. quinetiam & l. fin. ff. eo. l. si adulterum. ff. de adulte. est & gloss. in citata l. incæstæ. & in uerbo prohibitas. Auten. de incest. nupt. §. j.*

Quos mater uulgo concepit &c.

EOrum qui illegitime nascuntur appellationes multifariam apud utriusq; iuris interpretes habentur, in quibus ne statim atq; ex improuiso impĩgas, ita se habẽt.

Naturales. *Naturales dicimus, qui ex concubina ea quæ matrimonio duci poterit, nascuntur, & conditionem in iure ciuili, nõ adeo iniquam habent, ut est in Codicis libro de natural. liberis. & in Auten. quibus modis naturales efficiuntur*

Vulgo cõcepti *sui &c. Vulgo autem concepti etiam in l. uulgo. ff. de statu ho. appellantur, qui ex uago cõcubitu sunt, neq; patrem ostendere possunt, ut quem nuptiæ solũ ostẽdunt. l. quia semper. ff. de in ius uocando. quare Græcis ἀπάτο-*

Spurij. *ρες sine patre, & Romanis Spurij dicũtur, quos Plutarchus in proble. SP. duabus literis ob id notatos atq; olim scriptos, autor est, quasi sine patre, id quod in magnas familias*

familiis conuersum est, sunt qui eos etiam Nothos, id est illegitimos uoce nõ rara appellant. Sed in c nisi cum pridem. extra de renunciat. & ibi gloss. in hunc modum distinguũtur, ut naturales sint, qui ex concubina nascũtur, sæpenumero in ædibus nostris. Manseres, ex scorto, quos uulgo cõceptos diximus. Spurij ex ijs qui sacris initiati, atq; religionem profeßi sunt. Nothi autem ex adulterino concubitu, quod discrimen, ius Pontificium tractaturo, animaduertere operæ pretium fuerit. Nothi. Manseres.

Aliquando autem euenit &c.

A*Dmonet locus paucißimis referre quomodo filij ex non iusto coitu procreati, sed tantum naturales, legitimi fieri possunt, ut deinde non secus quàm legitimi in parentũ bona succedant, id quod trifariam, ut cõmunibus modis, accidit. Primo, si curiæ sit oblatus naturalis, quod fieri poterit aut per patrem inter uiuos, uel si testamento curialem scribat: aut per filium, quando mortuo patre neque alijs legitimis filijs superstitibus seipsum curiæ offert, sic enim Curialis fit, hoc est, curiæ addictus, quare Curiales, seruos esse reipublicæ, ac uiscera ciuitatum nullum ignorare, diuus Maioranus in constitutiõe de Curialibus, ait, Et suus hæres patri atque legitimus. Filia quoque legitima redditur, si curiali matrimonio iungatur, iuxta l. si quis. C. de natural. liberis. & auten. quibus modis nat. effic. sui. §. quod uero. & . §. si quis. collat. uij. Et naturalis sic curiæ oblatus, patri solummodo legitimus fit succeßor, cum nullam aliunde hæreditatem sperare poßit, in l. cõmunium. C. de naturalib. lib. & in allegata auten. quibus modis natu. effic. sui. §. filium uero.* Naturales ut legitimi fiunt.

h Tum

Tum liberi naturales ex concubina, & ea cuius nuptiæ legibus nõ sunt interdictæ, per subsequẽs matrimonium legitimi fiunt, etiam si dotalia instrumenta non cõficiantur, quod tamen aliquando oportebat, parentibusq; ex nulla non parte, haud secus quàm si legitimi essent nati, succedunt, l. diui cõstantini. & l. cum quis. C. de natural. lib. & auten quibus mod. nat. effic. sui. §. si quis igitur. & c. tanta. qui filij sint legitimi.

Demum legitimantur naturales per rescriptum Principis Romani, matre uel relicta, uel defuncta, idq; ob preces ei oblatas, in Autent. præterea. C. de natural. liberis. & §. sed & aliud. & §. si quis, in allegata auten. quibus modis natu. effic. sui. Tametsi Hostiensis hoc legitimãdi beneficium soli pontifici conuenire uelit, in c. per uenerabilẽ. qui filij sint legitimi, quem reprehendunt in ea parte pleriq; omneis, tantum abest, ut in sententiam eius discedant.

Reliquos modo quibus naturales sui efficiũtur, qui ad unguem expendere desyderat, Antonium Rosellanũ con lustret, in libro quem de natalibus inscripsit.

TITVLVS XI.

De adoptionibus.



OTEST fieri ut quis neque ex natalium conditione, neq; ex legitimatione, sed per adoptionẽ in patria sit potestate. Est autem adoptio legitimus actus, per quẽ in alterius potestatem quis transfertur. Et bifariam contingit. Aut enim adoptamus eum, qui sui est iuris, etiam minorem,

Adoptio quid.

norem, quod sola Principis autoritate fieri oportet, siue hoc coram Principe ipso, siue alio magistratu fiat, qui id in commißis delegatū ex rescripto habeat, ut hic in principio tituli, & l. impuberem. & l. adrogationes. C. eo. tit. Et hæc appellatur proprie adrogatio, quia ad, id est, inuicem fit rogatio, nam is qui adoptat, rogatur si adoptandum iustum sibi filium esse uelit: & rursus is quem adoptat interrogari solet, si id fieri patiatur, in. l. generalis. ff. eo. & Caius in. j. institutionum lib. titulo v. Sed Aul. Gel. in lib. v. cap. xix. huius rei aliam apud ueteres obseruationem fuisse scriptum reliquit, nam quod apud Prætorem per uindicationem fiebat, adoptatio dicebatur, quod uero per populum, adrogatio, cū antiquitus ea apud populum iuris autoritas fuisset, quam hodie Princeps obtinet. Eius uerba hæc sunt: Cum in alienam familiam, inq; liberorū locum extranei sumuntur, aut per Prætorē fit, aut per populum, quod per Prætorem fit, adoptatio dicitur: quod per populum, adrogatio. Adoptantur autē cum à parente, in cuius potestate sunt, tertia mancipatione in iure cedūtur, atq; ab eo qui adoptat, apud eum, apud quē legis actio est, uindicantur. Adrogantur ij qui cum sui iuris sint, in alienam sese potestatem tradūt, eiusq; rei ipsi autores fiunt &c. Iusq; iurandum à Q. Mutio, Pont. Max. conceptum dicitur, quòd in adrogando iuraretur: sed adrogari non potest, nisi iam uesticeps. Adrogatio autem dicta, quia genus hoc in alienam familiam trāsitus, per populi rogationem fit, eius rogationis uerba hæc sunt: Velitis, iubeatis, uti L. Valerius L. Titiò tam iure, legeq; filius, quàm si ex eo patre matreq; famil. eius

Adrogatio.

Adrogādi mos apud ueteres.

natus esset, utiq; ei uitæ, necisq; in eum potestas siet, uti partendo filio est, hoc ita, ut dixi ita uos Quirites rogo. Hactenus ille. Vnde quod hoc adoptandi genus sola Principis autoritate fieri debeat, constituit eo ductu, quia adrogatus qui sui iuris est, hoc modo in alterius traducitur potestatem, fieriq; potest, ut si temere fiat, solum detrimentum faciat qui adrogatur.

Caussa adrogãdi. Quamobrem adrogationem permissurus eius caussam expendere debet, an sit honesta, expediatq; pupillo. In hunc modum, sit'ne tutor uel curator, qui pupillum minorem XXV. annis eo prætextu adrogare præsumat, ne aut rationem pupillarem reddere, aut bona in quibus male uersatus est, restaurare cogatur. Tum excutiendũ est, quæ sint pupilli facultates, ne modis non sic utilibus, de equis ad asinos descendat, solum rerum suarum detrimentum subiturus. Deinde cuius sit conditionis & uitæ qui cupit adoptare, ut etiam hinc patremfamiliâs prole dignum ostentet magis quàm uel mali exempli hominem, uel perpetuũ eius rerum corrasorem. Postremo ut LX. annorum sit natu, aliâs enim satius fuerit liberis naturæ ordine procreãdis operam dare, quàm ex aliena familia prolem sibi adserere. l. si pater. §. in arrogationibus. & l. nec ei. ff. e.

Satisdare debet adrogator. Præterea adrogaturus pupillum satisdare (id est, cautionem cum fideiussore sufficientem præstare) debet, sese omnia bona (si adoptatus impubes decesserit) restituturum ijs ad quos succeßiõ adrogatione posthabita, pertinuisset, in allegata. l. nec ei. §. fin. & nonnullis alijs legibus. ff. de adoptio. Adrogationis uero hæc natura est, ut si is adoptatur qui alios liberos in sua habeat potestate, illi

quoq;

quoq; simul cum parente adrogatoris potestati subijciantur, uti post paulo exponemus, Et adrogatores in quæ succedant est in.l.si adrogator.C.eod.tit.instit.de adquisitione per adrogationem. Altera species est, qua eos qui in parentum sunt potestate iuri nostro atque familiæ adsciscimus, quam proprio uocabulo Adoptionem appellamus, & potest fieri cuiuscunque magistratus autoritate, præsertim ordinarij interueniente, in.l.ij.ff.de adopt. &.l.j.C.eod.tit.quæ bifariam consyderari potest. Aut enim fit per extraneum, hoc est, eum qui non est ex ascendenti sursum uersus linea, utpote ad naturalia & parentelam non adtinentē, (quales sunt omnes à latere cognati, quos ad iura adoptionis quantū adtinet, pro extraneis habemus, est etiam gloss.in uerbo naturalia.l.cum in adoptiuis.C.eo.) & tunc iura patris naturalis manent inconcussa, robustiora siquidem sunt, quàm ut ciuili ratione tollantur, in.l. iura sanguinis.ff. de regulis iuris. & non transfertur filius in potestatē adoptantis, sed ad hoc adoptatur ut successionem abintestato in bona patris adoptiui, etiam cum legitimis & naturalibus habeat. Nā in bona patris naturalis non modo successionem ex intestato, sed etiam inofficiosarum tabularū querelam, iure prætorio per omnia retinent.§. adoptiui. &.§. sed hæc quidem.instit.de exheredat. liber. & copiosius in.l.cum in adoptiuis.C.eod.titulo. Si uerò pater naturalis alicui non extraneo adoptatori, puta auo, proauóue materno, uel si ipse priusquàm filius conciperetur, sit emancipatus, auo paterno, aut etiam materno, filium in adoptionem dederit, tunc filius in iura patris adoptiui, plenis uelis trāsit,

Adoptio.

Filius extraneo in adoptionem datus.

Filius ab auo adoptatus.

eumq; solum respicit, quem & natura dedit, & lex per adoptionem adsignauit, sic ut ex patre naturali nihil amplius expectare queat, neq; tabulas eius molestare, sed solum adoptatiuũ agnoscere iubetur, nisi & ab hoc sit iterum emancipatus, quo casu rursus ad domum patris naturalis reuertitur, dissoluta uidelicet adoptione, in. l. cum in adoptiuis. C. eo.

Minorem natu &c.

ADoptio uerò, quia naturam ducem habet, qua pro monstro est, patrem filio non esse natu maiorẽ, cautum est siue adrogator sit. siue alius qui adoptat, ut plenam habeat pubertatem, hoc est, XVIII. *ætatis annum, nam hoc temporis, in casu adoptionis placuit definiri.*

Adoptator xviij. annum habeat.

Alimenta ad annum xviij.

Quemadmodum alimẽta legata masculis usq; ad annũ XVIII. *fœminis autem ad* XIIII. *annum, pietatis intuitu & pueritiæ fauore præstãtur, iuxta formam à* Diuo Ha*driano sancitam, in. l. mela. §. 1. ff. de ali. & ciba. lega. Cũ aliâs in masculo* XIIII. *annorum tempus, in puellis* XII. *annorum, plenam pubertatem in obscuro designare statutum sit, infra quibus modis tute fi. §. 1.*

Adoptio digni tatẽ nõ minuit

Adoptione autem licet in aliam familiam quis inseratur, dignitas tamẽ & nominis claritudo, nõ minuitur, ut etiam Paulus *innuit, in. l. per adoptionẽ. ff. eo. Quare cũ & Clodius se plebeio homini in adoptionẽ dedisset, ut eo prætextu* Tribunatũ *(qui plebeius erat magistratus) adeptus, in Ciceronem, à quo de pollutis sacris testimonium passus fuerat, commodius grassaretur, Cicero* Tribunatus *eius tabulas, in quibus res à se gestas Clodius descripserat strenue sustulit, deq; ea re in Senatu accusatus, negauit Clo*

uit Clodium Patricũ hominem secundum leges Tribunũ fuisse, cum Tribunatus tantũ plebeis dari soleret, & Senator à plebeio adoptatus senator maneat adoptiõe dignitatem nõ minuente. Præterea sunt etiã maioris ætatis homines, quibus adoptare nõ permittitur, uti sunt fœminæ nisi ex prĩcipali indulgẽtia, atq; ij quos natura euirauit & ad generandũ ineptos fecit. ubi rursus aduertendum Spadonũ generalem appellationẽ esse quãdoq;, ita quòd tam quibus uirilia sunt excecta, tã quos natura impotẽtes nasci uoluit spadonũ uerbo promiscue appellentur, apud Domitiũ Vlpianum in L. pandectarũ libro, de uerb. sig. sed ad præsentẽ locũ quod pertinet discrimen est. Spado siquidẽ propria significatione is est, cui uirilia sunt execta, ἀπὸ τοῦ σπάδω, id est, ab euellendo, & nõ à spata, ut interpres hallucinatur, testiculi enim spadonibus euelluntur ne progenerare poßint, id quod fieri, tã ei qui exciderit, quàm qui spõte passus sit ex lege Cornelia capitale est, atq; extremũ uitæ suppliciũ, aliâs Eunuchi uocãtur ab εὐνὴ, quod est cubile, & ἔχω custodio, quasi euneochus sed per synæresim Eunuchus, quia id hominũ genus, seruandis regum cubilibus præfici solebat. si historijs credimus, quæ id affatim produnt, eatenus, ut & matronas & diuites fœminas, tales sibi nõ sine magna pudiciciæ nota adhibuisse fama sit. Vnde Iuuenalis in vj. satyrarum:

Fœminæ, & castrati nõ adoptant.

Spadones.

Eunuchi.

Sunt quas Eunuchi imbelles, ac mollia semper
Oscula delectent, & desperatio barbæ,
Et quod abortiuo non est opus, illa uoluptas
Summa tamen: quod iam calida matura iuuenta
Inguina traduntur medicis, iam pectine nigro.

Spadonibus adnumerantur, quos uel thlibias uel thlasias appellant, in l. spadonum. ff. de uerb. signifi. ubi uix conieceris modum ineptiarum, quas Accursius in uno uerbulo conflauit: nam ab exordio licet confiteatur se nescire, (& non immerito) qui sint thlibiæ, tamen subiungit uel ferramenti genus esse, quo testiculi excindantur, uti & antea in l. ij quoque. ff. ad legem corneliam. similiter ineptiuerat, uel eos quibus uirgula (fortaßis quam Syringam uocant) urina excitatur, sed quod utrunque sit falsum, hinc facile patet, cum nulli legum sensui uel alterum conueniat. Nam Paulus, in l. ij quoque. eos qui thlibias faciunt, non secus quàm qui spadones, ex constitutione D. Hadriani, capitali supplicio subijcit. Sed Vlpianus in l. spadonum. Thlibias uel Thlasias etiam spadonum appellatione cõtineri ait. Sunt autem Thlasiæ uel Thlibiæ spadones qui testiculos non habent excisos, sed tantum fractos aut adtritos, eo modo ut æque generare non queãt, quorum illud à θλάω, hoc uero à θλίβω, id est, frango uel adtero est deriuatum. Cæterum spadonibus, quia humano inuento impotẽtes mulierum sunt facti, & fortaßis progenerare olim atque prolem adsequi potuere, permissum est utraq; adoptione uti, est etiam in l. ij. §. illud. & l. adrogato. §. spado, ff. eodem tit.

Interpretis error.

Thlasiæ. Thlibiæ.

Spadones adoptare possunt.

Castrati uerò dicũtur qui natura impotentes atq; curati sunt, ita ut ad cõcubitus apti nec fuerint, nec unquã fieri poterint, quare adoptare non possunt, cum natura eos patres fore non sit dignata, iuxta l. si serua. §. spadonum. ff. de iure dotium. & l. sed est quæsitum. §. spadonem. ff. de liberis & posth.

Castrati non adoptant.

illud

Illud proprium est &c.

Oracula.

ORacula apud Ciceronem in Topicis, ex eo ipso appellata sunt, quod est in ijs deorũ oratio, quia uero Prĩcipes Romani, aliquid maiestatis superhumanæ unde diui appellabãtur, sibi adtribuẽre, deorumq; numero sese esse, falso sibi persuasere (quẽadmodũ Domitianus ille, licet omnium truculentißimus, inscriptionem facere solebat, autore Leto: Domitianus dominus & deus uester) factum est, ut Principis respõsum, seu rescriptum, sacrum oraculum, non modo hic, sed etiam in plerisq; iuris locis dicatur. Vult autẽ locus. si paterfamiliâs est, id est, sui iuris qui adoptatur, tũc & filij eius etiã adoptiui in adrogatoris potestatem adseruntur, atq; nepotum uicem obtinent, in l. ij. §. hoc uero proprium. & l. si paterfami. & l. adrogato. ff. eod. titu. & l. liberos. ff. de capitis diminut. quod uti altius repetat, Octauiũ Augustum exempli ergô inducit, ubi rursum silentio ĩuoluere nõ possum ineptias illas quas interpres non secus quàm centonas consarcit, quasi Augustus uoluisset Germanicũ quẽdam adoptare, quo renuente adrogatio procedere non potuerit, donec inductus esset Tiberius quidam ut Germanicum adoptaret, ut sic adoptato per Augustum Tiberio, Germanicus eius nepos fieret, cuius filius esse noluisset, quæ mera esse deliramenta, ne dicam nugas, is solum non uidet, qui nullam prorsus historiarum cognitionem habet, tantũ abest ut interpretationis loco dignari debeat. Sed ita se res habet, Augustus Tiberium Cæsarem ex Liuia Drusilla priuignum non prius adoptauit, quàm Tiberius Germanicum ex Druso fratre natum adoptasset, apud Sueton.

Ineptit Accursius.

Augustus quare Tiberiũ adoptauit.

Tranquillum: ut sic per unam adrogationem Tiberius filius, & sic in Imperio successor, & Germanicus nepos hoc est, Tiberij in Imperium hæres Augusto fieret. Imperatoribus enim non modo hæredes fiebant sic adoptati, sed etiam Cæsares, hoc est, Augustæ maiestatis successores. Ex quibus manifestum est, exemplis quandoq; innitendum esse, præsertim ijs, quæ aut secũdum leges producuntur, ut hic: aut consuetudinem faciunt, l. de quibus. ff. de leg. & senatusconsul. aut legibus non definiuntur, l. 1. §. caussam. ff. de postulando. Aliâs enim non exemplis sed legibus dijudicandum est, l. nemo. C. de sen. & interlo. omnium iudi. l. singuli, C. de accusa. & l. sed licet. ff. de offic. præsidis.

Exemplis quãdo innitendũ.

In reliquis autem adoptionibus citra Principis oraculum factis, filij non transferuntur cũ patribus in adoptãtis potestatem, sed penes auum remanẽt naturalem, quo tandem decedẽte, in adoptatoris potestatem recidunt, ut pote patrem sequuti, iuxta l. si pater fam. & adnotat gl. in l. adrogato. ff. eo. tit.

TITVLVS XII.

Quibus modis ius patriæ potestatis soluitur.



AETERVM patria potestas tam perpetua non est, quin etiam solui poßit, soluitur autem morte eius qui ius potestatis habuit, idq; si pater non sit superstes. Nam si auus moriatur, & pater naturalis uiuat, nepos ex filio qui in aui potestate fuerat, sui iuris esse nõ potest, sed in patris remanet

Nepos quando in aui potestate remanet.

remanet potestate, quo etiam mortuo sui tandem efficitur iuris. Ex emancipato autem patre nepotes in aui sui potestate tantum erūt, quo mortuo, in patris emancipati potestatem non recidunt, sed sui iuris erūt. Praeterea patre in exilium misso, filij ab eius eximuntur potestate, similiter filij uiuo patre, in exiliū missi in patria potestate esse nō agnoscuntur, nā ut pater qui ciuitatem amisit, et peregrinae conditionis est factus, autore Caio, ciuem Romanū in potestate habere non potest, ita in pari fortunae casu, nec filius peregrinae cōditionis factus, patrem agnoscit, est in l j. & l. si pater. C. de sententiam passis. Item qui in metallū dānantur, bestijs'ue subijciuntur, hoc est, poenae serui fiunt, ius patriae potestatis amittunt. Itē si ab hostibus pater captus sit, quandiu apud hostes fuerit in potestate filios nō habebit, sed si in captiuitate moriatur, ab eo tempore quo ab hostibus captus est, filij sui iuris effecti intelliguntur. Quod si de captiuitate euaserit, iure postliminij omnē sicut in alijs rebus, ita & in filios recipit potestatē, l. in bello. ff. de capti. & l. apud hostes. C. de suis & legi. Itē emancipatione patria potestas soluitur. l. liberos. §. j. ff. de capi. diminu. atq; ibidē, si à paren. quis manu. sit. & l. fi. C. de emancipa. libero. Postremo per Iustinianum constitutū est, ut dignitas Cōsulatus, Patriciatus, & generaliter omnis dignitas, quēpiam à Curiali fortuna eximens, uti est Praefectorū praetorio, magistrorum militū, Praefecturae quaestoris, Fisci patrocinatus, clarissimorum principū agemiū in rebus, Proximorū sacri scrinij & sacrarum epistolarum & libellorū, necnon sanctissimorū Episcoporum dignitas, à patrū atq; auorum liberet potestate, nen

Filij quoties patriam potestatē exeunt.

te, non tamen ita ut per hoc aliquod legitimorum ius perdant, qui sic eximuntur, sed sunt & generi ad eos, & ipsis ad genus intacta legitima & ex natura deriuata iura, ut est fusius in.l.fi.C.de cõsul.lib.xij.& in Auten.cõstitutio quæ de dignitatibus & Episcopatu filium liberat à patria potestate. col.vj. & in.l.fi.C.de decurionibus.lib.x.ubi etiam.§.filiusfamiliâs.in præsente titulo antiquatur: ubi rursus monendi sumus, patriciatum, cuius Iustinianus meminit, non eum esse quem Romani nobiles à primis senatoribus oriũdi antiquitus iactitabãt, sed ab Imperatorio calculo emanare, atque præstitis codicillis, quibus ad dignitatem patriciatus, quam summã uocat, electus conspiceretur, ut sic cõmunis reipub. uti Suidas scribit, pater fiat, quare ut Accursius inter antiquum illum patriciatum, atq; eum quem Imperatores nouum adeoq; summum induxerunt, discriminare non poterat, ita alterum cum altero inepte confundit.

Patriciatus.

Cum autem is qui ob aliquod maleficium &c.

DIximus exilio alijsq; capitalibus pœnis destinatos, quia ciuili morte perimuntur, desinere & liberos in potestate habere, & rursus in parentum iure esse: sed hoc ut altius repetamus, aduertendum est, Innocentium, in c. qualiter.de accusationibus, quatuor pœnarũ genera legibus comparata, ut habetur in.l.aut damnum. & .l.capitaliũ.ff.de pœnis.enumerare. Primũ est ultimũ corporis suppliciũ.II.pœna metalli.III.deportatio.IIII.in opus publicũ condẽnatio. Totidẽ quoq; sunt pœnæ nõ capitales, uti relegatio, infamia, dignitatis amißio, & uerborũ expe

Pœnarũ genera.

experimentum, quibus ut non ciuitas, ita neq; patria potestas amittitur. De pœnis extremum mortis supplicium irrogantibus nihil est ambiguitatis, nam uti mortē ipsam inferunt, ita & patriam potestatem indubitato soluunt, à quibus nō abhorrent pœnæ, quibus uel ad bestias dānātur miseri homines, uel bestijs dilaniandi subijciuntur: porrò ad bestias proprie damnantur, qui cum robustioris sint corporis, in ludum uenatorium cum bestijs depugnaturi, donec dilanientur, damnati exponuntur, quorum in hoc conditio melior existimari solet, quod fieri potest, ut se aliquādiu aduersus ferociam beluarum tueātur, atque incursantes corporis agilitate πυρρίχίσθαι doctiß. occursionibus deuitent, & nonnunquàm ad spectantis plebis clamorem bestiarij per Principem eximantur, in. l. qui ultimū. & l. ad bestias. ff. de pœnis. quorsum & historia adtinet, quā Aul. Gellius in v. lib. cap. XIIII. ex Appionis V. Aegyptiacorū libro refert, de Androdo Daco, uiri consularis seruo, qui dum in circo maximo, ubi amplißimæ uenationis pugna populo exhibebatur, inter cōplures cæteros rei capitalis, ut fugitiuus ad bestias datus esset, atq; statim ab atrocißimo leonū, cui iā olim in Aphricis latebris ingentem stirpem uestigio pedis eius hærentem reuulserat, percognitus, saluaretur, à Cæsare cunctis petentibus dimißus est, atq; pœna solutus. Ad bestias dānati. Androdi historia.

Sed bestijs obiectos, uel subiectos, ut habet iureconsultus in. l. pœna. ff. ad legem pompeiam. dicimus qui in nullam pugnam damnantur, sed magis ut à feris statim dilanientur: cuius exemplum est in VI. Danielis capite, qui ipse leonibus in lacum etiam lapide coopertum per Darium Bestijs obiecti.

rium obiectus persuadētibus ijs de quibus uersus ille Hesiodius in ἔργοις,

Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ, τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Non inepte cātari poterit, quod & in Hetruscos Aruspices factum, Verrius Flaccus scribit: Malum consiliū, consultori pessimum. Illi siquidem à leonibus iustissima talionis pœna lacerati sunt. Hi uero ob perfidiam suam à populo necati. Spartianus in Caracalla: Si quando feris obiectos uidit, fleuit, aut oculos auertit, quod populo perquā amabile fuit.

Locus principibus sæpe occinendus.

Deportatio.

Deportatio quoq; inter iudicia capitalia refertur. §. publicorum. Instit. de publi. iudicijs. Est autem deportatio perpetua in Insulam siue exilium condemnatio, & in eos hodie irrogatur, quibus antea a- ua & igni interdici solebat, in. l. rei capitalis. §. constat. ff. de pœnis. & l. iij. ff. ad legē Iuliā peculatus. Ii sunt qui falsum scripserint, uel cōsignarint, uel consignatū dolo malo aperuerint, similiter qui uim intulerunt, aut peculatus crimine notantur, nisi iudices sint, eorum'ue ministri, in quos extremi supplicij pœna cōpetit, est post Pandectarum leges, insti. de publicis iudicijs. §. item lex cornelia. de falsis. §. item lex Iulia. de ui publica. §. item lex Iulia peculatus. Deportare autem nemini licet præter Romanū Principem, præfectum Prætorio, præfectum urbis, aut eum qui Principis mandato id facit, iuxta. l. j. §. in quibus. & l. ij. ff. de legatis iij. l. inter pœnas. §. j. ff. de interdictis & releg. l. ij. §. constat. ff. de pœnis. & gloss. in. l. deportatorum. C. eod. titul. Reliqui uerò Principes tunc demum deportare atque perpetui exilij pœnam infligere possunt, si Imperator

ratur

rator id uel approbarit, uel deportationis atque exilij insulam ostenderit, l. illicitas. §. qui uniuersas. ff. de offic. præsidis. & l. j. §. ij. & §. deportatos. ff de leg. iij. Proinde sic deportati, quia ciuitatē perdunt, unde & ἀπόλιδες Iureconsultis dicuntur, in l. quidam. ff. de pœnis. & peregrinæ fiunt conditionis, ob id patriæ potestatis nullum ius retinent, cum ciues Romani esse desinant. Deportati ἀπόλιδες.

Relegatio est pœna qua quis in exilium mittitur. siue id sit ad tempus. siue absq; tempore: & in hoc à deportatiōe differt, quæ perennis est atq; perpetua, propter hoc quod relegati bonorum suorum domini manent, deportati autem non sic, l. relegatorum. §. hæc est differentia. ff. de interdict. & releg. & l. relegati. ff. de pœnis. qua pœna adficiuntur etiam qui uirginē aut uiduam honeste uiuentem sine ui stuprauerint, dūmodo humilis sit conditionis, l. stuprum. ff. ad l. iuliam de adulte. & §. itē lex iulia. de adulterijs. Instit. de pub. iudi. quia uero relegatio neq; ciuitatē, neq; patriam potestatem eximit, atq; in hoc mitior est deportatione, permissum cuilibet prouinciarum Præsidi, atq; magistratui merum imperium habenti relegare, in citata l. relegatorum. respon. j. Relegatio.

Præterea est supplicium quo quis in metallum, hoc est perpetuos & grauißimos metalli labores, damnatur, & seruus pœnæ statim post latam sententiam efficitur, id quod morti proximum est, l. in seruorum. §. qui ex caussa. & l. quidam. ff. de pœnis. & l. in metallum. C. de bonis proscriptorum. Sed hoc iure autentico in bene natis emendatum est, & nullus ingenuo loco natus ex supplicio pœnæ seruus amplius efficitur, iuxta constitutionem In metallū dānati.

Autentici

Autentici, de nuptijs. §. quod autem, coll. iiij. uerum Præfecto urbis specialiter competere ius in metallũ damnandi ex epistola diuorum Seueri & Antonini ad Fabium Cillonem colligitur. Inter eos autem qui in metallum, & eos qui in opus Metalli damnantur, differentia in uinculis tantum est: quòd qui in metallum damnantur, grauioribus uinculis premi consueuerunt, qui in opus metalli, leuioribus. In ministerium metalli fœminæ in perpetuum uel ad tempus damnari solent, quemadmodum & in salinas, & si quidem in perpetuum fuerint damnatæ, quasi seruæ pœnæ constituuntur, si uero ad tempus, ciuitatem solum amittunt: in Calcariam quoque & Sulphurariam damnati, ad metalli supplicium pertinẽt. Proinde sunt qui in opus publicum damnãtur, id quod ad tempus fieri potest, ex quo si refugit, duplicari tempus solet, præsertim quod superesse cognoscitur dum fugit, nisi in x. annos sit damnatus, quo casu aut perpetuari debet ei pœna, aut in opus metalli transfundi, uel perpetuo, & fiunt ἀπόλιτας, *non secus quàm deportati. ut perditis ijs quæ sunt iuris ciuilis, quæ iuris gentium sunt tantum habeãt, in prædicta l. aut damnũ. & l. quædam. ff. de pœnis. Sed qui ad tempus in opus publicũ detruditur, infamiam tantum nominis incurrit, in l. pe. §. minuitur. ff. de uarijs & extraordi. cognitionib. est gloss. in l. capitalium. in uerbo, datur ad tempus. ff. de pœnis.*

In opus metalli damnati.

In ministerium metalli.

In opus publicum damnati.

Si ab hostibus captus &c.

B*Ellis iure gentium introductis, ob id maxime, ut autor est Tullius, ut sine iniuria in pace uiuatur, seruitus quoq; esse cœpit, sed ne perpetua hæc sit, et homini*

perenne

perenne malum postliminium repertũ est, quo in pristinum statum qui ab hoste ueniunt recipiuntur.

Est autem Postliminium (inquit Paulus) ius amissæ rei recuperandæ ab extraneo, & in statum pristinum restituendæ, inter nos liberosq́; omnes populos, regesq́; moribus & legibus cõstitutum. Nam quod bello amisimus aut circa bellũ, hoc si rursum recipiamus, dicimur postliminio recipere, atque ut Cicero in Topicis scribit, Postliminium Scæuola P. Filius iunctum putat uerbum esse, ut sit in eo & post & limen, ut quæ nobis alienata sunt cũ ad hostem peruenerint, & ex suo tanquam limine exierint, ea cum redierint post ad idem limen, postliminio uideantur rediijsse. Quemadmodũ Pompeius postliminio receptum ait, qui extra limina, hoc est, terminos Prouinciæ captus fuerat, & rursus ad propria reuertitur. In summa postliminium iuris fictio est, quod sic intellige, legitimo bello captus, hostium fit seruus, & nihil liberalis iuris habet, quod si reuersus sit, & captiuitatẽ illam effugerit, introductum est postliminium, quod fingit eũ in seruitute non fuisse, & omnia ei iura in suspensó atque salua retinet, donec reuertatur, unde si liberos in potestate habuit, in obscuro est, sui sint iuris, an sub potestate, defuncto autẽ patre apud hostes, lex Cornelia fingit eũ prima captiuitatis suæ hora, decessisse, & sic filios à potestate eius exemptos, l in bello. §. si quis capiatur. & l. postliminium. ff. de capti. l. j. §. si pendeat. ff. ad senatusconsul. maced. & l. si pater. ff. de suis & legiti. hæredi. Rursus si ex hostiũ potestate redierit, postliminium fingit eum nõ fuisse captum, & filios unà cum reliquis suis

Postliminium quid.

Postliminium quomodo iuris fictio.

rebus in eum statum quo relinquebantur, recipit. Et hoc ius non modo ijs competit, qui pugnare possunt, uerum etiam omnibus qui usui sunt, siue masculi sint, siue fœminæ, liberi, siue serui. Et sic postliminio reuersus, omnia sua domi recuperat, idq; uel ipso iure, uel si alteri iterum ius sit quæsitũ per restitutionem, in l.hostes.§.ab hostibus.& l.in bello.ff.eodem.disserit Angelus in §.item ea quæ ab hostibus.institu.de rerum diuisione.præter uxorem quam ob seruitutis fortunam iure Pandectarum non recuperat, nisi matrimonium sit redintegratũ, l.nõ ut à patre.l.cum duæ.§.non ut pater.& l.in bello.§.medio tempore.ff.de captiu.& postlimi.sed nouissimo iure autentico matrimonium captiuitate non dissoluitur, & nisi quinquẽnium coniugem, de cuius morte nihil constat, expectarit, alteri nubere sine periculo haud licet, iuxta autenti.de nuptijs.§.sed etiam captiuitatis gradus.coll. iiij. & in c.primo.extra de coniugio seruorum.

Reuersus postlimi. omnia recuperat.

Quinquennio captiuus maritus expectãdus.

Transfugæ autem, & qui abiectis armis turpiter sese hosti dedunt, postliminio non gaudent, ut qui malo cõsilio & modis non honestis relicta patria ad hostem desecerunt, l.postliminium.§.transfugæ.& l.eos.§.postliminij ius.ff.eo.& l.si quos.C.de postli. reuers.

Transfugæ nõ habent postli.

Præterea ut postliminio locus sit, oportebat, bellum uel per populum Romanũ, uel per alios populo Romano esse indictũ. Proinde quod extra præsidia populi Romani sit abductus, nam si intra eius præsidia manserit, aut per latrunculos, ciuitatem' ue priuatam, aut castrum priuatum esset captus, seruus nõ fit, nec postliminio opus habet, sed læsus restituitur, per l.postliminium.§.à pyratis.l.ho-

Postlim. ut sit locus.

tis.l.hostes.& l.latrones.ff.eod.tit.l.roma.ff.ad munici-pa.& l.succurritur.ff.quibus ex causs.ma. Tunc autem postliminio receptus intelligitur, quando aut ad amicos nostros peruenerit, aut intra præsidia, & limites suos esse cœperit, in memorata.l.postliminij ius.& l.postliminiũ §.postliminio.ff.eod.

Nec intereſt quo pacto captiuus hostilem uim effuge-rit, dimiſſus'ne, an fallaci arte, mõ eo animo effugiat, ne illuc ſit reuerſurus. Item eos qui uictis demum hoſtibus recuperantur, poſtliminio rediiſſe exiſtimamus.l. nihil intereſt.ff.eo.& l.ab hoſtibus capt.C.eod.tit.

Horum de poſtliminio paucis commonefacere uole-bam, cum quòd in iure ciuili ſuos locos habet, tum quod ad Latinorum autorum interpretationem nonnihil facere ſolet, nam ad uſum eius quod adtinet, nullius eſt momẽti, cum noſtra ætas neque ſeruitutem bellis comparari atque infligi patiatur, neque in hoc poſtliminij iure opus ha-beat, idq; ex recepta iam olim per Romanum imperium conſuetudine, cui Bart. innitendum monet, in.l.hoſtes.ff. eod.tit. & repetit Angelus, in.§.rurſus. inſtit.de actiõn. ubi plenius res uenit exponenda.

Præterea emancipationis &c.

EMancipatione quoq; filius à patria poteſtate exim-itur. Porrò emancipatio eſt patriæ poteſtatis relaxa tio, utriuſq; & patris & filij interueniẽte adſenſu, et di citur emãcipatio, quaſi è manu traditio: nam uti in ſeruis manumiſſionẽ, ita ĩ liberis emãcipationẽ ꝓprie dicimus, in.l.1.§.alienatio ff.quãdo de pec.act.annalis eſt. tametſi Emancipatio.

Pater cogitur filium emancipare.

alterum pro altero promiscue quoque recipiatur, in Pandectis, Si à parente quis manu. fuerit. Cæterum apud ueteres alia emancipationis species erat quæ per imaginariã uenditionem fiebat, cuius noster paragraphus, & .l. liberos. ff. de capitis diminu. mentionem faciunt, ea quo pacto fiebat, adnotare libet, cum quia interpretes non adtingunt, tum quòd ad Auli Gellij locum facit, qui est in libro V. cap. XIX. quando scribit: Adoptantur autem, cum à parente in cuius potestate sunt, tertia mancipatione in iure ceduntur. Quem certe plures obiter magis, atq; illotis (quod aiunt) manibus, pertingunt, quàm quòd intelligãt.

Gellij locus.

Porrò filius masculus (inquit Caius) tribus emancipationibus de potestate patris exit, & sui iuris efficitur. Emancipatio autem, quædam similitudo uenditionis est, quia & in emancipationibus, præter illum certum patrem, alius pater adhibetur, qui fiduciarius nominatur, ergo iste naturalis pater filium suum fiduciario patri mãcipat, hoc est, manu tradit, à quo fiduciario patre naturalis pater unum aut duos numos, quasi in similitudinẽ pretij adcipit, & iterum eum adceptis numis fiduciario patri tradit, hoc secundo & tertio fit, cum fiduciario patri mancipat ac tradit, & sic de patris potestate exit, quæ tamẽ emãcipatio solebat ante præsidem fieri, modò ante Curiam facienda est, ubi V. testes ciues Romani in præsenti erunt, & pro illo qui libripens adpellatur, hoc est stateram tenens, et qui antestatus appellatur, alij duo, ut VII. testium numerus, impleatur. Tamen cum tertiò mancipatus sic filius, à patre naturali, fiduciario patri, hoc agere debet naturalis pater, ut & à fiduciario patre mãcipetur,

Emancipatio per uẽditionẽ.

Tertia emancipatio.

cipetur, et à naturali patre manumittatur, ut si filius ille mortuus fuerit, ei in hæreditate naturalis pater, nõ fiduciarius succedat, sed hac ueditionum fictione explosa, Iustinianus cõstituit patrem apud quemlibet iudicem filium præsentem atque consentientem, emancipare, quod si infans sit filius, aut absens, Principis autoritate interueniẽte id fiat, opus est, iuxta. l. iubemus. & l. fi. C. de emancipat. liber.

Proinde quia patria potestas inæstimabilis res est, nemo cogi debet, ut filium è potestate sua inuitus mittat, in l. filiusfamilias. §. secũdum uulgarem. ff. de leg. 1. id quod fallit cumprimis, ubi pater filium durius tractat, & uerberibus contra pietatem afficit. l. fin. ff. si quis à parent. ma. Tum quando turpia peragendi, atq; peccandi necessitatem filio imponit. l si lenones. C. de episco audien. deinde si impubes adrogatus iamq; pubes factus comperiet sibi non expedire sic in potestate esse, in. l. nonnunquam. & l. sequenti. C. de adoptionib. Postremo ubi pater legatum ea conditiõe agnouit ut filium è manu mitteret. l. si cui. ff. de condit. & demonstrat. istis siquidem modis pater quamlibet inuitus cogi potest modo iure actionis, modo officio iudicis filiũ emancipare, atque sui iuris facere. Rursus autem filius, utcunq; inuitus atque uolens ijsdem caußis emancipari potest quibus & exhæres fieri, est uidere in. l. quidam cum filium. ff. de uerb. signific.

Pater quando cogitur filium emancipare.

Filius inuitus quãdo emancipatur.

TITVLVS. XIII.

De Tutelis.



IXIMVS summa personarum diuisione, hominũ alios liberos esse, alios seruos, et rursus liberorũ alios sui iuris, et quosdã alieno iuri subiectos. Iam uero docemur ex ijs personis quæ sui iuris sunt, quasdã in tutela uel curatiõe, quasdã neutro iure teneri, & quia tutela ab ineũte liberi capitis ætate, in annos pubertatis protẽditur, ex quibus curatio ni demũ in annũ XXV. tẽpus cõpletum locum esse legibus est ꝓuisum, ãn omnia de tutelis gñali tractatu differit. Ceterũ quod tutela uis est atque potestas ĩ libero capite &c. ut iurecõsultus eã describit, nõ pro uiolẽta potestate, adcipi oportet, ut interpres opinatur, neq; pro uirenti seu ui-

Vis in diffi. tutelæ.

ridi potestate, ut Bart. in l. j. ff. eo. ti. Sed quia uis apud Latinos autores etiã ꝓ facultate aut poßibilitate usurpatur, ut est fermè apud Poëtã, Nõ ea uis animo, nec tãta superbia uictis. quam hoc loci quoq; sic adcipi conuenit, ut sit eiusdẽ ferè significationis cuius potestas, in hoc saltem di-stantes, quod per uim, indicatur facultas, quam ex ingenuitate quis habet, ut tutelæ munus subire cõcedatur, per potestatem uero facultas illa legibus data, ad tuẽdũ eum qui propter ætatem se defendere nequit. Vnde tutores quasi tuitores, hoc est, defensores appellamus, à tuẽdo. Perinde

Aeditui.

Aedituos, inquit Gellius, lib. XII. ca. x. noua atq; cõmentitia usurpatione à tuendis ædibus pleriq; appellant, quos

Aeditimi.

latino & ueteri uerbo, M. Varro ad Marcellum in II. de latino sermone, magis Aeditimos dici oportere cẽset, quasi ædis intimos, interprete Festo. Vnde Põponius in Atel-

Aeditimari.

lana fabula, Aeditimari uerbum effigiauit, Qui postquã tibi ad

tibi adparco, atque æditimor in templo tuo. T. Lucretius Carus, in VI. libro de rerum natura, ubi pestem Atticam describit, Aedituentes uocat. cuius uerba hæc sunt: Aedituentes.
Omnia denique sancta deûm delubra replerat
Corporibus mors exanimis, onerataq; paßim
Cuncta cadaueribus cœlestium templa manebant,
Hospitibus loca quæ complerant Aedituentes.

Eos quoq; Aedititios nõnulli uocãt, eadẽ deriuatione quibus & Iustinianus in præsentiarum subscribit, quod uerbi Cicero in oratiõe pro Gn. plãco, pro iudicibus usurpasse quibusdam uidetur, quos altera partiũ tantum elegit, Sed aliquãdo ueniamus (inquiẽs) ad caussam, in qua tu nomine legis Liciniæ, quæ est de sodalitijs omnes ambitus legis cõplexus es, neq; enim quicquã aliud in hac lege, nisi Aedititios iudices es secutus, quod genus iudiciorũ. si est, æquũ ulla in re, nisi hac tributaria, nõ intelligo

Cæterum ad rem quod pertinet, liberis in patria potestate existẽtibus, tutores, secundũ iuris formã nõ dantur, nam ij in quorũ sunt iure legitimi ipsorum sunt administratores, eã ob rẽ quod nullus amor maior sit existimandus, amore parẽtũ, l. fi. C. de cur. fu. Sin uero ea bona filiusfa. habeat quæ patri usumfructũ nõ debẽt, illorũ curatorẽ habere quidẽ potest, l. fi. §. sin autem. C. de bo. que li. quibus obiter iunge, Quoties filiusfa. minoris ætatis ad iudiciũ criminale, uel personale, in quo patri nihil lucri fit, uocatur; nõ satis est patrẽ adsentire, ut cui nihil ex eo quæritur, sed poterit curator adiungi, quò plenum sit iudicium. cauetur in l. j. C. de bon. mater. & in citata l. fina. §. sin autem in unum. ff. de bon. que libe. Proinde tutores Filiusfam. quãdo potest curatorem habere.

uel testamẽto dãtur, aut aliâs ex agnatis & legitimi sunt aut ex inquisitione, per iudicem, quem Attilianũ uocant, placuit de singulis, singulis fermè locis tractare.

TITVLVS XIIII.

Qui testamento tutores dari possunt.



ERMISSVM *est parentibus, inquit Caius in l.j.ff.de testa.tut.liberis impub. quos in potestate habent, testamẽto tutores dare, ut tam datiuis, quàm legitimus potiores, quod tunc fieri potest, si parens sit qui tutorem dat impuberi in potestate eius constituto, cum si morte parentis impubes nõ sit recasurus in alterius potestatẽ, postremo ut fiat in testamento. Sanè in testamento tutores dari possunt nõ modo liberæ cõditionis homines, qui sui sunt iuris & maiores, sed etiã filiusfamiliâs, seruus, furiosus. minor* XXV.*annis, & is qui ad certum tempus datur. Filiusfamiliâs quemadmodum magistratus functionẽ subire põt, ita & tutor esse potest, cum & tutela ad publicas functiones spectet, in quibus filiusfamiliâs ius potestatis nõ sequitur, l.filiusfamil.ff.de ijs qui sũt sui uel alie.iur. l.amißiõe.& l.nam & .cum l.tutelas.ff.de cap.diminut. & l.nam quod.ff.ad senatuscons.trebell.Et hoc casu pater nomine tutelæ per filium gestæ tenetur de peculio uel de in rem uerso, iuxta l.lucius titius.ff.de adminuſt. tuto. Quod si tutor datiuus fuerit, qui in potestate est & decurio factus, pater consentiens insolidum tenetur, l.j.C. quod cum eo. Aut si filius nõ fuerit decurio, neque pater*

Filiusfami. tutor esse potest.

Pater in quo tenetur.

tutelam

tutelam eius agnouerit, tunc de peculio solum obligatur, sin uero agnouerit pater tutelam filio delatam, hoc est, consenserit gerenti, iterum solidum debet, in l. filiusfami. ff. de tutelis.

Seruus proprius qui tutelæ testamẽto præficitur, siue id cum libertate, siue amissa libertatis datiõe fiat, semper & liber, & tutor efficitur, usq; adeo testãtis animus nõ est eludẽdus, ut qui existimatur non uoluisse tutorẽ inutiliter constituere, cum seruus remanens in seruili statu tutelæ officio fungi non poßit, in l. in seruili. C. qui dari tu to. pos. & l. testamento. aliâs, si quidem. ff. de testa. tutel. Sed alienus seruus, pure & sine conditiõe, tutor dari nõ potest, sed ut tunc demum tutelam consequatur, quando libertatem fuerit adeptus, l si hæreditas. §. seruus. ff. de testa. tutel. Vnde colligimus, seruum proprium testamẽto tutorem datum directam consequi libertatem: alienũ uero, fideicommissariã. Publicæ siquidem utilitatis gratia receptum est, ut liber fiat is, qui in minorum tutelã est subrogatus, l. generaliter. §. si quis tutorem. ff. de fideicõm. liber. l. si pupillorũ. C. de testa. tute. & l. si non adscripta. C. de fideicom. liber. Cæterum seruus quẽ quis liberum esse putat, cum sit seruilis status, tutor inutiliter datur, nam neq; tutor, neq; liber erit, l. si quis. ff. eo. & l. neq;. ff. de testa. milit. In furioso prudentes nonnihil uariant. Proculus absq; conditione dari posse negat. Sed Pomponius ueriorẽ partem secutus, furiosum etiam purè tutorẽ constitui adfirmat, sed tunc administrationi locũ esse, quando sapere, atq; sanæ mentis esse cœperit, quod & Vlpianus probat, in l. si hæreditas. §. si furiosus. ff. de

Seruus ꝓprius tutor.

Seruus alienus tutor.

Furiosus tutor.

testã.tutel.& suffragatur l.furiosus.ff.de tut. Furiosus itaq; testamento solum tutor dari potest,siue sub cõditione,ea scilicet ut tunc sit tutor si cõpos mentis atque sibi ipsi restitutus fuerit,siue pure.quo casu sim liter tutorẽ intelligemus,secũdum Paulum,si quãdo resipuerit atq; sanæ mentis esse cœperit.Vnde est,quod Iudex uel præses furiosum tutorem dare non potest,sed testator solum, Iudex enim inquirere debet,ut utilis constituatur, & qui statim prouinciam administrationis adsumat,sed testato re uiuo non est opus tutore,& fieri potest ut interim furiosus resipiscat,atque conditio eueniat,quod si conditio mortuo testatore non statim apparuerit,& pupillus negligi poßit,iudex prouidere debet,ut interea datiuus sit tutor,est in l.muto.§.sub conditione.ff.de tutel.atque ibi Iureconsulti.

Furiosus iudex esse potest.

Proinde,quod πάρεργον est:furiosus Iudex esse poterit,præsertim eo tempore quo dilucida interualla habet, & sibi restituitur,ratũ enim est quod pronũciat,l.cũ furiosus.ff.de iudi.Arbiter tamẽ nõ erit ob necessariam iurisdictionẽ,quæ inducias atq; longiores procrastinationes nõ patitur, donec forte menti restitui poßit,sed intra triẽnium opus est caussa finiat,pronuntieturq;,l sed & si in seruum.§.j. l. non distinguemus.§. dies.& l. si de meis.§.fi.ff.de recep.arbitris.l.j.& l.ij.C.eo.ti.

Minores tutores dari poßũt.

Minores quoq;.x x v.annis testamento tutores ordinari possunt.similiter eo instituto ut tunc demum tutelã subeant,ubi x x v.ætatis annum excesserint,cum inciuile esset, eos qui alieno auxilio in rebus proprijs administrandis egere noscũtur,alienis rebus cõmodã posse operam

ram impertiri existimãdos, obseruato itaq; rerum ordine, illos tutores ordinari cõuenit siue sint testamentarij, siue legitimi, siue datiui, qui talis sint ætatis, cui libera rerum administratio cõmitti poterit, quorumq; res pleno hypothecarũ iure, pro tutelis gestis obstringãtur, infra de fiducia. tutel. §. fi. & de excusa. tutorũ §. itẽ maior. l. nemo. C. de legi. tutel. l. fi. §. fi. C. de legit. hæredi. & l. cum filios C. qui ætate uel profess. se excusam. lib. x.

Ad certũ tempus tutores solo testamento ordinantur, quãdo elapso tẽpore tutela finitur, ut etiã est infra quib. modis tutel. finitur. §. præterea. Nec minus à certo tempore aut certa sub conditione datur, ita quòd à certo tempore uel præsente conditionis euentu tutor esse incipiat. Quod si ad certam atq; præstitutam conditionem sit constitutus, æque prouenit ut existente cõditione, desinat esse tutor, infra quibus modis tutel. fi. §. sed & si. ff. de testa. tutel. l. tutor datus. Tutor ad certum tempus.

Proinde tutores qui sic testamento dantur, ab onere satisdationis perinde atq; illi qui per inquisitionẽ fiunt, eximuntur, ut quorum fides modo per testatorem, modo per iudicem sit comprobata. est fusius in. l. non dubium. & l. non omnium. C. de tuto. & cura. qui non satisd. Reliqui omnes satisdant, ut suo uidebimus loco. Tutores testamentarij non satisdant.

Quia personæ, non rei &c.

CVm hoc loco uidetur pugnare, quod est in §. datus. infra de excusa. tuto. qui uult tutorem ad patrimonium dari, cui subscribit. l. propter litem. §. licet datus ff. eo. ti. sed reuera non pugnat, poteris tamen antinomiam in hunc modũ, si qua est, euitare. Tutor ante omnia personæ Tutor personę quomodo datur, & rebus.

adtri

adtribuitur pupillari, ut eam alat unà cum libertis, et seruis, optimisq; uitæ moribus imbuat, in. l. dum plures. §. cũ tutor. ff. de admin. tuto. & in tractatu satis notabili. C. de alimentis pupillis præstandis. Deinde ne res pupillares neglectæ pessum eant aut uitientur, tutoris est eis quoque prospicere, & in usum pupilli ipsas tueri, ad quod secundo datur, in quam sententiam adnotatus paragraphus, cũ l. propter litẽ. uenit intelligẽdus, & nulla erit ἀντινομία.

Curator rebus præficitur.

Curator uero ordine uerso in primis constituitur ut rebus minoris sedulò prospiciat, deinde ut personis opera sua adsit, iuxta. l. diuus Marcus. ff. de offi. præsidis. l. consilio. ff. de curatoribus furio. & l. in copulandis. C. de nupt.

TITVLVS XV.

De legitima agnatorum tutela.



GNATI uel per uirilem sexum iuncti atq; consanguinei, ex lege xuirali ad successionem: tamẽ ut legitimi hæredes uocabantur, in. l. lege. ff. de legiti. hæredi. & l. maximum uitium. C. de lib. præteritis. quare summa legis prouidẽtia factum est, ut qui sperarẽt hãc habere successionẽ, ijdẽ etiam prospicerent bonis, ne dilapidarentur, & sic ubi tutores testamento dati non essent, ipsis tutela deferretur, quam ob id legitimam, quasi ex lege datam appellamus, agnatorum tutelam, ut est in. l. j. ff. de legiti. tutorib. & l. j. C. de legit. tutel. Sed hoc ipsum iure Autenticarum constitutionum est emendatum, atq; sancitum, ut perinde,

Legitima tutela.

sublata antiqui iuris differentia, agnati & cognati ad successionem intestatorum uocantur, obseruata tantum gradus prærogatiua, ita quoq; ad tutelas uocari debere, siue ex masculorum, siue ex fœminarum prole descendant qui minori iunguntur, si masculi, & perfectæ sint ætatis, & nulla lege prohibeantur, quod si plures sint eiusdem gradus qui ad tutelam adsciscuntur, tunc iubentur apud iudicem eligere idoneos, penès quos sit tutelæ administratio, periculo tamen omnibus alijs, qui ut proximiores ad tutelam uocantur, imminente, & substantijs eorum tacite pupillis subiacentibus pro huiusmodi administratione, in Auten. de hæredibus abintesta. ueni. & iure agnatorum sublato. §. ex his autem. colla. ix. & repetitum est, in auten. sicut hæreditas. C. de legi. tut. Cognati quoq; ad tutelam uocantur.

Proinde tutelam administrare uirile munus est, fit ut fœminæ tutores dari non possint. l. tutela. & l. fœminæ. ff. de tutelis. Sed Valenti. Theodosius, & Arcadius imperatores, admittebant matrē id impetrantem ad tutelā filiorū si nullus legitimus superesset, atq; sacramentū præstiterit se ad secundas nuptias non uenturā. sed hoc Iustinianus exauterare cupiēs. sanciuit primo matrē, & post eā auiā secundum ordinē etiā ante agnatos & legitimos, licet debitrices sint minorū, ad tutelā admittendas, si modo inter gesta nuptijs alijs, & auxilio Senatusconsulti Velleiani renūciauerint, nō petito iureiurādo de secundis nuptijs posthabēdis, quibus cōtractis statim eas expelli cōuenit à tutela, manētibus rebus non tam ipsarū quā maritorum pro gesta administratione obligatis, in. l. matres. & Autē. matri & auiæ. et Autētica sacramētū. C. qn̄ mulier tutelæ Mater & auia tutrices esse possunt.

tutelæ officio fungi potest, & in auten. de nuptijs. §. si aũ tem tutelam. coll. iiij. ubi amplius est, matrem quæ tutelã filiorum gesserit, nisi prius tutorem petierit filijs, ratio nemq; reddat gestorum, atq; exoluat, quàm ad secunda cõ nubia uolet, ad filiorum ante pubertatem morientium

Solon. *successionem uenire non posse. Solon uero dum Athenien sibus leges ferret, (unde & Romani in tabulas suas retu= lisse existimari possunt) tutelam uirile tantũ munus esse, & fœminas tam abesse à tutelæ negocio uoluit (uti Laër tius autor est) ut etiam tutorem apud pupillorum matrem habitare prohibuerit.*

TITVLVS XVI.

De capitis diminutione.



VS agnationis quod ex lege XII. tabula= rum deriuatum est, quantum ad tutelas etiam pertinet, minima capitis diminutio ne tam tutoris quã pupilli perimi solet, ita ut legitimus tutor in adoptionem da tus, tutor esse desinat, in. l. legitimam. & l. legitimos. §. si quis legitimus. ff. de legiti. tuto. nisi tutela sit fratris, ad quam non obstante capitis diminutione uocatur. l. consti tutione. & l. frater. C. de legiti. tutel. Ea propter locum de capitis diminutione, altius repetit.

Capitis diminutio. *Porrò capitis diminutio est (inquit Caius) prioris sta= tus facto hominis interueniente, commutatio. Et quia tria sunt apud Paulum, in quibus status hominis uertitur, Li bertas, Ciuitas, & Familia, introductũ est, ut tria quoq; sint quibus liberum caput priorq; status diminuitur. Ex quibus si quis simul & libertatem, & ciuitatem, et fami*

liam

liam amittit, maximam capitis diminutionẽ pati dicitur, qualis est, qui pœnæ seruus fit, aut in metallũ dãnatur. Similiter qui sese uenalẽ exponit alioqui liberi status, ad pretium participandum. Maxima capitis diminutio.

Mediam capitis diminutionem appellamus, quãdo ciuitas amittitur, sed libertas retinetur, quod fit per deportationem in insulam, quam ἀπολίτιδς facere diximus, atq; in locum interdictionis aquæ & ignis, est subrogata. Libertas uero ciuitasq; si retinentur & familia tantum mutatur, Minimam *capitis diminutionem uocant, uti fit in utraq; adoptione quæ legitimam tutelam etiam finit, tantum abest, ut reliquæ, multo grauiores id non fecerint.* Expenditur *id fusius in* Pandectis *eodem tractatu.* Media capitis diminutio.

TITVLVS XVII.

De legitima patronorum tutela.



LEGITIMAM *patronorum tutelam dicimus, quã patronis, & deinde liberis ipsorum iustæ ætatis, in minores libertos lex* XII. *tabularum defert, non quidẽ specialiter & nominatim, sed per consequentias successionũ, autore* Vlpiano, *ad quas patroni in bona libertorum ex lege uocãtur, modo plerunq; ubi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet. itaq; patronus ex lege* XII. *tabul. siue sponte sua manumiserit siue ex fideicõmisso rogatus, siue ea ratiõe seruũ emerit, ut è manu mitteret, semper tutor erit, ut est locupletius in l. tutela. ff. de legiti. tuto. Cæterum si hæres seruum manumittere rogatus, per* Legitia patronorum tutela.

tus, per Prætorem euocatus fideicõmiſſo non ſatisfaciens latitet, & Prætor cauſſa cognita libertatem ſeruo deberi pronunciet, tunc ſeruus ex Conſulto Rubriano quod Senatus diui Hadriani temporibus cẽſuit, fit liber, & Orcinus, hoc eſt, defuncti libertus, ad cuius familiã hoc caſu transfertur, & tutela eius ad liberos defuncti patroni pertinet, non ad hæredẽ, quod ſimiliter in omnibus Orcinis libertis locũ habet teſtamento manumiſsis, in l. in fideicõmiſſarijs. ff. de fideicõ. liber. & l. j. §. interdũ. & l. tutela. §. planè. ff. de legi. tuto.

Senatuſcõſultũ Rubrianum.

TITVLVS XVIII.

De legitima parentum tutela.



HAEC *tutela ex interpretatione legis deriuatur, quam parentes in liberos minores emancipatos retinent, quo uenit ut ex lege xij. tabularum triplex tutelæ ſpecies ſit introducta. Nam quæ nominatim per legem defertur, eſt legitima agnatorum, hodie cognatis etiã gradu proximioribus cõpetens ex iure Imperatorũ. Eſt præterea quæ ex mente legis ob conſequentias ſucceßionum datur, & legitimam patronorũ tutelam appellamus. Poſtremo eſt legitima parentum tutela in liberos emancipatos, neque ex uerbis legis, neque ex mente eius, ſed ex interpretatione prudentum, quam ad legem fecerunt, ad exemplum & ſimilitudinem tutelæ patronorum introducta, nam ut patroni ad tutelam libertorum ex mente ueteris iuris uocantur, ita & parentes ad liberorum emancipatorum tutelam ex ſimilitudine rationis adſciſci, operæ pre*

Legitima parẽtum tutela.

tium

tium uisum est, cum parentes emancipantes liberos, patronis seruos manumittentibus nonnihil æquiparentur. Est in l. tutela. §. si parens. ff. de legiti. tuto. l. j. responso. j. ff. & ibidem glossa. ff. si quis a parente fuerit manumissus.

TITVLVS XIX.

De fiduciaria tutela.



ARENTE *qui legitimam tutelã in emancipatũ habebat defuncto, emancipatus & minor in fratris si quis maioris ætatis superstes est, tutelã adit, id quod etiã obtinet in fratre non emancipato, cuius tutela ad fratrẽ qui emãcipatus est defertur.* Et *hãc tutelã fiduciariã uocamus, nõ ex iure ciuili manãtẽ, alias legitima esset, sed ex cõmẽtitio magis prudẽtũ instituto. Ius enim ciuile fratrem ad legitimã fratris qui emãcipatus est, successionem nõ admittebat, propter ius agnationis solutũ, quod sic minima capitis diminutione deperditur, ergo nec ad tutelã. Sed quia prudẽtes & legũ cõditores non minimum spei atq; cõfidẽtiæ ob sanguinis illã necessitudinẽ, naturalẽq; propinquitatem inter fratres relictũ sibi persuasum habẽt, fit ut frater ad tutelã emãcipati fratris atq; è regione, uocatus fuerit, tutorq; nõ legitimus, sed fiduciarius, ad similitudinẽ fortẽ patris adoptiui quẽ Caius fiduciarũ, puta naturalis patris uice nec minoris fiduciæ appellat, olim fieret, de quo in nostro titulo, & l. quo defunctus. ff. de le. tu. Quoniã uero nouo imperatorũ iure fratres etiã ad emãcipatorũ successionem*

Fiduciaria tutela.

Fidu. tut. hodie est legitima.

k

cessionem uocantur, & è regione, iuxta l. lege xij. tabularum. & l. meminimus. C. de legiti. hæredib. Fratres non a modo ad fiduciariam, sed legitimam emancipatorum tutelam uocantur, unde quã ius ciuile fiduciariam, Cõstitutio diualis legitimam tutelam non immerito uocat, differunt Bar. & Ange. *in l. iiij. ff. de legit. hæredib.*

TITVLVS XX.

De tutore Attiliano.



Attilio, & Cl. Martio trib. pleb. rogatione latum est, ut si cui nullus omnino tutor fuerit, neq; ex testamento, neq; ex agnatis, uel si datus esset sub conditione, uel in diẽ, uel pure, hæreditate necdum adita, uel si tutor ab hostibus captus, postliminio non esset reuersus, ei quidem in urbe Ro. *à Prætore* Vrbano, *et maiori parte tribunorũ pleb. daretur, unde tutor* Attilianus *appellatur.* In *prouincijs autem à Præsidibus prouinciarum ex lege* Iulia *&* Titia. *Sed ob magistratus difficultatem poterant res minorum negligi,* Imperator *ut reipublicæ atq; adeo minoribus prospiceret, constituit quenq; magistratum, etiã minorem, per ciuitates, sine Præsidis iussu, tutorem ex inquisitione dare posse, non tam ex consuetudine quàm iure scripto, modo facultates pupilli quingentos aureos non excedant, quo uno casu Præsidis adsensus desyderatur.* Innuit *post hunc locum l. j. C. de emancipa. libe. & l. iij. ff. de tuto. & cura. datis ab ijs &c.*

Quis iudex tutorẽ dare põt.

Proinde datiuus (ut uocant) tutor per eum iudicem magistratum' ue constitui debet, qui competens est, & merum

merũ atq; mistũ imperiũ habet, iuxta.l.tuto.§. tutori. ff. de tutel. puta illius loci unde pupillus aut est oriũdus, aut ubi bona sua collocata habet, planè si pupillus sub altero iudice ortũ cœperit, sub altero uero bona habeat, uterque tutorem danto, & si alter alterum dederit, is est præferẽdus, qui prior fuerit datus. Sin autem pupillus eo in loco domiciliũ habeat, unde neq; est oriundus, neque ubi bona patrimonij habet, tunc is magistratus de tutore rectius inquiret, sub quo pupillus moratur, atq; domicilio tenus uitam degit, ubi si idoneus nõ inuenitur ex uicinia est petendus, in.l.j.C.ubi tuto.peti deb l.magis puto.§.illud.ff. de rebus eorum.& l.j.§.si quando.ff.de magist. conueni. & l.pupillo.ff.de tuto.& cura.datis ab ijs &c.

Et quod prætereundum non est, nisi uterque & pupillus & is qui tutor datur, ad iudicis decernẽtis forum pertineant, tutela uiribus non subsistet, sed iure est inualida. in.l.j.& l.ius dandi.ff.de tuto.& cura.datis ab ijs. Fusius in.l.etiam.ff.de tutelis. Tutor et pupillus suo iudice dante sunto.

TITVLVS XXI.

De autoritate tutorum.



OST *constitutos tutores, de ipsorum quoque autoritate dispiciendum uenit: porrò autoritas tutorum, est uis illa, atque potestas quam tutores uel ex testamento, uel ex lege, uel per iudicem receperunt in rebus pupillorum administrandis, atque ut hæc autoritas in tuto sit, & sine periculo habeatur, oportet per iudicem decernatur, præsertim in tutore testamentario & legitimo, quo-* Autoritas tutorum.

rum alter per testatorem, alter uero per legem cõstitutus est atq; adprobatus, tametsi in omni tutorũ genere id obtineat, nam iudex quoties tutorẽ per inquisitionem cõstituit (quem Attilianum uocant) eidem administrationem commitere quoq; debet, de hoc est in.l.iij.§.fi.ff. de admi.tutorum.& l.cui eorum.ff.de post. Secundo, Tutor repertoriũ seu inuentariũ, in quod omnia quæ in pupilli bonis comprehenduntur nominatim referat, cõficere debet, requisito ad id literarum publico architecto, seu tabellione.l.tutores.C. de admi. tuto.l.tutor qui repertorium.ff. eo.ti.l.fi.C.de arbi tutelæ.& l.fi.C.de cura.furios.et hoc si facere posthabeat tutor, non modo huic periculo expositus est, ut finita tutela contra ipsum iurari poßit in litem, iuxta iam allegatam.l.tutor qui repertorium.& l.dolo.& l.si procurator.§.dolo.ff.mandati.sed etiam ut falsarius condẽnari, potißimum si ob neglectum repertoriũ iustam administrationis rationem nõ poterit reddere, in l.j.§.tutores.ff.de falsar. Est tamen quod testamento datus tutor ab hac inuentarij cura eximatur, similiter & decreto administrationis, quando testator per expressum æditionem repertorij remittit, & uult statim sua autoritate res gerat.l.fi.C.de arbi.tutelæ. & l.cui eorum.ff. de postul. Tertio, Oportet iureiurando affirmet tutor se ea facturum quæ in rem pupilli erunt, reliquaq; omissurum, tum quod pupillum sit defensurus, sine quibus tutela nec flocci erit, in Auten.de ijs qui se oblig.perhi. hab. res mi.§. fi. & l.fi.§. defensionem.C. de admi. tut. Lex enim uult pupillũ defendi per tutorem, quare id promittat opus est, cuius Barto. præcipue monet, in dicto.§. defensio

Admi.oĩbus tuto.decer. pe.

Inuentariũ vt conscribat.

Iusiurandum tutoris.

fensionem. & colligit Alexan. *consil.* CCXXIX. *uolu.* I.

Quarto, Satisdet cum fideiussore aut pignoribus rem pupilli saluam fore, id quod locum habet in tutore legitimo & datiuo. Testamentarius siquidem regulariter non satisdat. est in. l. tutores. ff. de confir. tu. & latius inferius de satisdatione tutorum uidere est. Satisda. tutoris

Quae ubi per tutorem sic fuerint peracta, plenã nanei scitur in rebus pupillaribus autoritatẽ, et gesta erunt rata, Licet in ijs rebus quae tempore peritura essent, & moram non patiuntur, uel ad meram pupilli utilitatem pertinent, etiã priusquàm haec interuenerint, gesta tolerãtur, iuxta. l. fi. C. de tuto. qui satis non dede. & l. quidam decedens. §. usqueadeo. ff. de admi. tuto.

Si inter tutorem, pupillumq; &c.

SI *iudicium inter tutorem pupillumq; interuenisset, pluribus tutoribus non existentibus, ne pupillus indefensus maneret, tutor per Praetorem antea dari solebat, deinde uero curatorem ad litem constitui uisum est, cuius officium finita tandem lite etiam expiraret: sed quia hoc ipsum pupillis in rem esse non est uisum, nouissimo autentiarum iure emendatum est: Nam qui uel debitor est, uel creditor, praesertim ante tutelam, non potest tutor esse, igitur neque curatore hoc casu opus est, cum suspitio sit, per hoc res pupillares nõ fieri meliores, neque admodum saluas, in debito praecipue magno. Sin uerò hoc debitum inter administrandum sit conflatum, in iudicium deduci non debet, nisi tutela finita. l. si tutor. §. fi. cum lege proxima, ff. de tutel. & ratio. distra. & l. rationes. C. de administra. tuto. atque ut alterationis pru-*

 dentum

dentum finem aliquando habeas, hæc obtinent, præterquam in tutore testamentario, & per inquisitionem dato. Porro testamento tutor ordinatus, utcunque in multo sit uel creditor uel debitor, propter fidem quam testator in homine debiti cõscius, approbatam habuit, tutor erit, apud Iureconsultos in.l.post litem.ff.de excusa.tuto. Præterea per iudicem tutor datus, etiam si creditor sit uel debitor, obtinet autoritatem, propter inquisitionẽ factam qua uisus est pupillo utilis esse, per.l.si nemo tutorem.§.1.ff.de testa.tute.omnia tamen copiosius habentur in auten.ut ij qui obligatas se perhibent habere res minorum, &c.§.1.colla.VI. & in auten.minoris.C.qui dare tuto. uel cura.pos.

Quando debitor tutor esse potest.

TITVLVS XXII.
Quibus modis tutela finitur.

Tutela quibus modis finit.



Vtelæ quibus modis finiunt scire operæpretium est, finiũt autẽ cum pubertate pupilli, pupillæ'ue: Dein' si adrogati deportati'ue sint minores, aut defuncti, capite'ue diminuti, aut in seruitutẽ redacti, item si ad certũ tẽpus, seu conditiõe sit datus tutor, finito tẽpore, uel cõditione existente, tutela expirat: Proinde tutores ut suspecti remouẽtur quãdo ex iusta caussa sese excusant, onusq; administrãdæ tutelæ deponũt. Frequentißimũ tamẽ est ut cũ pupilli, pupillæ'ue, puberes esse cœperint, finiat tutela, sed cum pubertas non solũ certo annorũ numero; sed etiam ex corporis habitu apud ueteres in masculis existimata sit, in.l. minor XXV. annis. & l. de ætate.ff. de minorib. uisum est Iusti

Pubertas ex inspectiõe corporis.

est Iustiniano nostri temporis castitati minus conuenire, ut in spectio illa corporalis habitudinis in fœmellis, etiā apud maiores nostros illicita, nostro seculo in masculos committeretur, unde placuit pubertatem in masculis post XIIII. annum expletum, in fœmellis autem post XII. ætatis annū censeri, constitutio est in l. fi. C. quādo tuto. uel cura. esse desinunt. Et quia quod fauoris est tractamus, expletum annum XIIII. uel XII. intelligimus, si quādo pupillus, pupilla'ue, XIIII. XII'ue anni ultimū contigit diē, apud interpretes iuris ciuilis, in l. cui. ff. de lega. ij. aliâs enim quod rigidi iuris est, tempus de momēto in momentum censemus, l. iij. §. scio. ff de minoribus. Ad rem quod attinet, Tutela pupillo pubertatis annos ingresso, nulla quidem hominus opera, sed ipso iure finit, apud iureconsultos in l. imperator. ff. de iure fisci. & l. in criminali. C. de iurisdict. omnium iudi. Prudentis tamen est tutoris finita tutela adultis curatores uel petere uel ut petantur efficere. Quoniam hoc nisi fecerit, à periculo tutelæ non liberatur, & si quid ex rebus minorum, usque ad annum XXV. sit decoctum, atq; perierit, tutoris damno atq; periculo perit, curatores enim non petijt, ut uel deinceps ab onere releuaretur. l. admonendi. C. qui petant tuto. uel cura. l. ita autem. §. cum. & l. à tutoribus. §. j. & l. tutores qui post ff. de administra. tuto.

Tutela ipso iure finit.

Curatores quare petendi.

Postremo finita sic tutela, tutori incumbit rationem rerum à se gestarum plenam reddere, idq; coram iudice competenti, tametsi coram uiris bonis & calculi experitis, per iudicem ad hoc datis, id etiam fieri possit, cauetur in l. j. §. officio. ff. de tutel. & ration. distrahen. & l.

Ratio reddēda finita tutela.

ij.ff.ubi pupil.educa.debeat.Et huiusmodi rationẽ ut tutor reddat, cogi nõ potest, nisi finita sit tutela, neq; curator, nisi post curam. l.ubi finita §.cum adhuc.ff. de tute. & ration.distra.& l.ij.& l.rationes.C.de admi.tuto.in quam rationem non modo deducẽda sunt, quæ nomine pupillorum administrantur, uerumetiam quæ in rem eorũ habentur impensa, quando æquißimum est sumptus cum ijs quæ recepta sunt, etiam hoc casu æquari atq; compensari.l.ij.ff.ubi pupil.edu.deb.l.sumptus.C.de admi. tut. l.j.§.prætera.ff.de contrario iudicio tutel.facit.l.quod in diem.§.si quæstionẽ.ff.de compensa.Item in rationem uenire debet, quicquid post pubertatis tempus, finita scilicet tutela, uel tutor geßit, uel ex rebus minorũ dum non essent petiti curatores, dispertijt, in.l.tutor post pubertatem.C.arbitriũ tutelæ. Proinde, quemadmodũ tutor functus officio ad reddendam rationem, si in hoc obdormire & negligẽs segnisq; esse uelit, per Prætorẽ cogi debet; in.l.j.§.officio.ff.de tute.& ratio.distra. ita ex diuerso si adultus oblatam per tutorem rationem, suscipere contempserit, similiter per Iudicem cogi poterit, ne tutoris operam uel ludificet, uel diutius in suspenso teneat, ut cuius interest gestorum rationem ædi, cum bona sua quamlibet multa, pro hac una administratione interim maneant obligata.l. pro officio.C. de admi.tuto.& l.fi. C. de usu.pup. Quibus adde, si plures sint dati tutores, & tutela est diuisa, ita quòd singuli singulas rerũ partes debeant administrare, uel unus omnes in uniuersum res. tunc primo conueniundus est qui geßit, atq; eo non existente soluendo, magistratus actione quam subsidiariam uocant,

Tutor cogitur rationẽ reddere

Pupillus cogitur rationẽ suscipere.

Ordo cõuenien di tutores plures.

uocant, & deinde tutores qui nō gesserunt. De neglectis autem quæ gestorum numero non habentur, omnes ex æquo sunt obstricti, utpote æqualis culpæ. Sin autem diuisio tutelæ legitima, interim per testatorem aut Iudicem non sit facta. & unus ex tutoribus solum gessit, uel tutores inter sese rem partiti sunt, ut unus gereret, Tunc in arbitrio est adulti, uel omnes simul, uel quelibet ex eis, etiam eum qui non gessit, insolidum conuenire, usqueadeo paris culpæ sunt non gerere, aut alteri demadare, & male gerere: quæ manifestißimo iure sancita habentur, in l. ij. C. de diuidenda tutela. & l. ita tamen. §. gessisse. ff. de admi. tuto.

Vnus quādo gessit tutela nō diuisa.

Vel deportati &c.

Impubes etiam morte condemnari potest.

V*El hinc patet, puerum infra pubertatis annos constitutum, committere posse, unde pœnam mereatur, etiam capitalem: quod tunc uerum est, si non prorsus impubes, sed pubertati sit proximus. adnotatur in l. si adrogator. ff. de adoptio. & l. excipiantur. ff. ad Sylletanum dicimus autem pubertati proximum masculum qui decem & dimidium annos habet. Fœmellam uero, si nouem & dimidium. Refertur in l. pupillus. & l. stuprum. ff. de adulte. & stup. l. impuberem. ff. de furtis. l. pupillum. & l. pupillus. ff. de regu. iuris. §. in summa. infra, de obliga. quæ ex delicto. in quam ætatem quoduis delictū, etiam stuprum, cadere potest. l. auxilium. §. in delictis. ff. de minorib. mitius tamen ob ætatis miserationem puniri debet, quàm si adultus peccasset, per l. si ex caussa. §. nunc uidendum. ff de mino. l. j. C. si aduersus delict. & l. aut facta. §. personæ. ff. de pœnis. Sane infra hoc tempus*

quod pubertati uel proximum est,uel eam contigit,impune à pueris delinquitur,ut cui doli capacitas unde maleficium censemus,desit.l.j & l.infans ff.de sicarijs.in quō tamen aliæ ciuitates atq; magistratus aliam animaduertendi cōsuetudinem sibi moribus partam uolunt,inuenies enim qui puerum utcunq; paruum si delinquendi adsuetudinem statim ac ineunte ætate imbuere sit uisus, Neptuno consecrare non uereantur.

Pueri quãdo delinquunt.

TITVLVS XXIII.
De curatoribus.



INITA tutela,res minorum Curatoribus demandari iuris ordine consueuerunt, idq; ad annũ XXV.ab illa siquidem ætate sua quisq; negocia agere ipse potest,& dãtur curatores per eum magistratũ, per quẽ & tutores,l.j.ff.de tuto.& cura.datis ab ijs &c.sed non per testatorem. Curatores enim primo rebus præficiuntur curandis,gerendisq;,unde & curatorũ nomen effluxit,& secundario personis,quo fit ut nõ tã personis, quàm rebus prospiciendi munus habeãt,quod ecõtrario in tutoribus se offert,ut qui primo personis pupillorum,eius ætatis in qua sui potestatẽ non habent,defensandis adhibẽtur,unde tutores à tuendo nomen adæperc,l.diuus Marcus.ff.de officio præsidis.l.consilio.ff.de cura.furios.& l.in copulandis.C.de nupt.Modo testator rebus adulti & pubertatem consequuti plane inutiliter disponit, qui eius est ætatis,ut rebus suis ipse curatorem & petere & adsequi poterit,l ij.ff.de uulgari & pupil. substitutio.Sin uero

Curatores unde

Curator testamentarius confirmari debet.

uero curator testamento sit datus, nõ prius administrãdi munus consequitur, quàm per magistratũ fuerit cõfirmatus, quo pacto etiamnũ ualet, propter uotum illud & testantis interpositam fidem, ut est in.l.ij.C.de confirman. tuto.uel cura. Proinde curatores in hunc modum rebus præfecti eodẽ sui periculo, quo tutores, administrationẽ subeunt. In principio siquidẽ inuentariũ omniũ rerum cõscribunt, iusiurandumq; præstant sese fideliter cuncta gesturos, rationemq; gestorum peracta cura reddituros, in l.de creationibus.C.de episcopali audien.l.cum furiosus. §. sed cum antiquitas.§. & inuentario. & Auten. quod nunc.C.de cura.fu.& prodig.& Auten.ut ij qui se obli. habere perhibent &c.§.fi coll. VI. Curatores inuẽtariũ cõscribũt

Item inuiti adolescentes.

QVemadmodum magistratus adulto neque prodigo, neque furioso, renitenti curatorem dare non potest, ita nec ipse nisi rogatus & uolentem constituit; est glossa in.l.hoc autem.ff. ex quib. causs. in poss. eatur. refert Barto.in.l.ij.ff.de cura.bo.dand. Ad certam tamen caussam, hoc est, ad litem, minore utcunque inuito, Curatores dari possunt qui defendere solent, idq; apud idoneum magistratum, præsentibus & curatore & adulto.l. iij.§.si pupillus.ff.de tutel.&.l. cum hi.§. si Prætor.ff. de transactionibus.l. neque à Præside.C. qui dare tuto.uel cura.poss. Qui curatores, quia ad certam tantum caussam ordinantur, repertorium non conficiunt, sed iureiurando solum affirmant, rem illam adulti saluam fore, cumq; iudicio defensum iri.l. tutor qui repertorium.ff. de administrat.tuto.l.sed &.ff. rem pupilli sal. fore. Curatores ad litem.

ſore.& l.ad protegendam.C.de in litem dã.tuto. Vbi uero neq; tutor,neq; curator ex cauſſa probabili iudicio agere litem'ue ſuſcipere poterunt,ut quibus procuratorem ante ſuſceptum iudicium conſtituere nõ liceat,per.l. neq; tutor.C.de procuratorib. & eſt quod minoris nomine iure agatur:tũc iudicem adire,aliumq; decreto eius interueniente dare,atq; in locũ ſuum ſufficere debẽt, quem actorem appellamus,eo quòd nomine minoris agit tantũ, cuius eſt cauere, tam minorẽ, quàm tutorẽ,aut curatorem quicquid iudicio egerit,ratũ habituros,in.l.actor.& ibidem Bar.ff.rem ratam habe.l.unica.C.de actore à tutore uel cura.&c. & l.decætero.ff.de admi. tuto. Præter hoc quòd actor alia ſignificatione pro defenſore uniuerſitatis atq; ſyndico adcipitur,uti eſt in.l.j.§.quibus. & l. item eorum.§.ſed hodie.ff.quod cuiuſq; uniuerſ.nomine.

Actor quomodo cõſtituitur.

Furioſi quoq; &c.

N*Ec ſolũ minoribus,ſed etiam ijs qui* XXV.*annis maiores ſunt,curatores præficiuntur, quales ſunt furioſi & prodigi,quibus bonorum ſuorum adminiſtrationi per legẽ* XII.*tabul.eſt interdictũ,ex qua curatores quoq; recipiunt,donec reſipiſcant, idq; ex agnatis. Porrò furioſi, quia ſtatim,ubi furore perciri cœperint eis bonis ipſo iure.i.ſine aliquo hominis adminiculo interdicitur,curatores habeant,eſt neceſſe,Sed prodigo tametſi ex lege* XII. *tab.haud diſsimiliter poteſtas rerũ ordinatur,iudice tamẽ opus eſt,qui bonis interdicat,quo tandem facto,res ad curatorẽ deferũtur.l.j.& l.ſi furioſo.§.j.ff.de cura furioſ.l. j.& l.ij.C.eo.ti.Eſt aũt prodigus ſecũdum Vlpianũ qui neq; tẽpus,neq; finẽ expẽſarũ habet,ſed bona ſua dilacerando*

Curatores furioſorum.

Prodigus.

rãdo & dißipando profundit, quẽ Caius accommodo uocabulo ob id euersorẽ compellat. Sane furiosi licet sermonis sint cõpotes, res suas tamẽ ita tractãt, ut nisi eis subueniatur, ad egestatẽ facile corruẽt, decoquentq;, in citata. l. j. ff. de cura. furio. & l. ijs qui. §. diuus pius. ff. de tuto. & cura. datis ab ijs &c. In summa curatores furiosorum & prodigorum sunt legitimi ex agnatis lege xuirali cõstituti. Cæterum reliquis natu maioribus, puta surdis, mente captis, & perpetuo morbo laborantibus, curatores per magistratum solum & non ex lege antiqua constituuntur, quos datiuos appellamus, cuiusmodi & furiosi et prodigi recipiunt legitimis agnatis'ue non existentibus. Euersor. Cura. furi sors & prodigiorũ legitimi.

TITVLVS XXIIII.
De satisdatione tutorum uel curatorum.



ES minorum ne minus diligẽti administratiõe decrescãt, aut in uniuersum dispereãt, tutores et curatores eo nomine satisdare debẽt, hoc est, datis fideiussoribus cauere. Est aũt satisdatio apud Caiũ, eodẽ modo appellata, quo satisfactio. Nam ut satisfacere dicimur ei, cuius desiderium adimplemus, ita in præsentiarũ satisdare dicimur, rem pupillorũ, pupillarũ'ue saluã fore, quando sic cauimus, ut datis hoc nomine fideiussoribus securi fiant, in. l. j. ff. qui satisda. coguntur. l. eo ostendimus. §. fideiussores. & l. pupillus. ff. de fideiuss. tuto. & l. j. C. de tuto. qui non satisde. Enimuero in reliquis satisdationibus, utpote iudicio sisti, & id genus alijs, quamuis satisdatio per iuratoriam cautionem perficiatur, insufficiens'ue fiat, in tu Satisdatio.

Satisdatio tut. & cura. per fideiussores.

Tutores testamētarij et dati qui nō satisdāt.

in tutelis tamen & curarũ prouincia, non recipitur satisdatio nisi per fideiussores roborata, in allegata.l.j.ff.qui satisd.cog.l.nõ quasi.ff.rem pup.sal.fore.l.ij.C. de tuto. & cura.qui non satisde.l.suspectum.ff.de suspectis tuto. & l.prætoriæ.ff.de prætorijs stip. Ab hoc autem *satisdationis onere eximuntur tutores, qui testamento sunt dati propter fidem testatoris.Similiter quos Prætor constituit ob inquisitionem qua ex pluribus sunt delecti.Est etiã in l.non dubium.& l.non omnũ.C.de tut.& cura.qui non satisde.præter hos, quotquot sunt uel tuto. uel cura. nisi satisdederint quicquid minorum nomine egerint, quantũ ad minores pertinet, irritum est, neq; ratũ habetur.l.j.& l.ij.& l.fi.C.de tuto.& cura.qui non satisdede.*

Sed si ex testamento &c.

Tuto.vel Cura.honorarij.

Cõtutores bona diuidere possunt.

PLuribus datis tutoribus aut curatoribus, ne tutelæ sic in diuersos diductæ, negocia frigidius, quod in rebus pluribus commißis plerunq; fieri consueuit, gerantur, uni duobus'ue qui satisdent, administratio committi potest, idq; per testatorẽ, maiorem tutorum partem, aut per Prætorem, quo pacto illos qui non gerunt honorarios uulgo appellamus, nã honoris ergò magis quàm ut gerant tutores sunt aut curatores, in hoc dati ut sint obseruatores gerentium uel custodes, sed non prorsus indemnes, nam excußis demum facultatibus eorum qui gesserunt & ipsi conueniuntur, imputabiturq; ipsis si male in bonis pupillaribus uersantes suspectos nõ fecerint, atq; moueri non satagerint, cautũ est in.l.si plures.ff.de admini.& periculo tuto.& l.quod si forte.§. sunt quidam.ff. de solutio.Sin uero omnes omnia bona simul, aut in partes,

teis,

teis, regiões'ue diuisa singula singuli gerere in animum induxerint, nec alieni periculi subcedanei esse uelint, non sunt prohibendi. l. iij. §. plane, & l. uel in parteis. ff. de admi. & peri. tuto & cura.

Sciendum autem est.

M*Agistratus est minoribus de tutela, cura'ue, per idoneam satisdationem, commode prospicere, quod nisi pro officij sui dignitate sit factum, damnum si quod minores, eapropter patiuntur, non secus in ipsum & haeredes ipsius redundat, quàm in fideiussores si fuerint dati, idq; ex Senatusconsulto Traiano, quo actio subsidiaria eius nomine inducta est, per l. quod ad heredem. ff. de magistra. conue. & l. in magistratus. C. eo. titu. eius rationem sic accipe: Magistratus municipalis, aut is cui per superiorem committitur, si à datis tutoribus curatoribus' ue legitimis atque datiuis, satisdationem rem minorum saluam fore non exegerit, uel si monitus tutores, curatoresq; legitimis modis non dederit, dare'ue ultra quàm iustum est distulerit, quicquid detrimenti minores, quorũ intererat id fieri, interim patiũtur, magistratus ipse luit l. j. §. magistratibus. ff. de magistra. conue. l. aduersus. C. eo. tit. l. lucius. ij. §. pe. & l. aemilius dexter. ff. de admi. & pericul. tuto. & cura.*

Magistratus tenetur de damno minorum.

Sane ordo conueniendi Magistratum, & tutores hic fermè est, Ex datis tutoribus, curatoribus' ue qui gessit absq; satisdatione scietibus, id reliquis cõtutoribus neq; eum ut suspectum traducentibus, primo est conueniẽdus, tum caeteri contutores, quibus sic excußis, si nec dum minori satisfiat, deinde Magistratus qui satisdationem non

Magistratus et tutores quomodo cõueniũtur.

non exegit actione subsidiaria impetendus, in allegata. l. aduersus. C. de magistra. conueni. l. j. §. usq;. ff. de tutel. & ratio. distra. l. lucius. §. fi. ff. de admi. tuto. & l. si diuisio. C. de diuidenda tutela. Actio subsidiaria hinc appellatur, quod ubi excußis tutoribus curatoribus'ue collegis, tũ fideiussoribus si qui sunt dati sed minus idonei, minoribus necdum est satisfactum, ad magistratum, ceu extremum subsidium perpeßi damni, ueniat recurrẽdũ: usqueadeo reipublicæ interesse uisum est, res minorũ fore saluas. Et datur subsidiaria actio minoribus, cæterisq; aliena administratione indigentibus, eorumq; hæredibus per senatusconsultum, & quandoq; contutori non gerenti qui inscius fuit, satisdationem non esse exactam, aduersus magistratum, obseruato rerum ordine, l. proponebatur. & l. quod si tutor. ff. de magistra. conue. & l. aduersus. C. eo. ti. Satisdationem uero idoneam (quod obiter aduertas) accipimus, si tutores aut fideiussores eo tempore quo constituuntur, aut tutelæ finitæ sunt soluẽdo, sic enim magistratus liberatur, quod si constitutionis tempore soluendo fuisse abnegentur, magistratus est contrarium ostendere, nisi ipse succumbere uelit. l. j. §. si magistratus. & §. sed & si. ff. de magistratibus conueniendis. & l. in magistratus. C. eodem tractatu.

Subsidiaria actio unde.

Subsidiaria quibus competit.

Satisdatio idonea.

TITVLVS XXV.

De excusationibus tutorum uel curatorum.

A Tutelis



TVTELIS *Atq; curationibus tametsi inter publica cẽseãtur onera, est quod quis excusationẽ inueniat, præsertim si tres liberos Romæ, in Italia quatuor, aut in prouincijs quinque, quibus & filiæ connumerantur, & ex filio defuncto nepotes, quorũ duo semper in unius locũ censentur superstites, aut in acie pro republica occisos habeat, in.l.excusantur. §.remittit à tutela.ff.de excu.tut.Sic qui res fisci administrat excusatur.Item si reipublicæ caussa absit, aut magistratũ aliquem susceperit.Insuper tria tutelæ onera non affectata uacationẽ præstãt.Proinde paupertas, ea præsertim, qua quis uictum manibus suis quotidie quæritare cogitur, l.præses.C.de seruit.Item aduersa ualetudo, & literarum imperitia, tum inimicitiæ capitales, nec dum recõciliatæ cum patre minorum, uacationẽ præstant, aut si quis status sui controuersiam similiter à pupillorum patre sit passus.Proinde maior* LXX. *annis, & miles, cum nonnullis qui docendi publice munus acceperunt, excusari possunt.*

Qui excusantur a tutelis.

Paupertas quã do excusat.

Sed si in bello amissi sunt &c.

B*Ellum totum illud tempus appellamus, quo in militia atque expeditione sumus. Aciem uero exercitum instructum, qui ex ordine dimicat, apud Vegetiũ in iij. de re militari cap.xiiij. & meminit Val.Maximus in V. memorabilium lib.c.V j.Latini autores etiam prælium dixere.Sic Liuius, Populum Romanũ nullo unquã bello, multis autem prælijs uictum esse, scribit.Vult autẽ Imperator non omnes qui per caussam belli, utpote obsidionẽ aut palabũdi parentibus suis sunt erepti, uacationem*

Bellum.

Acies.

Prælium.

præstare, sed eos tantum qui instructa acie atq; ex ordine pugnantes occiderunt, iuxta .l. bello amissi. ff. eod. tit.

Nam nec anni &c.

Anni uacatio quibus datur.

HVnc locum ex Herennio sic intellige, quisquis publicæ necessitatis gratia absens fuerit, reuersus, anni uacationem habet, intra quem ad nouas tutelas non uocatur, sed recolligēdarū uirium intercapedinem obtinet. Si quis autem tutelam priusquā publici negocij gratia abijsset, habebat, nullam anni uacationem meretur, sed reuersus, tutelam necdum finitam repetit. Vnde est quod huiusmodi annus, ad futuras & nouas tutelas subeundas tantum datur, & non ad eas quæ solum resumuntur. l. non solum. in princ. ff. eod. tit.

Item Romæ Grammatici &c.

Quot ꝓfesso. vacationem habent.

LIberalibus studijs quantum ueteres & quibus respublica semper curæ fuit, adtribuerunt, uel hinc apparere potest, quòd non tantum honoribus, uerumetiam priuilegijs perpetuis & à muneribus publicis uacatione ea donare non posthabuere. Sic Grammatici, Sophistæ, Rhetores, Medici, & qui triuiales disciplinas profitentur, à tutelis & cura immunitatē habent, modo intra eum sint numerum, qui ex Epistola D. Pij est præscriptus, is est, ut minores per imperium ciuitates quinq; Medicos, treis Sophistas, & totidem Grammaticos immunes habere possint. Maiores autem, hoc est, quæ forum caussarum atque tribunal obtinent, septem Medicos, quatuor qui utranq; disciplinam doceant. Maxime uero ciuitates quales sunt Metropolitanæ, x. Medicos, Rhetores & Sophistas v. & Grammaticæ artis professionis totidem magistros immunitate

munitate donant.l.si duas.§. grammatici. & §. philoso-phi.& l.sed & reprobari.§. amplius ff.eo.tit. Et dicun-*tur* μητροπόλεις *apud Sudam quæ colonias deduxerunt, quarum ueluti matres sunt, ex cuius imitatione nostri* Me*tropolim uocant, ciuitatẽ quæ* Episcopi *aliacuius sedes est, cam canon distin.lxiij.c.sacrorum. Matricem dicit, quod ad eligendum episcopũ ex statuto* Niceni *concilij, sic & Gangiensis sufficiat ecclesiæ matricis arbitrium, & di-stinct.xij.cap.de ijs matrem rectiori longe appellatione quàm Gratianus cum suo* Isidoro, *qui in c.cleros.§. me-tropolitanus.distin.xxj.a metros deriuari id uerbum so-mniat, atq; à mensura ciuitatum dici. Cæterum qui* Romæ *atque Constatinopoli (ea cæli clementia si hæc imperio fuerit reddita) profitẽtur, etiam extra numerũ uacationẽ merẽtur, in citata.l.sed & reprobari.§. in roma.ff.eo.& l.j.ff.de priuileg.urb. constan. & l.j.C. de stud. lib. urb. ro.lib.xj. Iureconsultos neq; à tutelis, neq; à publicis mu-neribus remitti leges uoluere, ut quos cæteris aptiores & rerum magis expertos, in republica uersari oporteat, nisi* Romæ *doceant, aut* Principi *sint à consilijs, quia tunc si-militer excusantur, in allegata.l.sed & reprobari.§. legũ uerò doctores.& l.iurisperitos.ff.de excusat.tut.*

Metropolis unde.

Gratiani lapsus.

Iureconsf. uacationem non habent.

Qui autem se excusare uolunt.

QVisquis *tutor uel curator inuitus constituitur, & excusationis prætextum habet intra quinquaginta dierum spatiũ, ex quo id cognouit, excusationes suas corã iudice proponere debet, & intra* IIII. *continuos menses peragere, iuxta.l.quinquaginta.ff.eo.& l. quinquaginta. C.eod. Quod si ultra centesimum lapidem, uel milliariũ*

Tempus excusationum prætexendarum.

à ciuitate habitat, postquàm per Prætorem in faciem uel ad domum ei insinuatum est, in singula xx. milliaria singulos dies, & demum xxx. prætereà dierum interrapedinem, pro consultatione obtinet, est etiam post hunc locũ in. l. scire oportet. §. qui autem supra. ff. eo.

TITVLVS XXVI.
De suspectis tutoribus & curatoribus.

Suspectus quis sit.



VSPECTVM *tutorem uel curatorem ut hinc postulari poterit, cũ dicimus qui ex dolo malo in tutela uersatur, aut sordide uel perniciose gerat, uel aliquid intercepit ex rebus pupillaribus, quod in priuatos usus transferre sit ausus, tunc enim uel postulatus, uel magistratus officio ut suspectus moueri põt. l. tutor quoque. §. præterea. & §. nunc uideamus. ff. eod.* Atrocius *autem si quid egerit, præsertim inter plebeios, quia uel præsens minori alimenta negauit, id quod natura fieri abhorret, non modo ut suspectus mouetur, sed etiam pro iudicis arbitrio grauiter atq; extra ordinem punitur. l. j. §. fi. & l. tutor. §. tutor. cum nonnullis sequentibus. ff. eo.* Hoc aũt *quia publicũ est, fit ut omnibus è ciuitate permißum sit etiam fœminis, si aliqua pietate id fiat, suspectum postulare, est etiam in. l. j. §. consequens. & l. pietatis. C. eo. tit.*

Tutor q atrociter audet.

Suspectum quilibet postulat.

Suspectus autem remotus.

S*Vspecti crimen licet ex lege* XII. *tabularum censeatur, non tamen omnes in uniuersum famosos facit.*

Nam

Nam is solum famosus fit, & famæ suæ detrimentum patitur, qui ob dolum malum quo uersatus est in rebus minorum per iudicem remouetur, si dolus per iudicem, hoc est caussa remotionis significetur, exprimaturq́;, per l. hæ enim caussæ. ff. de suspect. tut. Nisi ex dolo malo sit postulatus, tunc siquidem opus non est caussam remotionis per iudicē exprimi, sed nominis infamia moto semper incumbit. l. & cum. ff. de excusat. tut. & l. si ex testamento. ff. de except. rei iudic. Suspectus ob dolū famosus.

Ex leui autem culpa, hoc est desidia & negligentia, quæ facile ab aliquo cōmitti potest, remotus, famam non prostituit, sed saluam retinet, nisi culpa illa sit lata, quæ ob procacem & ratam negligentiam prouenit, ut quæ propè fraudem accedit, doloq́; comparatur, nam et hæc infamiā generat. l. impuberibus. §. si fraus. ff. de suspect. tut. l. j. §. ideo. ff. si mensor fal. mo. l. negligentia. ff. de reg. iuris. Suspectus quādo nō sit famosus.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECVNDVS.

TITVLVS I.
De Rerum diuisione.



VRE ciuili atq; legibus non solum rebus paternis bñ uti discimus, ceu Philostratus ĩ Apollonio Naucratite refert, ut sic inter bonos optime agamus, sed etiam res nostro iuri obnoxias legitimis modis adquirere: quoniã uero difficile est, rem persequi, nisi cognita eius natura, utpote nostro dominio poterit'ne subijci, ob id secundam ciuilis prudentiæ partem quæ est de iure rerum, Imperator in manus sumit, cuius ut rationẽ aliquam habeamus ad rerum diuisionem, earumq́; qualitates, descendamus oportet.

Summa rerum diuisio.

Est autem summa rerum diuisio, autore Iulio Paulo, *in duos articulos diducta.*

Nam aliæ rerum habentur iuris diuini, quales sunt respublicæ consecratæ, ut sacra loca. Item res sanctæ, ut muri, portæ, & id genus religiosæ. Aliæ uero dicuntur iuris humani, quarũ aliquæ sũt cõmunes seu uniuersitatis, ut theatra, pomœria. Aliquæ priuatæ, quæ singulorum sunt, & eius naturæ, quod ex omni tamẽ rerũ genere, nostro iuri subijci poterunt. Rursus priuatarũ rerũ quædã sunt corporales, & sui natura tangibiles, puta fundus, homo, uestis, aurum, argentũ, & id genus innumeræ sensibus corporeis

Res priuatas tãtũ acquirimus.

poreis exposita. Quædã incorporales, quæ tangi quidem non possunt, sed in iure tantum consistunt, Cuiusmodi habentur, hæreditas, usus fructus, proinde obligationes quoquo modo cõtractæ, seruitutes, & in uniuersum omnia in corpore non existentia. l. j. l. in tantum. & l. sanctum. ff. de rerum diuisione et qualit. quarum singulas parteis in præsentiarum tractare prætermitto, eò, quod post paulò commodius & suis locis explicabuntur, hoc uno obseruato, quòd inter Publicum & Commune licet intersit, cum Publicum dicatur quod iure gentium ad publicum usum, secundũ dominia distincta, pertinet, Commune uero quod iure naturali omnibus peræque exponitur, hoc tamẽ loci promiscue atq; alterum pro altero usurpari. l. bona ciuitatis. & l. inter publica. ff. de uerb. signi. quemadmodum idem quoque ius modo naturale, modo gentium, hoc est, ex naturali ratione deriuatum, appellamus. Interest inter cõmune & publicum.

Sacræ res sunt &c.

SAcrum est, ut Macrobius ex Trebatij lib. primo de religionibus refert, quod deorum habetur, modo ex consecratione per Pontifices rite facta, in. l. sacra. ff. eodem tit. modo absq; cõsecratione, qualia sunt munera quæ dijs superis ueteres obtulerunt, unde sacrificium nostri dixere. sic Vergilius, Sacra Dioneæ matri, diuisq; ferebam. Res sacras obligari uel alienari Iustinianus prohibuit. l. sancimus. C. de sacrosanctis ecclesijs. Ex diuerso aũt quod non est sacrum uel religiosum, profanum esse, omnes consentiunt, quasi porrò à fano et religione. Virgilius in vj. Ecce autem primi sub limina solis & ortus Sacrum quid. Profanum.

Sub pedibus mugire solum, & iuga cœpta moueri
Syluarum, uisæq; canes ululare per umbram
Aduentante dea, procul, ò procul este profani,
Conclamat uates, totoq; absistite Luco.

Recte igitur Horat. *utrunq; coniunxit.*
Si spes fallendi, miscebis sacra profanis.
Sed Trebatius *profanũ id proprie dici ait, quod ex religioso uel sacro in hominum usum, proprietatemq; cõuersum est. Quod aptißime poëta expreßit, cum ait,*
Faune precor miserere (inquit) tuq; optima ferrum
Terra tene, colui uestros si semper honores,
Quos contrà Aeneadæ bello fecere profanos.

Siue ergo quis sacrum constituere uelit, qui eius autoritatem nõ habeat. siue quid ex sacro promiscuũ humanis actibus adcõmodauerit, semper profanum dicimus. Vnde profanare uerbũ huic significationi nõ ineptũ emanauit.

Religiosum locum &c.

Religio, *RElígionem dicimus quod propter sanctitatẽ aliquam remota ac seposita à nobis sit, quasi à relinquendo deriuatam, ueluti à carendo, ceremoniam. Poëta:*
Est ingens gelidum lucus prope Cereris amnem,
Religione patrum late sacer, undiq; colles
Inclusere caui, & nigra nemus abiete cingit,
Syluano fama est ueteres sacrasse Pelasgos,
Agrorum pecorisq; deo.

Hinc religiosum dicimus à nobis remotum & sanctitate quadam reuerendum, quemadmodum Cicero *in oratione de accusatore cõstituendo, religiosa delubra uocat, quod maiestatis atque uenerationis sunt plena.*

Proinde locum in quem quis mortuum infert (id quod ante ius Pontificiũ de cœmiterijs consecrandis proditũ, locũ habuit) quia nõ uulgo ac temere, sed caste, uti est in lege xuirali, cæremoniaq; adeundus, & reformidandus sit, magis quàm inuulgandus, religiosum appellamus, ut est hoc loci, & l. in tantum. §. religiosum. & §. cenota- Cenotaphium.
phium. ff. de rerum diuisio. vbi obiter monendi sumus, Κενοτάφιον, uacuum atq; inane sepulchrũ esse, & quasi imaginarium, quod memoriam alicuius defuncti magis re præsentat, quàm quod corpus uel expectet uel contineat, tantum abest ut mortuum inferendum expectet, id quòd Accursius putat. nam Κενὸς inanis dicitur, & τάφος se pulchrum. quale Virgilius in iij. Aeneidos intelligit, ad quod Andromache Hectori libabat. Et iurisconsultus in prædicta lege citat:

Solennes tum forte dapes, & tristia dona
Ante urbem in Luco falsi Simoëntis ad undam
Libabat cineri Andromache, manesq; uocabat
Hectoreum ad tumulum, uiridi quem cæspite inanem,
Et geminas, caussam lachrymis, sacrauerat Aras.

Suetonius in Claudio Honorarium tumulũ appellat, quẽ Honorarius tumulus.
Druso milites in Germania extruxerũt, corpore eius Romam delato. sunt qui nõ procul ab urbe Moguntiaca monumentũ illud esse arbitrãtur. Verba Suetonij hæc sunt Cæterum exercitus Honorarium ei tumulum excitauit, circa quem deinceps stato die quotãnis miles decurreret, Galliarumq; ciuitates publicè supplicarent.

Cumq; nulla sit religio tam sancta, quæ nõ uano quodam errore superstitionis, à recto tramite aliquãdo tradu

catur, fit ut religio pro superstitione adcipiatur, & quasi execratione, sic Plinius de arboribus, lib. xvj. c. xxvj. In felices autem existimantur (inquit) damnatæ religione. quæ est, seruntur unquam, neque fructum ferunt, Cremutius autor, neq; nunquam uirere arborem, ex qua Phyllis se suspenderit. Ita religiosus quoque est, qui nimia & superstitiosa religione sese allegarit, ex eo uerborum inclinamento quo uinosus, mulierosus, & numosus, immodicam copiam rei super qua dicuntur significant, apud Nigidium figulum, referente Gellio lib. iiij. cap. ix.

Religiosus.

Sanctæ res &c.

Sanctum unde.

SAnctum uero interdum sacrum est, interdum religiosum, sed illud, autore Martiano, quod ab iniuria hominum defensum atque alienum est, à sagminibus secundum quosdam, herba quam ut Plinius, lib. xxij. ca. ij. scribit uerbenam appellamus, nō satureiam, quod Accursius somniat. id abunde magis intelliges si Plinium audias, qui sic infit, Quoniam non aliunde sagmina in remedijs publicis fuere & in sacris legationibus, quàm uerbenæ. certe utroq; nomine idem significatur, hoc est, gramen ex arce cum sua terra euulsum, hac semper & legati, cū ad hostes clarigatumq; mitterentur, usi, id est, res captas clare repetitum. Vnus utique Verbenarius uocabatur. Aggenus Vrbicus sanctum à sanciendo deriuat. qui & ipse asseclas suæ sententiæ inuenit. Muros itaq; sanctos iurisconsultus appellat, quos uiolasse ob id capitale est, uiolant autem qui admotis scalis eos transcendunt. l. sanctū. & l. sacra loca. §. muros. & l. fin. ff. de rerum diuisio.

Clarigatum.

Muri sancti.

Item

Item ea quæ ex hostibus capimus &c.

Res quas ex hostibus capimus, similiter exuuiæ, statim nostræ fiunt, præsertim mobiles, atque in distributionem collatæ. l. postliminium. ff. de cap. & postli. reuersis. l. si quis pro redemptione. §. simili. C. de donatio. Quod si immobilia sint atq; soli hærentia quæ ab hoste intercipimus, ærario inferri debēt, atq; in publicū usum reponi. l. si captiuus §. expulsis. ff. de capti. proinde quemadmodū res captæ ijs relinquuntur qui in diripiendis superiores fuere, ita etiam recuperatæ, atque ex hostili manu liberatæ eis restituuntur quorum prius fuere, & hoc siue mobiles sint, siue immobiles, sin adducta. l. si captiuus. et. l. ij. ff. de captiuis. sola arma (ut quæ haud sine dedecore abiecta intelliguntur) non restituimus, referunt in. l. naturaliter §. fi. ff. de acquiren. rerum domi. l. si quis in bello. ff. de capti. Raph. Ful in. l. j. ff. de acquiren. rerum domi. Cæterum ut ius captiuitatis atque exinde postliminium uim olim haberet, (hodie siquidem eius nō tam est usus) oportebat, bellum fuerit licitum, atque per Principem inductum, & non sic prædandi libidine ultro oblatum, apud iuris Commentatores, in. l. qui à latronibus. ff. de testa. Nam inter eos quoties bellum erat qui imperio alterius subijciuntur, neque captiuitati, quæ seruitutem pariebat, neque postliminio erat locus, nisi in rebus ex consuetudine recuperatis, quæ nihilominus restituebantur. l. si quis ingenuam. & l. postliminij. ff. de capti. Reliqua ad postliminij rationem pertinentia, in libro superiori breuibus, & quatenus adnotationes patiuntur, subiecimus. Captiuitas q̄ñ locū habebat.

Insula &c.

Insula. INsulam, Festus Pompeius uocat, quod in salo .i. mari sit. Est autem terra in flumine, mari'ue aquis circūflua, ob spiritum solo erumpere nō potentem enata, apud Pliniū, lib. ij. Hæc si fuerit naturalis, & iam ōlim uisa, eius remanet, qui iuris dicendi autoritatem ibi locorum usucepit. l. insulæ. ff. de iudicijs. & l. illicitas. §. qui uniuersas. ff. de offi. præsi. Insula uero iam nata, atq; adeo noua in mari apparens, eius esto qui primā occupauit. In flumine publico, illi cedit qui ex uicino, atq; è regione fundū poßidet, uti in hoc loco, & l. adeo. §. insula. ff. de acqui. re. domi. Prætere a insulæ sunt domus solitariæ aut uicinis ædificijs non connexæ, aut aquis circūfluis cinctæ, ad similitudinē insularū quas undæ à continenti discernūt, qua significatione Iulius Capitolinus CCCXL. insulas Romæ incendio absumptas in Antonino Pio scriptum reliquit. Tranquillus in Nerone: Tunc, inquit, præter immēsum numerum insularum, domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spolijs adornatæ. Paulus quoq; Iurisconsultus in. l. stipulationes. §. planè. ff. de uerbo. obliga. si quis insulam fulciri stipulatus sit, non est expectandum ut insula ruat. Est etiam in. l. insulam. eiusdem tractatus.

Mulsum &c.

Mulsum. MVlsum, nōn est nectar, ut interpres somniat, sed ex uino & melle concorporatum, potio est, inter laudatißima remedia connumerata, appetendi enim reuocat auiditatem cibi, aluum mollit, frigido potu, pluribus alido sistit, corpora auget, multi senectam longam mulsi tantum nutritu tolerauere, neque alio ullo cibo, celebri

Pollionis

Pollionis Romuli exemplo, quem centesimum annum excedentem, cum D. Augustus hospes interrogaret, quanam ratione, maxime uigorem illum animi, corporisq; custodisset? ille respondit, Intus mulso, foris oleo. Mulsum ex ueteri uino, atq; eodem optimo, utilissimum concorporatur, auto. Pli. lib. xxij. cap. xxiiij. quod idem & Martia. innuit, Attica nectareum turbabis mella falernum. Misceri decet hoc, à Ganymede merum. Hoc potionis genus Græcis οἰνόμελι *uocatur, cuius rationem, miscendiq; modum, Palladius lib. xj. in hæc uerba describit: Mustum de maioribus & egregijs uitibus post* XX. *dies quàm leuatum fuerit ex lacu, quantum uolueris sumes, & ei mellis non dispumati, optimi, quintam partem prius tritam fortiter, donec albescat, admisces, & agitabis ex canna radiata uehementer, mouebis autem sic per dies* XL. *continuos, uel, quod est melius,* L. *ita ut cum moueris, mundo linteo tegas, per quod facile confectio æstuabunda, suspiret, post dies autẽ,* L. *munda manu purgas, quodcunq; supernatabit, & in uasculo gypsato diligenter includis, & ad uetustatem reseruas, melius tamen si in minora, & picata uascula proximo uere, transfundas, & gypsata diligenter operias, & in terrena, & frigida cella recõdas, uel arenis fluuialibus, uel eodem solo uascula ex aliqua parte submergas, hoc nulla uitiatur ætate, si tam diligenter effeceris. Vlpianus tamen in. l. si quis uinũ. ff. de tri. ui. & oleo leg. aliud mulsum quod uino non adnumeratur, aliud œnomeli, quod uini appellatiõe utiq; contineatur, intellexisse uidetur, si bene, ipse dijudica, ubi œnomeli pro cenomeli adulterina uoce reponendum est, quemadmodum Hydromeli*

Mulsum vt cõcorporatur.

Hydromeli aut aqua mulsa. *meli ex ὕδωρ & μέλι, quam aquā mulsam* Plinius *uocat, nominandi casu, et nō gignendi, ut* Accursius *delirat, sic enim locus ibidem habet.*

Hydromeli cō ponitur. *Nec hydromeli quod cōditur, eius faciēdi rationē (ut obiter dicā)* Columella *in xij. lib. cap xij. sic exposuit.* Per *se faciēda erit optimo melle aqua mulsa, hæc autē nō uno modo cōponitur, nam quidā multos ante annos cælestem aquā uasis includūt, & sub dio in sole habēt, deinde cum sæpius eā in alia uasa trāsfuderint, & eliquauerint, (nā quoties etiā per lōgū tēpus diffunditur, aliqđ crassamētū in imo simile fæci reperitur) ueteris aquæ sextariū cum libra mellis miscēt.* Nōnulli *tamen cū austeriorem uolunt efficere gustū, sextariū aquæ cū dodrante pondo mellis diluūt, & ea portione repletam lagœnam gypsatamq; patiuntur per caniculæ ortum in sole* XL. *diebus esse, tum demum in tabulatum, quod fumum adcipit, reponunt.*

Nonnulli *quibus nō fuit aræ cælestē inueterari aquā, recentē sumūt, eamq; usq; in quartā partē decoquūt, deinde cum refrixerit, siue dulciorē mulsam facere uolūt, duobus aquæ sextarijs, sextariū mellis permiscent.* Si *uero austeriorē, sextario aquæ dodrantem mellis adijciūt, & his portionibus factam, in lagœnam diffundunt, eamq;, ut supra dixi* XL. *diebus insolatam, postea in tabulatum quod subfumigatur, reponunt.* Idem apud Palladium *est in libro* viij. *sed breuioribus modis.*

Armarium &c.

Armarium. Penus. ARmariū *locus est in quē arma recondimus (aliâs armamētariū) atq; ex cōsuetudine rē cibariā, & id genus ad uictū pertinētia.* Festus *penariū, nōnulli penuariā cellā uocāt. (nā penus est qcqd esculenti & poculēti recō*

ditur cõtra cõmunem grammaticorum sentẽtiam.) Plautus *in Captiuis: Cellas refregit omnes intus, reclusitq; armarium. Aduersatæ istuc stultis serui, ego ibo ut cõuenuam senẽ, dicã ut sibi penũ aliud ornet, si quidẽ sese uti uolet. Nam hic quidẽ ut adornat, aut iam nihil est, aut iã nihil erit.* Vlpianus *in .l. librorũ.§. chartis legatis.ff. de leg.iij. armariũ, Bibliothecam appellat, quã* Pollio Vitruuius *in vj. architecticarũ ad orientẽ spectare iubet, libris ad eam cæli partem, non sic putredini atq; tineis expositis.*

Bibliothecæ ad oriẽtem.

Et post multam Sabinianorum &c.

IVs *ciuile opiniõibus tũc plurifariã agitari cœpit, quando à primæuis cõditoribus ad* Commentatores *est tradu ctũ. Nã ut in reliqs disciplinarũ partibus autores æmulatiõis studio, quẽadmodũ humana sunt ingenia, diuersum sentire, & sæpenumero ex diametro pugnare cõsueuerũt, ita & in ciuili prudẽtia non potuit fieri quin interpretes aliquãdo dissiderẽt qd' factũ crediderim, partim ob leges nõ æque oĩbus ĩtellectas, partim ut ueritas (quã ille in profundo puteo sepultã aiebat) magis magisq; erueretur. Sic* Proculus *sua ætate iurisconsultissimus, eũ speciei, dominũ arbitratur q ipsam fecerit, iam enim factũ antea nullius fuerat. Sed* Massurius Sabinus *qui cũ diuus* Tiberius *magna ĩ familiaritate uixit, naturalẽ rationẽ magis efficere uoluit, eũ cuius materia fuisset, speciei quoq; ex ea factæ, dñm remanere, cum sine materia nihil effici queat. Hinc* Proculianos *qui in* Proculi, *et* Sabinianos *q in* Sabini *sententiã discedũt cognominamꝰ quorũ alter* Antistiũ Labeonẽ, *alter* Atteiũ Capitonẽ, *utrũq; iuris priuati et publici oppidò doctũ, factionis autorẽ habuit, iuxta ea quæ habẽtur*

Pugnantia Iuriscõsultorum.

tur, in l. ij. §. post hunc maxime autoritatis. ff. de origine iuris. Inter utranque autem sententiam quæ ut media sit deligenda, uel si quando altera ut uerior exosculanda, Imperator ostendit. præterea est in l. adeo. §. cum quis. ff. de acqui. rerum domi. Et in lib. Pandectarum duodeuigesimo, ubi Paulus Sabini & Caßij opinione improbata, uer iorem esse ait, Neruæ & Proculi sententiam, existimantium emptionem & uenditionem alium à permutatione contractum esse, ut qui sine pretio fieri non posset.

Electrum &c.

Electrum. ELectrum inter alia post aurum celebre habetur, Aurum nempe dicitur, in quo quinta argenti portio est, cui magnam apud ueteres autoritatem fuisse, testis est Homerus, qui regiam Menelai auro, electro, argento, & ebore coruscare ad posteritatem tradere non dubitauit. Cuius tum Plinius meminit, Historiarum mundi lib. xxxiij. cap. iiij. Porrò Telemachus in iiij. Odysseæ, Pisistratum his uerbis affatur:

Regia Menelai.
φράζεο νεσορίδη τῶ μῶ κεχαρισμένε θυμῶ
χαλκοῦ τε στεροπὴν καὶ δώματα ἠχήεντα,
χρυσοῦ τ', ἠλέκτρου τε καὶ ἀργύρου, ἠδ' ἐλέφαντος. id est, contemplare Pisistrate mihi animo charißime æris fulgorem, & ædes auro, electro, argento & ebore coruscantes. Viden' quomodo Poëta electrum secundas post aurum habere uoluit, atque ideo statim post aurum collocauit.

Appellatione tigni &c.

Tignum. TIgnum à tegendo deriuatum uerbum, id significat, cui tectum superponitur, quam Marius Tigillam appellat. Hinc contignationem per trabium porrectionem

nem suppositis mutulis facimus, unde spatiosiores reddũtur habitationes, ut Vitruuius in vj. Architecturæ, docet. Proinde non est prætermittendum, tigni significatiõe in lege XII. tabularũ, omne materiæ genus, ex quo ædificia constant, uenire: uti sunt ligna, lapides, cæmenta, lateres cæteraq; ædificijs adcõmoda, quorsum titulus ille in Pandectis, de tigno iniuncto adtinet, sic etiam quę uineis usui habentur & necessaria, qualia sunt pedamenta, perticæ pali, seu ridicæ apud Columellam. Est scriptum in. l. adeo §. cum in suo solo. ff. de acquir. rer. do. l. j. §. tigni. ff. de tigno iniuncto. & l. tigni. ff. de uerb. signific.

Certe illud constat &c.

H*Vius loci cognitionem is solum adsequetur, qui animaduertit, quia bonæ fidei possessor, distet ab eo qui fide mala rem detinet. Porrò si quis bona fide in alieno solo ædificauerit, ita quod suum credat solũ, uel areã. tunc ædificium domino soli non uendicatur, neque antecedit quàm ĩpẽsas ædificij ergô factas, restituat, ut quas possessor ope exceptionis doli mali retinere atque deducere potest, in. l. adeo §. certe. ff. de adquir. rerum dom. l. planè. ff. de petit. hæredit.* Aedificans bo. fide ĩ area alie. *Male fidei autem possessor, hoc est qui nullam possidendi causam habet, atque adeo sciens alienam aream à nouo ædificat, nullos sumptus retinet, eos enim donasse uideri potest, ut hic & in prædicto §. certe. l. adeo. Quod si nihil noui extruxerit, sed uetus ædificium duntaxat ampliauit, aut refecit, & hoc ipsum adhuc extat, illius impensas deducit, in. l. ij. et. l. domum. C. de rei uend. Et quod obiter prætermittẽdũ nõ ducimus, quisquis solũ ab eo repetit qui bona fide id ædi-* Mala fide qui extruit.

m *ficio*

Quis ab impensa. restitu. liberatur.

ficio auxit, ab impensarum restitutione nō eximitur, nisi probet se tantæ inopiæ esse, ut in eas impēsas omnia sua bona erogare cogatur, per iureconsultos. l. in fundo. ff. de rei uend. His adde *in re quoq; hæreditaria bonæ fidei possessorē omnes impensas tam necessarias, quàm utiles retinere atque deducere. l. si quid possessor. ff. de petit. hæredit.* Malæ *autem fidei detentorem eos tantum sumptus compensare, atque reputare, quibus res hæreditaria melior facta est, utpote utiles, iuxta prædictā l. planè. & l. quod si sumptus. ff. de petitione hæred.* Et *dicūtur necessariæ impensæ secundum* Vlpianum. *l. j. ff. de impensis in reb. dotalibus factis. quæ habent in se necessitatē impendendi ne res aut deterior fiat, aut omnino ad internecionem ueniat, quales sunt si horreum necessariū factū sit aut ædificiū ruinosum refectum, uel in seruorum ualetudinē quid sit impēsum, uel si pro agri utilitate seminaria fecerit, arbores curauerit, uites'ue propagauerit.*

Impensæ necessariæ.

Vtiles impēsæ.

V*tiles autem impensæ sunt, quas utiliter quis fecerit, unde res melior fiat, ut si nouelletum in fundo factū sit, aut tabernam adiecerit, seruos'ue artes docuerit, secundum* Paulum. E*st in l. quod dicitur. §. utiles. ff. de impensis &c.* V*oluptariæ impensæ sunt quæ ad uoluptatem modo fiunt. sic quod speciem exornant, nō item fructum augent, quales erogantur in uiridaria, in aquas salientes, in incrustationes, loricationes atque tectoria, itē in picturas & balnea extructa.* E*as etiam uoluntarias appellamus, est in l. uoluntariæ. & l. impensæ. ff. de uerborum signific.*

Voluptariæ seu uoluntariæ impensæ.

Et ideo prope confinium &c.

Arbor

Arbor (cuius appellatione etiam uites ueniunt) prope confinium posita, de iure ciuili, quamuis sic communis habeatur, ut fructus ex æquo utrinque diuidi partiriq; debeant, ut hic apud Iustinianum. & l. adeo. §. his conueniens est. ff. de adquiren. rerum dominio. Municipia tamen atque receptæ consuetudines, nonnullis locis aliud ius peperere, quo dimidium fructuum utrinque disiectorum, iterum diuisum, ad alterius fundi dominum redit, qui hoc modo non totum dimidium, sed quartam duntaxat fructuum partem ex arbore prope confinium posita, & in suum fundum propēdente, consequitur. Arbor ad confinia. *Præterea quando radices atque impendentes ramos alienæ arboris fundo obesse, aut ædibus meis perspexero, nunciare poßum, ut eos ipse succidat, quod nisi fecerit, per interdictum Prætoris, ceu Labeo interpretatus est, non modo radices atque ramos, uerumetiam totam arborem meapte autoritate uel à stirpe succidere, lignaq; succisa tollere, facultas datur.* Rami ex arbo. propēdentes. *Proinde ubi umbra tuæ arboris, uicino meo prædio noceat, lege xuirali prouisum est, ne ramos* Rami ne umbram faciāt. *x v. pedes inferius incircuncisos habeat illa arbor, aliâs si per te stat, quo minus pedes xv. à terra eam altius coërceas, tunc quo minus mihi ita coërcere, lignaq; etiamnum habere liceat, uim fieri Prætor uetat, quo fit, ut si arbor ædibus impendeat succidi eam prætor iubeat, si uero agro impendeat immineat'ue, duntaxat ad x v. usque pedes à terra coërceri, quo umbra ex eius ramis deiecta, nascituris ex fundo rebus non officiat. quæ magis abunde habentur in. l. j. atq; ibidem apud Commentatores iuris ciui-*

lis.ff.de arboribus cædendis.

Ridiculum enim &c.

INdicat Iustinianus pictorum apud ueteres nobilißimorum Apellis atq; Parrhasij, excellentem operæ autoritatem, quando ridiculum atque indignum arbitratur monumenta picturarum nobilißima, utcunque in alienã tabulam effigiata, in adceßionem uilißimæ tabulæ cedere, atque eum cuius tabula fuisset, sequi. Parrhasius. *Parrhasius Ephesi natus circa tempora Peloponnesiaca, primus Symmetriã picturarum, primus argutias uultus, elegantiam capillorum, uenustatemq; oris dedit: & quæ summa in arte subtilitas est, quaeq; corporum extrema suis lineis finire atq; includere præ cæteris, aperuit.* Symmetria. *Porrò Symmetria quam Latino nomine carere, Plinius autor est (ut perfunctorie intelligas) dicitur in omni opere legitima membrorũ atq; partium commodulatio, quam ex composita proportionis seu Analogiæ ratione constare nemini dubium est, sic nullum ædificiũ rectè constabit, nisi singulæ eius partes ex commensu sibi inuicem respondeant, nullum denuq; animal effigiaueris nisi capitis ad ceruicem, ceruicis ad corpus, atque ita singulorum membrorum symmetriam & natura comparatam commensurationem sursum, deorsumq; obserues: quam Analogiæ rationem non solum pictores in effigiando, uerumetiam Architectos in ædificiorum structuris ante omnia aduertisse, ut necessarium est, ita absoluit operis argumentũ. Quia uero huiusmodi cõmodulationis rationem ab hominis bene figurati compositione fermè haberi natura comparatum est, libuit* Symmetria humani corporis. *Symmetriam humani corporis, uti per Vitruuium in III. Archite*

chitecturæ libro describitur, apponere, quod natura ita composuit, uti os capitis à mento ad frontem summam, & radices imas capillorum esset decimæ partis. Item manus palma ab articulo, ad extremum medium digitũ tantundem, caput à mento ad summum uerticem octauæ, cum ceruicibus imis ab summo pectore ad imas radices capillorum sextæ ad summum uerticem quartæ, ipsius autem oris altitudinis tertia est pars ab imo mento ad imas nares, nasum ab imis naribus ad finem medium superciliorum tãtũdem, ab ea fine ad imas radices capilli ubi frons efficitur, itẽ tertiæ partis, pes uero altitudinis corporis, sextæ, cubitum quartæ, pectus item quartæ, reliqua quoq; membra suos habẽt commensus proportionis, quibus etiã antiqui pictores & statuarij nobiles usi, magnas & infinitas laudes sunt adsecuti. Item corporis cẽtrum medium naturaliter est umbilicus. Nanq; si homo collocatus fuerit supinus, manibus & pedibus paßis, circiniq; collocatum centrum, in umbilico circumagendo rotundationem, utrarunq; rerum manuum & pedum digiti linea rotundationis tangentur.

Vmbilicus est cẽtrũ corporis.

Apelles uero Cous fuit, ob artis excellentiam Alexandro Macedonum regi gratißimus, cum non minus prudentia, quàm arte pictoria clarum fuisse, sententiæ eius ad posteritatẽ perlatæ, argumẽto esse poßũt, quales sũt, Nulla dies sine linea: &, Ne sutor ultra crepidam. quibus monemur partim ocio laborem anteponendum, partim eius rei quem optimum iudicem, in qua est maxime uersatus peritiamq; consecutus. Vbi nõ est prætermittendum, Alexandrum publico edicto uetuisse, ne quis ipsum

Apelles.

Apellis sententiæ.

m 3 alius

alius quàm Apelles pingeret, quàm Pyrgoteles sculperet, & quàm Lysippus ex ære duceret, apud Plinium lib. VII. *cap.* XXXVII. & *Apuleium in* I. *Floridorum lib. Tametsi* Apulëius *pro Lysippo*, Polycletus *habeat, manifesto errore, cum palàm sit* Polycletũ *centum prope annos antè* Alexandrum *inter homines fuisse, testatur etiam* Plinius *lib.* XXXIIII. *cap.* VIII.

Apuleij error.

Si quis a non domino.

ET *hunc locum non statim aperies, nisi cognoueris fructuum alios esse naturales, alios per industriam quæsitos.* Naturales *sunt, quos natura sua sponte profert. ut poma, pira, nuces, & id genus alij, qui humana opera non egent.* Industriales *uero qui hominum industria, atq; ingenio, ut proueniant, iuuantur, scribitur per interpretes in. l. ut ex diuerso. ff. de rei uendicatione.* Quisquis *igitur bona fide fundum à non domino adquisitum possederit quoad usq; uendicetur euictus'ue fiet, omnes sibi fructus lucrifacit, præterquam naturales, qui incõsumpti adhuc extant, quos si absumpserit, remq; suam inde meliorem fecerit, eatenus tenetur condictione sine caussa, quatenus est factus locupletior, in. l. fructus. ff. de usufructu. & l. si me & titium. ff. si certum petatur. præterea fructus qui adhuc pendent, bonisq; connexi adhærent, quia pars fundi censentur, itidem restitui à quouis possessore, fundumq; sequi debent. l. fructus pendentes. ff. de rei uendicatione. & l. pendentes. ff. de usufru.* Malæ *fidei autem possessor, & qui alienum sciens occuparit, quoniam prædo est, & nullam possidendi fundum caussam habuit, nihil sibi*

Fructus naturales.

Fructus industriales.

Fructus quomodo restituũtur.

ſibi prorſus retinet ex fructibus, ſed omnes in uniuerſum ſiue ſint naturales, ſiue per induſtriam parti, ſiue percipiendi, hoc eſt, quos diligens paterfamilias colligere potuiſſet, etiam abſumptos, qui tamen æſtimata lite ueniũt, ſarcire cogitur, præſertim eo actionis genere, quam condictionem ſine cauſſa adpellamus. l. certũ. C. de rei uendicat. & l. mala fide. C de cõdictione ex lege. l. ſi nauis. l. eius fundi. l. fructus. ff. de rei uendicatiõe. & l. ſed etſi. §. quos autem. ff. de petit. hæredit.

Fructus a malæ fidei poſſeſſo. reſtit.

Theſauros quos &c.

THeſaurus eſt uetus quædam pecunia, ab eo tempore recondita quod memoriam excedit, unde cum dominum non habeat, fit eius per quem inuenitur, alioqui quod lucri, metus, uel cuſtodiæ cauſſa reconditur, tametſi eo nomine dicatur, quemadmodum & Herodes Atticus apud Philoſtratum in ij. Theſauros diuitiarum uincula adpellat, Theſaurus tamen proprie nõ eſt, ideoq; id retinens, furtum cõmittit. l. nũquã. §. theſaurus. ff. de adquirerum domi. & l. unica. C. de theſauris. lib. x. Q. Valerius Soranus, ut Varro teſtatur, dicere ſolebat, quos Theſauros Græco nomine adpellaremus, priſcos Latine Flauiſſas dixiſſe, quòd in eos nõ rude æs argẽtumq;, ſed flata ſignataq; pecunia conderetur. Ceterum eò quiſq; propenſior eſt, atq; bonã uitæ ſuæ partem adcõmodat, ubi rerũ ſuarũ ſubſidiũ collocauit, ut eſt apud Matthæũ in vj. capite: ὅπου γάρ ἐστιν ὁ θησαυρὸς ὑμῶν, ἐκεῖ ἔσται καὶ ἡ καρδία ὑμῶν. Fit ut multi theſaurizantes iniquitatẽ ſuã & rapinas, premiũ quoq; iniquitatis inuenerint, qualis dubio procul, is eſt, cuius diſtichon illud Græcũ meminit, quod

Theſaurus quid.

Flauiſſæ.

Laertius Platonis esse scriptũ reliquit, οἱ δὲ Ἀντιπάτρου·
χρυσὸν ἀνὴρ ὁ μὲν εὑρὼν, ὁ δ' ὤλεσεν, ὧν ὁ μὲν εὑρὼν
ῥίψεν, ὁ δ' οὐχ' εὑρὼν, λυγρὸν ἔδησε βρόχον.

Magnus Ausonius in Epigrammatis sic transtulit.

Qui laqueum collo nectebat, repperit aurum,
Thesauriq; loco, deposuit laqueum.
At qui condiderat, postquam non repperit aurum,
Aptauit collo, quem reperit laqueum.

Quamobrem nobis, liberisq; nostris sic Thesaurizemus, ne cælestium quoque rerum obliti, solum terrenis studeamus, aliâs enim fieri non potest, quin Pluto ille infernus atque insaturabilis, corda nostra per diuersum à uero tramite elusa, traducat, cui quidem non difficiles, sed lõge expositißimas caussas diuitiæ præstant, maxime hoc nostro sæculo omnium periculosißimo, quo pueri statim matribus occinere didicerunt Horatianum illud:

Vnde habeas nemo quærit, sed oportet habere.

Cum tamen non mentiatur is qui mentiri non potest, quãdo ait Matthæi XIX. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι πλούσιος δυσκόλως εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Καὶ πάλιν λέγω ὑμῖν, εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν. *Cæterũ quia thesaurus quem proprie sic appellamus, iam dominũ (ut inquit Paulus) nõ habet, sed sit inuentoris, arbitramur nõ abs re fore, paucis referre quo discrimine id cõtingat. Cũ primis igitur improbata illa atque magica arte siue uirga sortilega: quã ærusatores circunferre solent: thesaurus inuẽtus quocũque in loco, siue proprio, siue alieno*

Thesaurus magica arte inuentus.

no id fiat, semper ærario cedit, & qui inuenit, ut magus, hoc est, maleficus, capite punitur, scribitur in l.unica.C. de thesauris. & l.nemo. C. de malefi. & mathematicis. In Cæsaris uero patrimoniali loco, opera non data, sed forte fortuna reperti thesauri dimidium Cæsaris, aliud dimidium inuentoris erit, in præsenti loco. & capite, quæ sint regalia. de usibus feudorum. eadem est ratio si in loco sacro religioso, aut publico reperiatur. Similiter qui thesaurum in fundo alieno fortuito casu, id'que arando siue alio quouis modo reperit, dimidiũ eius, domino fundi elargitur, reliquum sibi retinet. In suo autẽ si quis reperisset, ipse potitur, ut Diuus Hadrianus canit, autore Spartiano. Sin uero data ad hoc opera inueniatur thesaurus in loco alieno, dominus id sciat siue ignoret, inuentoris nihil erit, sed totus domino fundi cedit. Adde thesaurum in fundo, qui alteri in hypothecam obligatur, inuẽtum domino proprietatis cedere, sed in loco pro pignore dato thesaurus per creditorem inuentus partim debitori, partim creditori remanet, l. si is qui in aliena. §. fi. ff. de acquiren. rerum domi. & l. seruos suos. §. eas uero. ff. de lega. iij. Idem fermè in eo intelligimus qui usumfructum rei, in qua thesaurũ reperit, habet, ut in prædicta l. si is qui latius distinctum uidere est. At qui thesaurũ, quem Triphonius iurisconsultus fortunæ globum compellat, in ea re inuenit, quam in feudũ uel emphyteosim accepit, eum sibi retinet, nec domino feudi quicquã eius debet, ut in quo præstat utile dominiũ, directo. Est apud Andream de Isernia, & post eum Iacob. Aluaro. in cap. quæ sint Regalia. In usibus feudorũ. Postremo si domum Thesaurus in re feudali.

m 5 uel

uel feudum uendideris in quo uel parentes tui, uel tu ipse, pecuniam reconditam posuistis, illa pecunia nõ censetur uendita atque alienata, sed penes te remansisse, nisi nullo errore, sed magis sciens tacuisses, te illic pecuniam habere, quam nolis itidem alienatam esse, eo siquidem casu omnia transtulisse uideris, l. à tutore. ff. de rei uen. l. j. ff. de condictione indebiti. & l. campanus. ff. de operis liberto. quod in hoc proderit, ut pecuniam insutam uesti quã uendis, non intelligas similiter uenditam, sed in tua hactenus permansisse facultate, argumento l. j. ff. de ijs quæ in testa. delen. Sed quid iuris inter duos quorum alter thesaurum primus uidit, alter uero primus adprehendit? cuius erit? Paulus Sabini sententiam ut ueriorem secutus, respondit thesaurum, quia sub custodia nostra non sit, eius esse qui primo adprehendit, locoq; mouit, iuxta l. poßideri. §. neratius commentatores, in l. la=pilli. ff. de adquirenda possessione. cuius est argumentum in l. si barsatorem. C. de fideiusso.

Thesaurus fit apprehendentis

Mißsilia &c.

Missilia.

MIßilia, à mittendo, dicimus uariarum rerum donaria, quæ Imperatores, atque olim COSS. liberalitatis gratia, atque in perpetuam rei memoriã, populo colligenda spargere solebant. Suetonius in Caligula: Sparsit & mißilia uariarum rerum, & panaria cum obsonio uiritim diuisit. Idem in Nerone: Sparsa & populo mißilia omnium rerum, per omnes dies singula quotidie millia, auium cuiusq; generis multiplex penus, tesseræ frumentariæ, uestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, iumenta, atque etiam

etiam mansuetæ feræ, nouißime naues, insulæ, agri. Item quare spectaculum multiplicatis mißilibus in ferum protrahebatur. Mißilia quoq; Christianos proceres, etiã eos qui bonam ecclesiæ partem humeris suis positam gloriantur, nostra ætate spargere audimus, quæ si pauperibus colligenda porriguntur, institutum dixeris non adeo improbandum: Sin uero, ut regni sui uires ostentẽt, aut inanem illam nominis famam, quam mundus duntaxat cõferre solet, aucupentur, antiqua Romanorum uestigia repetere malint, uix inuenies, quod à Christiano dogmate magis sit diuersum, ne dicam, ex diametro pugnans.

In missilia ecclesiæ procerum.

Qua ratione &c.

PRo *derelicto habetur quod dominus ea mente abiecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit, ideóq; statim dominus eius rei esse desijt. Hæc Iustiniani descriptio uidetur solum intelligi de rebus mobilibus quæ abijci poterunt, atq; è potestate nostra mitti, sicuti cũ quis æs sparserit, aut aues emiserit. Et quia huiusmodi res eo animo abiectas esse oportet, ut amplius in numero rerũ eius qui abiecit non sint, propterea fiunt eius qui prior occupauit, interim enim nullius in dominio fuere. l. 1. ff. pro derelicto. l. poßideri. §. neratius. Iureconsulti in. l. lapilli. ff. de adquirẽ. poss. Neq; res tantum mobiles pro derelicto fiũt, ceu quis ex Iustiniani hac descriptione arbitrari poterit, sed etiã soli hærentes, et quæ immobiles habẽtur, ut si quis domum ita derelinquat aut agrũ, ut in bonis suis amplius nõ sit. similiter pro derelicto erit, nam ijsdẽ modis res desinunt esse nostræ, quibus adquiruntur, in prædicta*

Pro derelicto

Derelicta fiunt occupantis.

dicta.l.j.l.nihil tam naturale. & l. ferè quibuscunque. ff.de regulis iur.argumentum.l.an pars.ff.pro derelicto. Præterea fieri potest, ut res immobilis etiam non derelicta, tamen neglecta, præscriptione acquiratur, ucrbi gratia quis fundi uacantis possesionem propter absentiam aut negligentiam domini, aut quia absque succesſore defunctus sit, sine ui nanciscitur, scienteq; domino per longum tempus, aut nesciente xxx. annis occupauit, ipsum usucapione adquirit, atque interpellantem post dominũ exceptione prohibebit, iuxta Autent.malæ fidei.C.de præscriptio.long.tempor.& Autent.ut sponsalitia largitas. §.rursus.collat.j.Explicatur latius per Angelum Aretinum in.§. furtiuæ.Instiut.de usucap.& præscriptio.longi tempor.Ex quibus facile deprehendes, quædam abijci, quæ tamen minus pro derelicto habeantur, cum eo animo non sint abiecta, ut nostra esse desinant, sed magis præsens periculum effugiant, qualia sunt, quæ naufragij metu, leuandæ nauis gratia eiecta, mari committũtur, donec fors ea saluato restituat, quare non fiunt alterius apprehensoris, etenim non sunt habita pro derelicto, sed priori domino qui ea abiecit restituenda, ut qui animo ea posside re interim non destitit, in.l.si laborante.l.qui leuandæ. ff.ad legem rhodiam de iactu.l.qua ratione.§. alia. & l. quicunque. ff. de acquirenda rerum dominio. Cuiusmodi sunt etiam quæ incendij caussa sub diuum emittuntur, ea siquidẽ quisquis aufert lucrifaciundi caussa, furti obstringitur, præter hoc quod intra annum quo primum de ea re experiundi potestas fuit, in quadruplum, post uero in simplum iudicium sustinebit, nisi aut constet derelicta esse,

Eiecta nauis leuandæ gratia.

Ex incendio abiecta.

esse, aut id ex natura rei abiectæ intelligatur, per Dominum Vlpianum, & iuris commentatores, in.l. falsus.§. qui alienum quid.ff. de furtis.l. in eum. cum Autent. nauigia. C. eo. tit.l.j.ff. de incend. ruina naufrag.c. libellorum. II. *q.* VII. *Quorsum adtinent ea quæ in uia, alio'ue loco publico inuēta sunt, nisi enim pro derelictis habeātur, absq; furti suspitione retineri non possunt, quare in hominum coronis nuncianda sunt, ut hinc qui uenit restituere se paratum ostendat, scribit* Bar. *in prædicta.l. falsus.* Et *ne statim imponat, q̄ repetit, signa aliqua atq; certa indicia demonstrare debet, quibus facile inducat rem suam fuisse, l.j.ff. de ser. fugit. quando neq; præmij quicquam inuentori debet, neq; inuenti partem, nisi operam singularem pro re conquirenda impendisset, quam utiq; redimendā, nemo est qui improbat, argu.§. si tibi iudicium.l. idem.ff. de condict. ob turp. caus. Quod si publica nunciatione facta non apparet, qui inuentum repetat, & inuētor inops est, retinere id potest, eoq; potiri, diues autem & qui non sic eget, in manus pauperum id elargitur per iureconsul. in Autent. omnes peregrini. C. commu. de succes.*

Inuēta quomodo restituenda.

Inuentum quādo retineri pōt

TITVLVS II..

De rebus corporalibus &c.



RACTATVS *de rebus corporalibus & incorporalibus, quamuis in Primo Pandectarum libro sub rerum diuisione & qualitate, ut est in.l.j. uidere, contineatur: sacratissimus tamē* Iuri*sconsultus quo distinctius singula cōprehen*

prehendat, & pro iuuentutis faciliori captu, ciuilis prudentiæ primodia tractet, priusquam seruitutis rationem exponat, res in corporales atq; incorporales singulari titulo dispescit, arbitratus nimirum constare hinc facilius posse, quæ res in iure tantum consistant ut iure adquirantur, nam utcunq; res sit corporalis, & sui natura sensibus exposita, quales sunt res hæreditariæ, aut aliâs nobis obnoxiæ, eam tamen nulla unquam ratione adquirere possumus, nisi ius habeamus eius persequendæ, quod tum demum erit, ubi legitima ipsum præcesserit obligatio, quod est altius scriptum in l. nihil aliud. ff. de actionu. infra eodem titulo. statim ab exordio, & l. iij. ff. de act. & oblig. Item infrà de oblig. Quapropter rerum aliæ corporales, aliæ incorporales recte dicuntur, quo modo corporales sunt, quas persequimur, incorporales uero, quibus mediātibus, puta iure, quod in eas partum habemus, sæpenumero id fit. Vnde iurisconsultus hæreditatem uniuersum ius esse (scribit) quod habuit defunctus tempore mortis. l. nihil aliud. ff de uerbo. signific. quo ad uos per mortem defuncti iure deuolutu, res hæreditarias adquirimus, id quod non intelligas uelim, quasi solum res corporalis adquiri poßit, cum & rem incorporalem, ueluti hæreditatē ipsam, usumfructum, usum, obligationes, & seruitutes, hoc est ius hæreditatis, ius utendi & fruendi &c. æque parere atq; adquirere poßimus, ut quam licet non tangamus, sensuq; percipiamus, poßeßione tamē ciuili, & quasi (ut uocant) adprehendimus, apud iuris Cōmentatores, in l. iij. ff. de adquir. & amit. poßeß.

Ius rem persequendi.

Ius etiam adquiritur.

Titulus

TITVLVS III.

De seruitutibus.


ERVM *incomparabilium numerò serui-tutes quoq; censemus, earum triplex est for ma. Seruitus personalis, Realis, & seruitus mista. Personalis seruitus est, quam personæ debet persona.* Et *est constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno, cõtra naturam subijcitur. l. iiij. §. j. ff. de statu homi. repetitur* Institu. *de iure persona. §. seruitus autem. hac homo homini seruit, ceu in l. pandectarũ est, de statu hominum. nos etiam superius ex parte quadam adtigimus, de iure personarũ. Seruitutis mistæ tres sunt species, Vsusfructus, usus, & habitatio, quibus nonnulli. operas seruorũ adnumerant, sic dictæ quòd ab re personæ debẽtur, unde partim ab realibus, partim à personalibus naturã participant, quare modo personales appellantur, ut quæ cum persona finiunt. l. j. atq; ibidem in* Rubrica *apud interpretem. ff. de serui. l. non solum. ij. §. tale. ff. de libe. lega. modo reales, nam ut iura realia uendicantur. l. uti frui. in principio. ff. si usufructus petatur. Cynus in* Rubricam C. *de usufructu.* Realis *uero seu prædialis seruitus, est quam res rei debet, & ut summatim exponam, est ius quo prædium prædio propter utilitatem seruit, apud iureconsul. in. l. j. ff. de serui. Cæterum prædiorum alia dicũtur rusticana, quæ fructuũ uel percipiendorum uel colligendorum gratia fiunt. l. eo iure. §. stabula. ff. in qui. caußis pig. uel hypotheca contrahitur. & latius apud* Bartho. *Cepollam, in xj. cap. de ser. urba.*

Seruitus personalis quid.

Seruitus mista.

Seruitus realis vel prædialis.

Prædia rusticana.

prædio

Prædia vrbana

prædiorum. Alia urbana, uti omne ædificium immorandi gratia factũ, siue in agro, siue in ciuitate id sit, in nostro titulo. §. prædiorum urbanorũ. l. j. de serui. urba. prædi. & l. urbana prædia. ff. de uerbo. signi. fit ut singulorũ suæ quoq; sunt seruitutes aut iura, sic rusticorum prædiorum iura sunt hæc, Iter, actus, uia, aqueductus: urbanorũ sunt ut uicinus onera uicini sustineat, quemamodum Iustiniano enumerãtur. Ex quibus facile colligitur, seruitutis eam nõ esse naturam, ut quis adquirat, uel faciat, sed potius ut patiatur, aut nõ faciat. refert iurisconsultus in l. quoties. §. fi. ff. de serui. Vbi rursus aduertendũ, seruitutes rusticorum prædiorum omnes adfirmatiuas atq; confessorias esse, ita enim qs adfirmat sibi ius esse eũdi, agẽdi iumẽtum uel uehiculum, aut aquæ ducendæ per fundũ alienum, innuit glossa paßim recepta in l. j. ff. de seruitu. urba. prædio. Vrbanæ uero seruitutes partim sunt negatiuæ, ut altius non tollendi, partim adfirmatiuæ, ut altius tollendi, si quidẽ fieri potest ut nostra intersit, uicinum ædes habere altius extructas, quo uel luminibus nostris propter merces uenales officiatur, uel uenti commodius impediantur, ut est apud Cepollam in xxvj. capite, de seruitu. urba. prædio. Proinde seruitus constituitur atque adquiritur multis uarijs'que modis, præsertim pactionibus, stipulationibus, testamentis, & contractibus: modo uterque, & is qui paciscitur, legat, aut contrahit, eius prædij cui onus seruitutis imponitur, & is qui adquirit, rei cui seruitus deberi incipit, ueri atque insolidum domini sint, ut est etiam l. in testamento. & l. binas ædes. ff. de seruitu. urbanorum prædio

Seruitus quibus modis adquiritur.

prædiorum.l.ij.ff.de seruitu.l. unus ex socijs.ff.de serui-tu.rustic.præd.&l.j.ff.communia prædiorum. Quod si unus est qui communi fundo seruitutem imponit, quo ad illum seruitus manet, donec reliqui etiam consensum dede rint, ut sic demum in uniuersum stabiliatur.l. per fundũ. ff.de seruitu.rustic.prædio.&l.fin.ff.commu.prædi.Similiter is qui utile dominium habet, qualis est Emphyteu tes, seruitutẽ adquirit.l.j.§.fi.ff.de superfi.leg.& in pro uinciali, C.de serui. & aqua.& l.si is cui.§.fin. ff quem-admodum serui.amit.& in huiusmodi adquirendis serui-tutibus quando à uero domino constituuntur, atq; tituli subsidium habent, non est opus præscriptionis expecta-tione, sed statim robur adcipiunt.l.clauibus. ff. de cõtra. emp.&.l.sequitur.§.lana.ff.de usucap.

Item Seruitus adquiritur etiam ex consuetudine alicu ius loci uel statuto, præsertim ubi constitutum est, uel obseruatum eo tempore quod consuetudinem firmare potest, ut uicinus per uicini prædium iter, actum, atque ijs simile ius habere debeat, uel ne quis ædes suas altius tollendo, luminibus uicini officiat, aut prospectui.l.j §.pe nulti.& fin.atq; ibidem iureconsulti.ff. de aqua plu.ar-cenda. Similiter ex partium uoluntate constituimus ser-uitutem, etiam ab ijs qui primo fuerunt inuiti, si postmo dum adsensum dederint, uoce expressa, nam eum inuiti animi esse dicimus, qui expreßis uerbis non consentit.l. inuitum.ff.de seruitu. urba. prædio. Cynus in.l. inuitus. C.de procurat.Barto.in.l.filius.§.inuitus.ff.de procurat. quapropter si per fundum tuum aut arcam iter fecero, aquam'ue duxero, nisi id animo seruitutem constituendi Inuitus quis.

n te scien

te sciente & expreßius consentiente fiat, non est quod hinc ius uendicare poßim, nisi legitime præscripsero, iuxta l.iij.ff.de serui.urb.prædio.

Postremo seruitus comparatur præscriptione, quod uti facilius deprehendas, prætermittendum non est, Seruitutum, aliam Continuam, aliam Discontinuam esse.

Seruitus continua.

Continua, seruitus est, quæ continuam atque perpetuam caussam habet, & absque continua humana opera semper est in usu, siue actu, siue potentia: cuiusmodi est, seruitus aquæductus, altius non tollendi, ususfructus, usus, iuris dictio, & ijs similes, personis debitæ, in quarum nonnullis, licet ab exordio aut factum hominis adcurrat, ut fiãt, uti est aquæductus &c. aut semper factũ hominis atq; operam interuenire oportet, uti est ususfructus, usus, iurisdictio, & id genus aliæ: quia tamẽ animo poßideri solent, atq; obtineri, continuis adnumerãtur, apud Bar in.l.iusto.§.non mutat.ff. de usuca. & Cy.in l.ij.C.de serui. & aqua. Et huiusmodi seruitutes continuam caussam habentes x.annorum spatio inter præsentes x x.uero inter absentes, ad imaginem rerum immobilium præscribuntur, in l.fi.C. de præscriptio. long.temporis.l.ij.C.de serui.l seruitutes. atque ibidem glossa & commentatores.ff de seruitu.

Seruitutes cõtinuæ præscribũtur.

Ad hoc uero ut præscriptioni sit locus, multa requiruntur. Primum, Quod præscripturus seruitutem ea sit usus uti iure suo, hoc est, inuito etiam eo atque contradicente cuius res est quæ seruit, apud iureconsultos in l.j.§.ij.de itinere actuq; pri. Inno.in.c.bonæ.ij.de postula.præla. Nã si inscio domino, aut familiaritatis cõsuetudine per fundũ eius iter feceris

Ad præscriptionem requisita.

etiam

etiam quod publicum credebas, per tempus utcunq; longum, per hoc præscriptionem non comparas. l. qui iure familiaritatis. ff. de adquirenda possess. l. fin. atque ibidem Paulus de Castro. ff. quemadmodum seruit. amit. II. *requiritur bona fides eius qui præscribit, quã præsumimus ex titulo ab eo comparato quem dominum tuto credimus, licet dominus non sit, nisi uel uicinia eum non dominum paßim haberet, uel nũciatũ ei fuisset ab emptione falsa abstineret. l. si & l. ij. C. de serui. l. si fundum.* C. *de rei uendica.* Barto. *in. l. celsus. ff. de usucap.* Et *hoc in præscriptione* x. *annorum, uel* xx. *cum in* xxx. *uel* xl. *annorum præscriptione bona fides non desideretur. l. sicut. de præscriptione* xxx. *annorũ. Cynus in. l. ij.* C. *de seruitu.* III. *Scientia & patientia domini, quæ in iuribus incorporalibus habetur pro traditione. l. ij.* C. *de serui. l. pen. ff de seruitu.* Iason *in. l. poßideri. §. incertam. ff. de adquirenda possess. quod tunc uerum est si aliunde non habeatur titulus, aut longißimo tempore non sit præscriptum. Porrò quando iugi* xxx. *uel* xl. *annorum intercapedine præscriptio interuenerit, uel titulus concessæ seruitutis fuerit ab eo quem dominum credimus, nõ est opus uel scientia uel patiẽtia, ubi singulariter aduertendum, quod in seruitutibus præscribẽdis puta in pascuis, aquæductibus, piscationib. iurisdictionibus, et id genus alijs, tunc demum scientiam, patientiamq; desyderari, ubi nullus adsit titulus, usqueadeo in tituli locum atq; caussam sufficiuntur, apud* Paul. *de castro, post Cynum in. l. ij. de seruituti.* IIII. In *seruit. negatiuis præscribendis, ut sunt altius non tollendi, luminibus ne officias,*

Scientia & patientia pro traditione.

Seruitus negatiua præscribit

ficias, & id genus alijs, opus est prohibitus sis uel semel, ne altius tollas ædes, & sic à tollendo sit cessatũ, ut præscriptio currat, est glossa in.l. qui luminibus. ff. de seruitu. urba. prædio. & in.l.j.C. de serui. Cynus in.l. si prius. ff. de noui ope. nuncia. sed in adfirmatiuis seruitutibus quarum familiaritatis iure usum habuisti, ut est eundi per fundum uicinum, aut aquas inde ducendi postquam prohibitus sis, xxx. dierum spatio, usus quasi possessionem parit, in ijs uero quas citra familiaritatem habuisti, unicus actus.l.j.§.j. ubi Barto. ff. de itinere actuq; pri.l.j.§. quod autem. ff. de aqua quotidi. & æstiua. Postremo, qui seruitutẽ usurpare laborat, oportet sit dominus eius rei, cui seruitus constituitur, præsertim utilis, qualis est Emphyteota, ut iam nunc adnotauimus.

Seruitus discõtinua.

Seruitus discontinua dicitur, cuius usus per solam humanam operam habetur. Vnde quia homo non assiduo, sed ex intercapedine operatur, caussam discõtinuam, hoc est interpolatam obtinet, Cuiusmodi est iter, actus, aquæ haustus, & plerẽq; omnes prædiales, ut in quibus factum hominis quo ipsarum sit usus, requiritur.

Seruitus discõtinua quando præscribitur.

Seruitus discõtinua regulariter usu nõ capitur, cũ eius non sit possessio, nisi spatio tantum eius temporis, cuius contrarium uel initium memoria hominum non extat.l. seruitutes. ff de serui.l. hoc iure.§. ductus aquæ ff. de aqua quotid. & æsti. arg.l.j.§. fi. ff. de aqua plu. arcenda.

Tempus cuius initij memoria non extat.

Vbi tempus cuius initij memoria non extat, in obscuro centum annorum adcipimus, id quomodo probetur, est apud Inno. in.c. quid per nouale. & in.c. ueniens. cum reliquis Canonum commentatoribus, extra de uerborum signifi.

significatione. Cynus in.l.ij.C.De seruitutibus & aqua. Possunt etiam XL.anni tempus constituere, cuius initium memoriam effugiat, ut abunde Alexãder in consil. LXX. V. uoluminis colligit. Proinde seruitus discontinua comparatur, si per dominum adseras concessam, cuius indiciũ (ubi testes uel instrumenta defuerint) esto, si quando probas te usucepisse eam seruitutem sciente domino, adeoq; nõ reluctante, inter præsentes x. inter absentes uero xx. annis, in hunc siquidem modum intelligitur seruitus constituta ex caussa rite præcedenti, scribit Azo in summa sua, de serui.§.itẽ cõstituũtur seruitutes per cõsuetudinẽ. Iurecõsulti in.l.seruitutes.ff de serui. Tũc quoque hoc seruitutis ius adquiritur, qñ eius ab altero etiam quẽdominum credimus, uerus nobis titulus obtigit, cuius præsidio ius illud usurpauimus inter præsentes x. inter absentes uero xx.annorum spatio, in.l.fi.de præscript.longi temporis, & copiosissime Paulus de castro, in prædicta.l.seruitutes.atque hunc titulum non satis est si modo alleges, sed eum plenissime doceas, oportet, adnotatur in.l.j.C.de dotis promiss. cum nonnullis alijs. è contrario, quia nihil tam stabilitum, quod non ciuili quoque ratione labefactari queat, commonendi sumus seruitutes quoque legitimis modis amitti: quorum primus est, si per dominũ sint remissæ, atque ab eis per expressam renunciationem discedatur, eatenus unumquodque eo genere soluitur, quo est colligatum.l.quæritur.§.si uenditor.ff.de edilitio edicto. l.si quid in conscribendo.C de pactis.l.prout quisq;.ff.de solu.& l.nihil tam naturale.ff.de reg.iur. Secundo amittitur per non usum legitima interueniente præscriptione, Seruitus quomodo amittit.

ne, puta, seruitute urbana, si uel x. uel xx. annis non sit usus, quia uicinus, foramē in quod tignum recipi solebat, uel fenestras quibus sol admittebatur, ipse occlusit, ex. l. hæc autem iura. ff. de serui. urba. prædiorum. l. si quis alia. §. fi. ff. quemadmodum serui. amit. cum similibus. Vbi *rursus aduerte, quando ius seruitutis certum temporis interuallum habet, uerbi gratia, aquam ex alterius puteo haurire possum, singulis mensibus, uel die uno, uel una tantum hora.* Tunc *tempus non usus duplicatur, ut seruitus destrui possit. l. si sic constituta. ff. quēadmodum serui. amittatur.* Vide Abba. & Interpretes *in c. die quarta. extra de præscrip.* Hæc *quæ ad seruitutis rationem facere arbitratus sum, principio tenus saltem indicare uolui, reliqua uberius uidere est, in libris ciuilis prudentiæ, præsertim apud* Bartholomæū Cepollam, *ad saturitatē digesta.*

TITVLVS IIII.
De usufructu.

Vsusfructus.



Susfructus ab uti frui deriuatur, uerbum Iureconsulto *in oppido propria significatione receptum.* Nam *est ius secūdū* Vlpianū *alienis utēdi fruēdi rebus, salua rerū substātia.* Porrò *qui usumfructū rei habet, ille non solum fructus ex ea re consequitur, ut habeat quantū necessarij sunt, sed eis pro arbitrio suo etiam ad uoluptatē frui potest, & alij ius quod habet, locare, uendere, aut gratis cō cedere, ita quòd dominus præter proprietatis ius, in re,*

uiuente

uiuente usufructuario, retineat nihil. Vti enim alterius rei gratia est, frui nullius, ut inquit Valla, qui utitur, eò tēdit ut tādē frui liceat, in illo progressus est, in hoc meta. Ideoq; reprehēsus est Annibal, qui cū posset uti Cannensi uictoria frui maluit. Sic libris, studio, alijsq; utimur rebus, ut emolumentis hinc partis tandē fruamur delectemurq;. Quare nō uidetur admodum conuenire, quòd Laurentius Valla eos reprehendit, qui sentiūt humanis nos uti debere, diuinis autem rebus frui. In quorum numero Augustinus quoque est, in lib. I. de doctrina Christiana. & libro x. de Trinitate. Cū res illæ omnes pedibus nostris subiectæ sint à Protoplaste, ut ijs interim utamur, donec diuina perpetuo fruenda obueniant, uerbo certe conuenire potest, ut rebus partis fruamur delectemurq;, sed an is uerus rerum usus esse debeat, uiderit qui in rebus humanis atque adeo perituris, consistendum nō putat, sed ulterius ad cælestia progrediundum. Ad rem quod attinet, Vsusfructus est seruitus mista, à rebus, personis debita, in iure tantū consistens, & constituitur proprie in rebus soli hærentibus, proinde in mobilibus, & non hærentibus. In ijs uero quæ usu consumuntur, ut uino, oleo, frumento, uestimentis, & id genus rebus, quasi usus fructus ex Senatus consulto relinquitur, l. 1. cum aliquot sequentibus. ff. de usufructu earum rerum quæ usu consumuntur. ita tamen, quia Vsusfructus à proprietate nō separatur, sed unà consumūtur, ut satisdatio in proprietatis locū, ceu necessaria & substantialis succedat, præter hoc quod in quocūq; usufructu cauēdū leges monēt, l. in hoc Senatuscōsulto. §. 1. ff. de usufr.

Vti frui.

Valla.

Vsusfructus est seruitus.

Vsusfructus in rebus quæ usu consumuntur.

Satisdatio usufructuarij.

*usufruc.ea.re.quæ usu consu.l.j.ff.quemadmodum usufructuarius cauet.& l.usufructu.C.de usufru.usqueadeo,ut nisi huiusmodi satisdatio per dominum petita, præstetur, usufructuarius nullum emolumentum sit habiturus, per l.uxori.ff.de usufructu legato.nisi dominus aut hæredibus conscijs ferentibusq;,aut aliâs possessionem bona fide fuerit ingressus.l.hoc edictali.§.sin autem utraq;.C.de secũdis nuptijs.& l.si usufructuarius messem.ff.quibus modis ususfr.amittitur.*Et *talis satisdatio per fideiussorem idonea esse debet,quam si usufructuarius ob inopiam præstare nequit,*Iuratoria *recipienda est,apud* Iureconsul, *in l.usufructu.*C.*de usu & usufr.& in* Autentica,*cui relictũ.* C.*de indicta uidui.tollenda.Sin uero persona suspectæ sit uitæ,cui iurisiurandi religio non ita facile credi debeat, permißum est rem sequestrari (ut uocant) id est,alterius custodiæ ab utroq; remotam committi, ut cuius usus, neq; penes dominum,neq; penes usufructuarium habeatur, ut sic certum sit,eam non peremptum iri,sed finiẽdũ usum fructũ,interim posse expectare,iuxta.l.postquã.§. imperator.ff.ut legatorum caussa caueatur. & l. si fideiussor .§.si.ff.qui satisdare cog.Cauet autem quod uel rem eiusdem qualitatis, uel pro ea insumpta, pecuniam ad boni uiri æstimationem quanti tunc est,restituet, unde qui frumentum,uinum,uestem,aut tale quid in usumfructum tenuit,optionem habet, si eiusdem qualitatis & bonitatis frumentum, uinum,aut uestem, an pecuniam quanti sit æstimata,restituere uelit.l.uetus.ff.de usufructu.& l.cum quid.ff.si certum petatur.Cæterum ususfructus non secus, atq; reliquæ seruitutes,pactionibus,stipulationibus, contractibus,*

Quãdo legatũ sequestratur.

Satisdatio vsufructuaria qualis.

Vsusfructus cõstituitur.

tractibus & testamentis constituitur, et quia seruitus est personæ debita, regulariter cum persona extinguitur, atq; finit, siue enim is qui usumfructum habet deo naturæq; concedat, siue pœnæ seruus sentētiæ atrocitate fiat, aut ei aqua & igne interdictū sit, aquā mortē ciuilē dicimus, semper usufructus expirat, nisi ī patrem, filiū famil iâs, uel seruum fuerit collatus: quo casu si pater moriatur, uel capite minuatur, penes filium: si filius, penes patrem, sin uero seruus, penes dominum usufructus commanet. quæ omnia habentur per Iustinianum sancita in. l. corruptionem. & l. fi. C. de usu & usufruc. post. l. sicut §. morte. ff. quib. mod. usufruct. amittitur. & apud Imolam in. l. filiofa. ff. de condit. & demonst. Sunt & alij modi finiēdi usufructus, quos in præsenti loco, & in libris Pandectarum cognoscere est, ijs adnumeratur, si forma rei usufructuariæ mutetur, quo fit, ut qui ædes quarum usumfructū habet, mutarit uel ampliarit nouam introducēdo formam, aut inchoatas absoluerit, ius suum & usumfructum perdat, in. l. qui usumfructum. & l. usufruct. nouum tectorium. ff. de usufruct.

Vsusfructus finit.

Forma rei mutata vsusfructus finit.

TITVLVS V.

De usu & habitatione.



SVS ijsdem modis cōstituitur quibus usus fructus, quare dici potest, Ius alienis utēdi rebus, salua rerum substantia, colligit interpres ex. l. 1. ff. de usu & habita. quod autem minus iuris sit in usu, quàm in usufructu, statim in-

Vsus quid.

telliget, qui animaduertit quantũ uti ab frui discrimen habeat. Vnde qui fundi usum habet, pōt fructibus eius ad necessitatem uti, atque fœnerari quod in annum duntaxat sufficiat. Reliquum alteri locare, aut uendere non permittitur, neque dominum prohibere potest quo minus agri colendi caussa, in fundo uersetur, colonum'ue aut familiam ibi habeat, l. si habitatio. §. si usus fundi. & l. plenum. & l. fundi usu. cum sequenti. ff. eod. titulo. In pecoris usu relicto, puta ouilis, ius stercorandi solum uenit, ut Labeo sentit, etiam modici lactis ut Vlpianus, cum lana atque agni in fructu sint: Sed si boum armenti usus relinquatur, omnem usum habebis, & ad arandum, & ad cætera ad quæ boues apti sunt. Huiusmodi est & equorum usus, qui tamen ab usuario alteri locari nō debent, nisi testator sciuerit eum aurigam non esse, sed equos tantum locare solitum. Verba enim testatoris, pro conditione legatarij ueniunt intelligenda in prædicta l. plenum. §. sed & si pecoris. & §. equitij. ff. de usu & habita. Vsufructuarius autem excepta sola proprietate integrum ius in re habet, quo omnes in uniuersum fructus consequitur, siue sint necessarij, siue ad uoluptatem conuertendi, præter hoc quod non tantum ipse re uti frui potest, sed etiam alteri locare, uendere, aut gratis concedere, neque dominum, neque familiam eius, colendi gratia admittit, ut qui solam proprietatem, absque ulla emolumēti expectatiōe, donec usus fructus finiatur, in re obtinet. Domus usus si marito relictus est, pōt in ea cũ muliere, familia & libertis morari, præterea Inquilinũ recipere potest, & hospitem, & clientes, dum ipse inhabitet

Fundi usus.

Pecoris usus.

Verba testatoris cōditioni legatarij coaptātur.

Domus usus.

bitet, aliàs non. Sin uero mulieri, potest & ipsa cum marito suo, etiam cum liberis libertisq́; inhabitare, aut si uidua est, maritum inducere. Hospitem quoque recipiet eum, qui honeste cum ea uiuat. l. ij. cum aliquot sequentibus. ff. eod. titu. ex quo colligitur, non esse permissum ei qui usum domus habet, ut meretrices, ganeas, & id genus pestem introducat, intolerabilem non minus uiciniæ quàm domino ædium. Quoties autem ædium relictus est usus sine fructu, communis refectio in sartis tectis, est tam hæredis quàm usuarij. Quod si ea res est, cuius usus alteri legatus, fructum uero hæres adcipiat, tunc hæredis est reficere, & si hæres nihil fructus percipit, sed rei solus est usus, ipse usuarius reficiet, quemadmodum est in. l. si domus. ff. eod. tit. Habitatio quoque seruitus est mista, quæ ex re personis debetur, eam tametsi Vlpianus ex sententia Papiniani, lib. quæstionum xix. eiusdem penè effectus cum usu fore dicat, re tamen ipsa discriminantur. Habitatio enim est ius alienas inhabitandi ædes, salua ædiũ substantia, sic qui ædium suarum habitationẽ relinquit uxori, copiam ei facit ut non tantũ ædes illas usquequo in uiuis est, immoretur, sed etiã ut eas alteri accommodare aut locare poßit. l. j. §. item commodatum. ff commodati. Iustinianus in decisione, Cum antiquitas, cuius & hic meminit. C. de usu & habita. Sed qui usum ædium habet, ipse solus utatur oportet, alteri enim uel accommodare uel locare ipsum non potest, angustior ergo est usus quàm habitatio. Proinde, quia habitatio, alimentorum instar se habet, quæ magis facto, quàm persona expendimus, non finitur, nisi morte eius qui habitandi ius obtinet, iuxta prædictam

Refectio rei penes quem.

Habitatio quid

Habitatio finit

prædictam.l.si habitatio.ff.de usu.et.l.habitatio.C. de usu fructu,usu,& habita.atque in hoc durabilior est usufructu,qui etiam capitis diminutione perimitur.

TITVLVS VI.
De usucapionibus, & longi temporis præscriptionibus.

Vsucapio.



VSVSCAPIO *seu copulatum uocabulũ efferimus, autore Gellio lib. noctium vij. cap.x. sicuti pignoriscapio: nostri usucapio dicere consuerunt, utrique quasi ususcaptio,ea propter, quod qui rem iusto tempore possederit, eius'ue usum habuerit, usu eam cepisse putatur. Et licet ususcapio in re proprie mobili adcipiatur, cuius dominium triennali intercapedine directe paratur.l.in seruorum. atq; ibi interpretes.C. in quibus caus. cessat longi temporis præscriptio. in hoc tamen titulo, & in pandectis, de ususcapionibus, & usurpationibus, tum in plerisque Codicis Iustinianei locis, lata significatione pro præscriptione capitur.eam Modestinus iureconsultus sic definit:Vsuscapio est adquisitio uel adiectio dominij per continuationem possessionis,temporis lege definiti.l.iij. ff.de usucap.quam Caius bono publico introductam adfirmat ne quarundam rerum diu, & ferè semper incerta dominia essent,cum sufficiat dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium, sed hoc temporis spatium hactenus erat in rebus mobilibus unius duntaxat anni, immobiliũ autem biennij,breuius quàm ut domini suis rebus eo sic præcociter defraudari debeam, uisum est Iustiniano*

Vsucapio proprie in mobilibus.

Vsucapio qd.

niano Constitutionem super hoc promulgare, in l. unica. C. de usucap. transfor. qua cautum est, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles uero per longi temporis possessionem (hoc est) inter præsentes iugi decennio, inter absentes uicennio & nonnunquam tricennali aut ulteriori atq; longißima præscrip. usucapiantur, & cum rerum mobilium tanta non sit existimatio, per usucapionem plenum earum ius & dominium, quod uocant directum, comparatur, sed rerum immobilium (quas non sic facile aliò transferre oportebat) longi temporis præscriptione dominium duntaxat utile, cuius beneficio agentem repellit exceptione præscriptionis. Et *si dominus sciuerit me rem suam tanto tempore poßidere, etiam ius plenißimum consequi in re possum, apud Commentatores, in* Au*ten. nisi tricennalis.* C. *de bonis mater. atq; in prædicta. l. iij. ff. de usucapio. usqueadeo* Argus *esse debet atq; inuigilare qui rebus suis optimè uelit prospectũ, ne dum securus in utramuis dormit aurẽ, etiam id negligat, quod tẽpestiua opera atq; prouidentia pro iure suo rebus patrimonialibus adijcere potuisset. nam inutilis reipublicæ existimatur, qui rerũ suarum intra hoc legibus definitũ tempus, ne semel quidem curã ut eas inuestiget, adhibet, quo modo multos ego uidi qui eas res sibi peperere, quas alij* Epimenidis *somnũ dormiẽtes, uel aleæ, ganeis'ue interim dediti, temere posthabuerunt.* Rectè *igitur Serbidius Scæuola,* Ius *uigilantibus scriptum esse, existimauit.* Nec *pro derit, quod pleriq; omnes, ubi sero incipiunt sapere* Phry*ges, illud subinde occinere solent,* Nullo *unquam die iure fieri posse, quod uel centum annis iniurium sit.* Iniu*rium*

Ius uigilantibus scriptum.

rium enim non est, quando quis rem legitimam præscri-ptione adquirit, cum & hoc sit iure prouisum, ne domi-nia rerum diu sint in incerto, quæ una certe caussa fuit introducendarum aliquando usucapionum. Vbi rur-sus monendi sumus hoc ipsum præscriptionis subsidium in pœnam duntaxat adcommodatum ijs qui rebus suis prospicere non satagunt, & non ut imprudentes & bar di homines, uel potius qui natiua simplicitate laborant, aliorum imposturis traducantur. Quot enim esse pu-tes qui, ut etiam omni rerum sentina non saturantur, ut nullum non litigij genus ob rem, nihili pertentant, ita nihil prætermittunt, quod ad circumueniendum in-cautos & miseros homines atque ipsorum res fraude in-teruertendum spectat, haberi potest, Plutonis hoc est, non hominis, præsertim Christiani, cui uix litigatorem repellere datur, ne dicam ultro litem efferre, aut im-probe lacessere: profecto iuri ciuili atque adeo reipubli cæ optime consultum foret, si non essent, etiam inter iu-ris professores (nisi impostores optimæ disciplinæ dicere malis) qui posthabita religione captiunculis illis & caute-larum (quas uocant) gryphis, solam aut certe immodicam operam nauarent, quando ius ciuile introductum est, ut publica hominum consuetudo consistat, non ut dissolua-tur, cui pessime uult quisquis fallendi animo audet quic-quam, ut qui utilitatem posthabet, cũ nihil sit utile quod idem nõ iustũ, non bonũ, atqui iustum esse nõ potest, quod ex dolo malo proficiscitur, quo aliud simulatur, aliud agi tur, quod qui faciũt perfidi sunt, improbi sunt, maliciosi sunt, nullũ igitur factum eorũ potest esse utile, cũ sit tot

Præscriptiões quare inuentę.

In litigiosos.

Cautelarũ gryphi.

uitijs

uitijs inquinatum, uti Cicero noster unicus iuris antistes in III. officiorũ lib. diligentißime colligit. In summa, bonus uir subsidijs illis iuris ad sobrietatẽ, atq; ad eũ quo sunt introducta, modũ utitur, quod & legis latorem uoluisse, argumento sunt tot loci restitutionum, quibus ijs qui circũscripti sunt legitima ratione subuenitur, sic nõ tantum hominem, sed etiam Christianũ se agnoscit, qui ius tractat. qui alijs ut recta consulat, præfectus est. Restitutiones.

Præscriptionis talis est usus, ut qui bona fide & ab eo qui dominus nõ erat, cum crediderit eum dominum esse, rem emerit, uel ex donatione, aliàue quauis iusta caussa adceperit (eũ siquidem in hoc casu titulum adpellamus) is eam rẽ si mobilis est, annis ubiq; tribus, si immobilis, decennio inter præsentes, uicennio autem inter absentes usucapit, iuxta sanctionem l. unicæ. C. de usucapio. transformanda. Ne'ue existimes omnem statim rem usucapi posse, eam putamus quæ priuata est, & à nobis poßidetur, ubi seiungas rem sacram, religiosam, liberum hominem, seruum fugitiuum, rem ui poßeßam, & eam quæ est furtiua, certe fures & inuasores præscriptione longißima muniri, Rogerius autor est, rerum enim ui poßeßarum lex Attinia (sic pro Attilia legendum est) usucapionem inhibet, est etiam in l. sequitur. §. quod autem. ff. de usucap. furtiuarũ & subreptarũ legem. XII. tabularũ, nam quod subreptũ erit, eius rei externa autoritas esto, retulit Aul. Gellius li. XVII. cap. VII. Quia uero actionum alia in rem est, alia in personam, duplex quoq; præscriptionum genus introductum est, ad huiusmodi actiones eludendas, ea siquidem præscriptione, quæ lõga est, Præscriptionis usus. Quę res nõ usucapiuntur.

puta

puta.x.uel xx.*annorũ solæ in rem actiones, per modum exceptionis non solũ tolluntur, sed etiã ei qui à poßeßione ceciderit utilis uendicatio cõparatur, longißima uero, hoc est* xxx.*uel* xL.*annorum præscriptionibus personalis actionis desyderia sopiri proditũ est, ut quæ perpetuã induant exceptionẽ, tunc necessaria, cum longi temporis ususcapio deficit, quæ rursus præscriptiõi triẽnali subrogatur, & ut præscriptioni præsertim ei quã longã diximus sit locus, quatuor requirũtur.*

Ad prescriptionẽ quot requiruntur.

*Primũ ẽ titulus aptus ad efficiendum ususcapionem, quẽ tum adlegare satis est, etiã si non probetur, qualis est titulus ex empto, ex donato aut quauis iusta caussa cõparatus, etiã ab eo qui dominus nõ erat, cũ crediderimus eũ dominũ esse: nam si titulũ ab eo habeamus qui uerus dominus est, non indigemus præscriptione, sed res postquã traditur, statim nostra efficitur.l.j.C.de ususcap.transfor.l.diutina.& l.nec petentem.C.de longi temp.præscript.& l.nullo.ff.de rei uend. l.seruitutes.ff.de seruitut.*Nec *prodest titulum adlegare, quem dicunt pro suo, hoc est, quod pro suo quis poßideat, est enim multiplicis naturæ & generalior quàm ad usucapiendum sufficiat, iuxta.l.j.ff.pro suo.*

II. *Vsucapiens bonam fidem habeat oportet, sic quod crediderit rem eius esse à quo traditã accepit.l. qui à quolibet.ff.de contrahen.empt.& l.ij.l.si fraude.C.de longi temp.præscrip.cum.l.ij ff.de usucap.*

Poßeßio quomodo probat.

III. *Continuata seu perpetua poßeßio per tempus quod lege est definitum.l.j.C.de usucap. transfor.l.ij. C. de longi tempor.præscriptio. & l.sine poßeßione.ff. de usucap.quàm commodißime probamus per initium poßeßio*

ſeſſionis, & quod uſq; huc poßidemus, per .l. ſiue poſſidetis. C. de probat. & .l. licet. C. de acquir. poſſeß.

IIII. *Eſt tempus lege præſtitutum, puta, trium annorum intercapedo pro rebus mobilibus, x. inter præſentes, xx. inter abſentes pro immobilibus, in prædicta l. j. C. de uſucapio. transfor. l. emptor. & .l. penultima. C. de longi temporis præſcriptione. Quæ omnia in uſucapione, & longi temporis, (quod x. aut xx. annorum dicimus) præſcriptione obtinent. Nam ea quæ eſt longißimi temporis, (xxx. inquam annorum aut ultra) ſolam poſſeßionem perpetuã & non interruptã deſiderat, in qua titulum atque fidem t...pus tricennale ſupplet, et inſtaurat, intra quod ſi quis rei ſuæ nullas tulerit uindicationis ſuppetias, ſtupidus prorſus habetur, & nullo iuris præſidio dignus, in autenti. malæ fidei. l. ſicut. & .l. omnes. C. de præſcript. xxx. annorum.*

Præſentes, quod cognoſcere operæpretium eſt, hic dicuntur qui eiuſdem ſunt ciuitatis, præſertim liberæ, & cui ſuum eſt imperium, aut prouinciæ unius, cui ſuus eſt præſes. Præſentes qui.

Abſentes uerò, qui in diuerſis ciuitatibus: uel prouincijs agunt, tractatur in .l. fin. C. de longi temporis præſcriptiõ. Proinde Vſucapio labefieri poteſt, atque inanis reddi, per poſſeſſionis interruptionem, quam Paulus Iuriſconſultus uſurpationem uocat in .l. uſurpatio. ff. de uſucapio. Eſt autem interruptio duplex, Ciuilis & Naturalis. Ciuilis fit per litis conteſtationem, executorem miſſum, pignorum oblationem, et nonnullis alijs modis, quos apud legislatorem uidere eſt, in .l. cum notiſſimi. §. Abſentes. Interruptio præſcriptionis.

ſed etſi.

ſed et ſi.C.de præſcriptio.xxx.uel xL.annorum.

Interruptio naturalis.

Interruptio quam naturalem diximus, eſt quoties poſſeſsio per tempus præſtitutũ non perpetuatur.l. naturaliter.ff.de uſucapio.quorſum adducere poteris Paragra*phum diutina poſſeßio, noſtri tituli, & l.ſuper longi.*C.*de præſcript.long.temp.l.j.*C.*de uſucap.transfor. ubi eſt quòd poſſeßio continuatur perpetuatur'ue non modo per*

Cõtinuatio poſſeſſionum.

unum poſſeſſorẽ,uerum etiam per plures,hoc tamen pacto ut primus bonam habeat fidem: uerbi gratia, defunctus rem aliquam bona fide poſſedit ſeptennio perpetuo, hæres eius triennio, utriuſque iam temporis fit adceßio, & redundat in tempus x.*annorũ, quod ſuppetit ad uſucapiendum, utcunque ſecundus poſſeſſor ſit in mala fide, nam ſubceßit in prioris ius qui bona fide uſucapionẽ cœpit, ſecus ubi primus malã habuerit fidẽ, cum malefidei poſſeſſor non præſcribat.l.ſi fraude.* C.*de long. tempor. præſcript.adnotatur in.l.*Pomponius.*ff.de adqui. poſſeſ.*

Vſucap.mobilium interrumpitur.

*Sed quod rerum mobiliũ uſucapio uſurpetur, oportet ceſſatum ſit à poßidendo,ciuilem enim interruptionem non admittit propter res illas non tanti æſtimandas.l. ſi poſt adceptum.ff.de rei uend.exceptis quatuor modis qui ſunt in.l.ut perfectius.*C.*de annali excep.*

TITVLVS VII.

De donationibus.

Donatio quid.



T donationibus nos rem perſequi docet. E*ſt autem proprie donatio, quæ nullo urgente iure, ſed magis ex mera liberalitate atque munificentia in alterum ſit collatio, ea quidem*

dem mente ut statim fiat adcipientis, nec ullo casu ad donantem reuertatur, apud Vlpianum in.l.j.ff.de donationibus. Azonem in summa de donationibus. cam Paulus à donare deriuat.in.l.senatus.§.donatio.ff. de mortis causa do. quasi doni datio sit, quod itidem Latini à Græcis mutuarunt qui δῶρον dicunt, donum uero quia ex mera liberalitate proficiscitur fit ut semper boni sit consulendum, monēte sententia illa, cuius uel Strabo in vj. Geographiæ mentionem facit. δῶρον δ' ὅτι δῷ τις ἐπαίνει, quasi donum quodcunq; adprobandum, quemadmodum is qui haustum aquæ, beneuole suscepisse dicitur, proinde non donum ipsum quod minus erat, quàm ut plurimum regratiationis promereretur, sed donantis animum dimensus.

Donum unde.

Donantis animus.

Donatio apud iuriscōnsultum summa eius diuisione in duas parteis diducitur, nam alia est mortis caussa, alia inter uiuos. Donatio mortis caussa, ut inquit Iustinianus, est quæ propter mortis suspitionem contingit, unde legatorum instar se habet, quando magis se quis uelit habere quàm cum cui donat, magisq; cum cui donauit, quàm heredem suum. Locus cuius Marcellus in.l.j.ff.de don.mort. caussa, meminit. & hic est repetitus, ubi Telemachus Peiræo donare perhibetur, apud Homerū. In nostris quidem exēplaribus quæ ipse uiderim, nō habetur, nā in xv. Odysseæ libro Telemachus Theoclymeno uati ꝑpter auguriū quod ex dextera aue suspicatus erat, ubi euenerit, et amorem & multa dona pollicetur, Postaq; Peiræo fidißimo sociorum uatem commendat, sed ad donationē quod pertinet nihil agitur, quemadmodum & u. rsus ille Græcus

Donatio mortis caussa.

Κλαγγῇ δ' ἄσπετοι ὦρτο συῶν ἀναλιζομενάων, quę Iustinianus infra de lege Aquilia, Aelium Martianum in suis institutionibus ex Homeri Odyssea adducere scribit, ad id ut sues quoque pecudum adpellatione contineri osten dat, uulgatis Homeri codicibus non inseritur, uerum librariorum incuria, an alia ex caussa id fiat, in præsentiarum non pronuncio, sed eorum iudicio qui bonis literis optime uolunt, relinquo. Quod genus donationis fieri potest, non solum aduersæ ualetudinis caussa, sed etiam propter mortis periculum imminens ab hostibus, à prædonibus, ab hominis potentioris tyrannide atq; odio, aut nauigatione ineunda, haud secus donare mortis caussa potest p loca insidiosa profecturus, senio'ue exhaustus iuxta prædictam.l.j.cum aliquot sequentibus.l.senatus.§. mortis caussa.ff. de mortis caussa do.&.l.j.C. eodem titulo. Alienæ quoq; mortis gratia donatur, hoc modo, si Titius filius meus decesserit, eam rem tibi dono, uel ut doni uice habeas, uolo.l.qui pretio.l.mortis caussa.l. mortis caussa capimus.ff.de mortis caussa dona. &.l.fratris. C. eodem tit. Proinde donamus tam præsenti, quàm absenti etiã ad imaginem fideicommißi, idq; per nũcium, aut epistolam. l.nec ambigitur.C.de do.mortis causs.l.ut hæredibus.ff.de leg.ij. Et mortis caussa donatio, neque insinuationem, neque scripturæ rationem desyderat, sed quinque numero testes.l.fina.C.de donat.mortis caussa. Reuocatur autem quoties donatorem eius pœnituerit, & non secus atq; legatum adimitur, cum eadem utriusque sit facies.l.mortis caussa donatio.l.qui mortis caussa.&.l. senatus.§. donatio.ff.de mortis caussa donat.

Donatio mortis caussa quoties fit.

Donatio mortis caussa, reuocari potest.

Dona

Donationē inter uiuos dicimus, quam nulla quis mortis suspitione, neque ullo urgente iure, sed sola liberalitate ductus, facit. l. donari. ff. de donatio. Cuius natura est ut dominiū ipsius rei donatæ, statim traducatur, uel ī accipientem, uel in alicuius conditionis, aut temporis euentum, usqueadeo rem dono datam, tradat, atque pleno iure in donatarium transferat oportet, ne dolo locum faciat, simulq; flare et sorbere uelit, quod ab animo liberali tam est longum ut quod longißimum.

Donatio inter uiuos.

Traditio necessaria.

Et ne quisquā inconsultis & minus liberalibus largitionibus sua temere diffundat, post, ipse hæres'ue Pausone infelicior, aliena quadra uicturus legibus puisum est, ut qui ultra quingentorū aureorum quātitatē dono dare in animū cœperit, solenni ratione atque legitima insinuatione id faciat, hoc modo, iudici uel ordinario, uel cuicūq; alteri illam suam donationem insinuet, eiusq; ad conatus adsensum petat, qui ubi donationem sic fieri posse decreuerit, in acta publicāq; scripturam redigatur, aliâs enim nisi insinuatio sic interuenerit, siue id ante, siue post donationem sit factum, donatio quo ad eam quantitatē quæ quingentos aureos excedit, irritatur, atque inutilis habetur, ut est in. l. si quis. §. cæteris. l. donatio. in fi. & l. sancimus. §. si quid. C. de donationibus. Sunt tamen casus in quibus non est necessaria insinuatio, sed præterea ualet, qualis est, quæ fit pro redimendis captiuis, aut si magister militum aliquem ex militibus, quia optime se geßit, honoris ergô munerarit, præsertim rebus quæ sunt mobiles.

Insinuatio quādo necessaria.

Item si quis pro domo exusta, uel ruinosa reparanda elargitur. Potest & princeps Romanus cuipiam, & rursus

Insinuatione quando non est opus.

ſus quis Principi conferre quamlibet grãde donum, abſq; ulla inſinuationis lege.l.ſi quis redemptione.& in adducta.l.ſancimus.& in autenti.item à priuatis.C.de donat. Similiter inſinuationem ſponſalitia largitas,& donatio quæ collatum beneficium remunerat,non deſiderant, in auten.ut ſponſalitia largitas.collat.ix.l.attilius regulus. & l.ſi pater.§.fi.ff.de donat.

Donatio inter uiuos nõ reuocatur.

Poſtremo aduerte,huiuſmodi inter uiuos donationem, regulariter propter factam traditionem reuocari nõ poſſe.l.ſi donatis.C.de donatio.exceptis aliquot modis iuxta l.fin.C.de reuocandis donatio.& c.fin.extra de donatio.

Quando donatio reuocatur.

*Quorum primus eſt,ſi quis atroces iniurias inferat ei à quo donatum adcepit.*II *ſi ei manus inferat* III.*ubi iacturam rebus donatoris fecerit.* IIII. *quando uitæ donatoris eſt inſidiatus.*V.*Vbi pacta non ſeruauit.*VI.*quando donator inops atque alimentis egens,per donatarium ut ingratum,non ſuſtineatur.* VII. *ſi donans,tempore donationis liberos non habeat,ſed eis poſtmodum augeatur. Huiuſmodi ſiquidem cauſsis in iudicium deductis, & quatenus in foro ſufficit comprobatis, donatum reuocari atq; irritari poteſt per donatorem,non autem eius ſucceſſorẽ.*

Ex donatione qnatenus cõdẽnatio fit.

Et ſi quis ob donationem factam, ſed non abſolutam, præſertim eam quæ non ex cauſſa profecta eſt, conueniatur,non competit ut ſecundum totam donationis quantitatem condemnetur,ſed quatenus bona eius ualent,deducto ære alieno & præterea alimentis ne egeat,nam liberalitas nemini damnoſa eſſe debet,alioqui prodigalitas eſſet.Expende quæ ſunt in.l.diuus pius.ff.de regu.iur. & ſcribuntur, infra de actione.in.§.ſunt præterea. & in.l. *inter*

e

inter cos.§.fin.ff.de re iudic.

TITVLVS VIII.

Quibus alienare licet, uel non.



ATVRA firmè comparatum est, ut is qui rem consequi atq; propriam facere ius habet, idem ipsam auertere quoque & alienare poßit, cum domini ius habeat, penes quem res & stat, & cadit. Sed quia legali ratione est inductum, ut qui dominus rei sit, eam aliquādo alienare nō poßit, & rursus qui dominus rei non sit, alienādæ tamen eius potestatem habeat, uisum est Iustiniano utrunque ut accidat in præsentiarū explicare, cum eam ob rem quòd hactenus rerum dominia quomodo iure gētium uel ciuili adquirantur, tractarit, iam nunc quomodo trāsferri debeant subiungendū sit, tum quia donationis mentionē habuit, quæ respectu eius qui donat alienatio est, quā leges nonnullis in rebus etiam dominis non permittunt, in hūc modum: Maritus dotale uxoris prædium etiā uolente ea, nō potest alienare, uti paulò post adnotabimus: similiter pupillus, licet dominus sit rerum suarum, eas tamen ut alteri neque uendit, neq; inuito tutore donat, ita neq; debitum tuto soluit, est in l.non omnis.§. si pupillus.ff. si certum petatur. Ex contrario autem, pupillo pupillæ'ue dari utiliter quid potest, cū sic res eius augeatur, & non fiat deterior, quod unum iura legesq; prohibuere, sed debitum ei, nisi tutoris autoritas interueniat, soluitur, minus tuto, nam si pecunia illa solutionis salua apud pupillum non habeatur, sed uel dilapidata sit male, aut furto, aut Pupillus non potest donare.

ui amissa, necdum est liberatus debitor, sed iterum soluere cogitur, quia contemptis legibus minoris ætatis non habuit rationem, iuxta l. in pupillo. & l. pupillo. ff. de solutio, & lib. exactissime autem in constitutione Iustiniani, quæ dicitur, Sancimus. C. de administr. tuto. cuius in præsenti tractatu fit ἀνακεφαλαίωσις, & summa capitū repetitio. Præterea accidit eum, qui dominus non sit, rem posse auertere, qualis est creditor, qui pignus iuxta conuentionis pactum alienare potest, atque distrahere, sin autē nulla pactio, quomodo distrahi ualeat, est interposita, tūc creditor poterit nūciare debitori ut pignus redimat, & si id intra biennium à nunciationis tempore numerādum, non fecerit, licet creditori pignus alienare, quod si nemo est emptor, Præsidem seu tribunal ordinarium & prouinciale interpellet, ad certum tempus redimendi pignoris debitori præstituendū, quo si emāsor pignus rursum non liberarit, potest Præses illud creditori addicere, propriūq; reddere, eo tamen pacto, ut debitor adhuc biennium habeat, quo pignus ex creditoris manibus, oblato debito, unà cum usuris, atque impensis interim illatis, recuperare humano regressu ualeat, at biennali hoc quoq; tempore posthabito, res perpetuo apud creditorem remanet, nec aliquod eius recuperandæ subsidium debitor amplius sperabit. Et iudicis esto pignus æstimare, hoc modo, si pluris sit quàm debitum, quod reliqui est debitori hæredibus'ue eius offeratur, si minoris creditori in id quod superest non solutū, integra seruatur actio aduersus eum qui debet: sin autem absque æstimatione legitima, sit uenditum pignus, & dubitatio oriatur, sit ne uiliori pretio quàm

Creditor quo pignus alienat.

Penes iudicem est pignoris æstimatio.

quàm par est facta uẽditio, sacramenti religionem creditor facere compellitur, si nulla machinatione uel circunscriptione usum, sed tanti rem uendidisse, quanti potuerit uenire, quæ omnia satis abunde habẽtur in.l.fi.atq; ibidẽ Iureconsultus.C.de iure dominij impetrando.

Nam dotale prædium &c.

PRædium à præstando dictum est, autore M. Varrone quod eo in pignus dato publice mancupes fidem præstent. Prædiũ unde.

Prædium autem dotale, eam dotem appellamus quæ in fundo, aut in re immobili constituta est, ea si in hunc modum detur ut æstimata temere neque corradi, neque auerti debeat, tunc maritus eam non alienat utcunque uxor consentiat etiam iureiurando.l.inter uirum.C. de iure dotium.l.j.ff.de fundo dotali.copiosius in.l.j.§. & cum lex Iulia.C.de rei uxoriæ actione. quemadmodum nec donatio propter nuptias alienatur, in Autẽn. siue à me.C.ad senatuscon. uell. Iuris tamen Pontificij constitutione sacramenti uxoris religio rei uendicationi obstat, in c.contingit.extra de iureiurando. Sin uero prædium dotale, ut emptionis uicem habeat, æstimetur, Videre est quale pactionis conuentum intercesserit, nam si pactum sit, rem ipsam soluto matrimonio restituendam, tunc alienari non potest, quando autem sic pactum non est, tunc æstimatio rei loco succedit, quam uendita re, (uendi enim potest) utrique solui conuenit, & optio penès maritum, eius'ue hæredem erit, si rem dotalem, an eius æstimationem reddere uelit.l. quoties.C. de iure dotium. & l. plerunque. ff. eodem titulo. Certe maritus, si pro dote, quæ in hunc Prędiũ dotale. Fundus dotalis uel æstimatio quãdo reddit.

modum æstimatur, aut in re mobili, pecunia'ue constituatur, restituenda, ex certis suis bonis nihil obligauit nexum'ue fecit, omnia bona sua tacite obligata tenet. l. j. §. ut plenius. C. de rei uxoriæ actione. Vbi prætermittendũ non est, uxorem dotem suam constante matrimonio repetere non posse, secundum iuris ordinem, nisi marito uel ad inopiam uergente, uel deportato in insulam, l. si constante. & l. si marito. ff. solu. matri. & l. ubi adhuc. C. eo. tit. Aut quando matrimoniũ non est absolutum. l. quẽadmodum. ff. de iure dotium. quod si maritus est inops, & uxor rerum suarum minus prouida sed insumptrix, dos sequestranda uenit, ut hinc uxori prouideatur, ne rerum egestate correpta pessimi exempli rem ausit. arg. l. si cum dote. §. si uero dotem. ff. sol. mat.

Mariti bona pro dote obligantur.

Dos quãdo potest repeti ab uxore.

Vtque perfunctoriæ ostendam, Dotium altera profectitia est, altera aduentitia. Profectitia dicitur, quam parentes constituunt, qui filiam pro rerum suarum uiribus dotare compelluntur, in l. qui liberis. ff. de ritu nup. & l. fi. C. de dot. promiss. usqueadeo ut absentibus parentibus etiam Prætor & magistratus dotem nubili puellæ ex paternis bonis constituere poterit, ne diutius neglecta, posthac etiam grandæua penitus contemnatur, neque sponsum, reliquæ uitæ partem, inueniat: solent enim contemni puellæ, & ludibrio fermè esse, quæ rugas innuptæ, præstolantur. l. profectitia. ff. de iure dotium. dicta profectitia dos, quòd rectà, & ex bonis paternis, unde alimenta liberis debentur, sit profecta. Aduentitia uero dos illa est, quam nemo ex paternis bonis, sed quispiã extraneus alicunde dedit, nam quicquid aliunde,

Dos profectitia

Dos quãdo p magistratũ constitui potest.

Dos aduẽtitia.

& no

& non ex patrijs rebus nobis obuenit, aduentitium adpellamus, reliqua ad hunc locum facientia, inferius adnotabimus lib. iiij. in titulo de actionibus.

TITVLVS IX.
Per quas personas nobis adquiritur.



DQVIRERE in hoc tractatu suã ἔμφασιν habet, quemadmodum fermè in uniuerso iure, quod non modo adsequi, sed etiam dominio tenus nancisci dicimus, uti ex XLI. digestorum libro clarius habetur, de adquirendo rerum dominio, quod Iustinianus his partim uerbis expreßisse uidetur, per quas personas nobis adquiritur, cuius indicium esse potest. l. adquiritur. eiusdem loci, quæ statim à capite hic repetita est, mutatis solum personis. Imperator porrò quia respondere uidetur interroganti, secunda utitur persona, ubi iureconsultus primam habet, ubi ob oculos ponitur, rerum dominia non solum per nosipsos, uti hactenus uisum est, sed etiam per alias personas nobis adquiri posse, quales sunt liberi quos in potestate habemus, qui lucrum ex rebus nostris, paternis dico, partum in uniuersum nobis adquirunt, iustum siquidem est, eò quid reuerti, unde est profectum, autore Iustiniano. Ex rebus aliunde aduenientibus, parenti usumfructum, sibi ipsis uero dominium pariunt liberi. sic enim fieri posse existimarunt Legumlatores, ut etiam ij qui alijs sunt subiecti, ad rem faciendã alacriores reddãtur, ut est satis abunde in. l. cum oportet. C. de bonis quæ liberis. Proinde Adquirere.

quicquid

quicquid lucri aliũde liberis adcesserit, peculiũ dicimus. de quo uidere est quæ inferius scripsimus, titulo de actionib. §. actiones autem de peculio. Quantum uero præsens locus postulat, satis fuerit admonuisse peculij aliud esse castrense, aliud quasi castrense.

Peculium castrense.

Castrense peculium, apud Sextum Pompònium, in. l. castrense. ff. de castren. peculio: Est quod à parentibus uel cognatis, in militia degenti donatum est. Vel quod ipse filiusfamilias etiam aliũde adquisiuit, quod nisi militaret, adquisiturus non fuisset. Quo modo, & res mobilis, & immobilis, atque ea quæ pro peculio cõempta est, peculij significatione uenit. l. j. C. de castrensi peccul. militum. libro xij.

Peculium quasi castrense.

Peculium quasi castrense, dicimus, quod ex publico munere aut functione aliqua, opera'ue, etiam ex priuatis personis filiusfami. adsequitur, apud iureconsultos, in. l. fori. C. de aduocatis diuerso. iudicio. & in. l. cum oportet. C. de bo. quæ libe. Et utrunq; peculium tam castrense quàm quasi castrense filiusfami. adeo sibi adquirit, ut liberum ei sit ex ipso testari, donare, & quocunq; uelit applicare, tantum abest, ut in communem & paternam hæreditatem cum reliquis fratribus id conferat, iuxta. l. fin. C. de colla. bo. & l. certum. C. fami. ercisc. atq; in prædicta. l. cum oportet. Item adquiritur nobis per seruum nostrũ, per seruum alienum, cuius usumfructum habemus, præsertim si quid ex re nostra, aut operibus suis nanciscantur. Item, per eũ quem bona fide possidemus, siue is liber sit, siue seruus, quæ omnia singulatim adnotare supersedeo, ne aquas oceano infundere, aut noctuas Athenis inferre uidear

Peculiũ nõ cõfertur in hæreditatem paternam.

uideat, cum per Iustinianum quantum exordia legum desyderant satis perstringuntur, copiosius autem, in l. adquiritur. l. etiam inuitus. ff. de adquir. rer. domi. l. poßideri. §. quod si seruus ff. de adquiren. & amitt. posses, & l. si seruus uetante. ff. de uerbo. signifi.

TITVLVS X.
De testamentis ordinandis.



E rebus quæ nostro iuri subijci potuerũt præterea, quibus modis nobis adquirantur, in hunc usq; locũ disseruit, sed quia nõ modo res priuatas, uerum etiã uniuersas adquirere possumus, quod fit ex testamento, uel abintestato, ceu iam proximo ab hinc loco uisum est. Ante oĩa de testamẽtis dispicere uoluit, quorũ ratio licet multis negociũ faciat, tñ si recto ordine consideretur, labor ille sua cõmoditate compensabitur, & bonam lucri partẽ feret. Reipublicæ *igitur interest, testamenta condi, & quęque in bona sua certũ hæredẽ, successoremq; agnoscere, Aliâs ut eũ ferre hæredẽ sæpe cogeremur, qui nihil tale esset meritus, ita & contẽtiones ineuitabiles, adeoq; perpetuas, rebus illis nostris tot sudoribus cõparatis, excitaremus. Cui malo nulla alia ratione quàm testamentorũ, etiam ueteres mederi uoluerunt.* Te*stamentum, (quam Græci* διαθήκην *uocant) Latini tabulas, ad ueterum imitationem, qui ante chartarum inuentum, tabulis ex cortice factis, scribebant, ex quo factum, quod tabulas testem omnium materiæ figuram adcipimus, siue igitur tabulæ sint ligneæ, siue cuiuscunq; alterius* Testamẽta quare introducta.

rius materiæ siue chartæ, siue membranæ, siue corium animalis alicuius, tabulæ rectè dicuntur, autore Vlpiano. l. j. ff. de bo. pos. secundum tabu. Seruius Sulpitius uir suæ ætatis doctiss. apud Aul. Gellium contestationem mentis adpellat, τύπον *magis, &* ὑπογραφὴν, *quàm* ὁρισμὸν, *et supstitiosas definitionũ leges obseruans, quẽ & lõgo post interuallo Iustinianus nisi alter sit, cui id operis adceptũ referre uelis, ijsdem hærens uestigijs imitatus est, Cæsar aut* ἀναλφάβητος, *ut multi putant, aut maioribus rebus deditus, quàm ut minutijs illis uocum studere licuisset, cui uel ob id Laurentius Valla, homo immodicæ mordax, hoc præsertim loci pepercisset, nam in reliquis iuris recentioris partibus, si non grauius atque in hac uoce peccatum esset, errorem ego arbitrarer tolerabilem, in ea maxime nomenclatura non sic remotè petita.* ¶ *Testamentũ Vlpianus in. l. j. ff. eod. titu. plenis uerbis definit, inquiẽs,*

Testamentum quid.

Testamentum est uoluntatis nostræ iusta sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri uoluit. Eius duplex forma est, Aliud enim testamentum nuncupatiuum,

Testamentum nuncupatiuum unde.

aliud scriptum adpellamus. Nuncupatiuum testamẽtum iure ciuili introductum est, quod per testatorem non scribitur, sed in quo hæres nuncupatur, hoc est, coram testibus expreßis uerbis nominatur cum reliqua mentis suæ uoluntate, in hunc fermè modum. Testator præsentibus VII. testibus legitimis atq; ad id rogatis, ultimum uoluntatis suæ elogium narrat nuncupatq;, exprimens non tam legata quàm hæredem institutum atq; cæteras mentis suæ testationes, eiusq; ut sint testes, rogat. est in fi. huius tit. & l. hac cõsultißima. §. per nuncupationẽ. C. de testa. Et hoc

testamenti

testamenti genus Tabellio, si quis adfuerit in publicã instrumenti formam redigere utiq; potest, & nihilominus nuncupatiuum erit, cum per testatorem non sit scriptum atque prælectum, sed sola nuncupatione expressum. Scriptum uero testamentum à Prætore inuentum, ex eo dicimus, quod ultimam uolũtatis suæ dispositionem quis ante conscribit, & postea præsentibus VII. *testibus puberibus, atque liberis, si eam clam esse nolit scriptam, recitat quòd si clàm haberi, & occultũ esse uelit, quicquid testatione sit ordinatum, chartulam eius quod scripsit testatus'ue est, complicatam uel inuolutam, ita ne scriptura perlustretur, in medium proferre poterit, & dicere, hoc esse testamentum & supremum uoluntatis suæ elogium, sua ipsius, uel alterius ad hoc requisiti, (quem & nominare tutißimum est manu exaratũ, & rogare ut eius sint testes atq; in fidem signa sua singuli adponant atq; subscribant, quo facto singuli testium singula sigilla uel chordulis ad hoc paratis & testamento transfixis, uel cooperimento cui tabulæ inuoluũtur, aut in uniuersum omnes unũ sigillum conscij apponunto, mox deinde cõsignato. Testator in parte eius inferiori atque ad hoc uacua, in primis manu propria subscribat, fateaturq; hoc suũ esse testamẽtum, quemadmodũ Chirographo suo uel alterius sit scriptum, & præsentibus testibus roboratũ &c.* Quod si *totum elogium testatoris manu fuerit conscriptum, atque id ipsum confiteatur, non est omnino necessaria eius subscriptio.* At si *literas ignoret, qui sic disponit, atque subscribere nesciat, octauũ testem, & loco sui subscriptorem adhibeat necesse est, qui ipse fateatur paginã illã sic clausam*

Testamẽti scriptiratio.

Testamentum quomodo signatur.

Testamẽti subscriptiones.

clausam inuolutam'ue testatoris scribere ignari impediti'ue iussu à se & conscriptam,& nomine eius in uberiorem fidem præsentibus testibus subscriptam. Singuli quoque testium suo quisque ordine subscribant,se præsentibus reliquis etiã testibus huic testationi interfuisse, eamq; tali anulo adeoq; ad mandatum testatoris signasse &c. Hac enim sola ratione fieri potest,ut testamentum à te conditum, perpetuetur,quæ passim habentur apud iuris Commentatores,in.l.singulos.ff.de testa.l.hac consultissima.C.eod.titul. Proinde testamentum,ut est laboriosum, ita periculis & naufragio haud difficile exponitur quoties uel iuris, uel solennitatum uinculis apparet destitutum,consultissimum feceris si clausulæ codicillaris (quam nonnulli ob id finalem uocant) in eo minus oblitus fueris, illa siquidem facit,ut testamentum legitima solennitate destitutum,modo Codicillis sufficiat,in codicillos resurgat, atque adhuc quales quales uires obtineat, uerbi gratia, testator VI. uel V. testes etiam non rogatos adhibuit, adiecitq; clausulam, Si hoc meum testamentum, non ualet iure testamenti, ualeat saltẽ uigore codicillorum, uel alterius cuiuslibet ultime uoluntatis. Certum est, testamentum hoc ob testium, qui VII. numero esse debent, proinde rogati, inter missam solennitatem minus constare, sed quia ad codicillorum rationem V. testes quamuis non rogentur satis sunt, & clausula ipsa adiuncta est, in codicillos uertitur, l.fina.C.de codicil. facit ut legata in eo relicta, debeãtur. infra de codicil. in prin. Præterea hæredis institutio in eo comprehẽsa, licet directa uideri possit, etiam deficiente elogio, labefieri, aut expirare, tamen in fidei

Clausulæ codicillaris vsus.

Clausulę codicillaris effectus

fideicommissum transmittatur, l. sceuola. ff. ad trebell. sic quandocunq; Titius ob testationis defectum intestatus decedit, succedentes ei ex intestato, hæreditatem scripto hæredi per fideicōmissum restituere, uirtute codicillaris clausulæ quam adiecit, rogati tacite uidentur, arg. l. eam quā. ff. de fideicom. l. ij. §. fina. ff. de iure codicill. l. testamento. C. de fideicom. & in auten. ex causa. C. de libe. præteritis. uidere est latius, inferius de codicillis.

His adde, septem esse quæ in testamentis desiderantur ordinandis, puta Procemium, *legata,* Institutiones *hæredum, substitutiones,* Voluntariam *testatoris prouidētiam,* Clausulam *codicillarem, &* Testes. Procemium *tale sit,* Quia *morte ipsa certius est nihil, hora uero eius omnium incertißima,* Titius *corpore & animo diuina gratia firmus, uel licet corpore infirmus, mente tamen sanus, & rerum & bonorum suorum præsenti testamento dispositione reliquit, & primo quidem &c.* De *legatis institučdis hæredibus, &* Subst*itutionibus post paulò, suis quæq; locis tractabimus.* — Partes testamenti. — Procemium.

Prouidentia *testatoris est, qua cauet ne falcidiam hæres detrahat, ne'ue rem aliquam hæreditariam alienet, ut pupillus tutorē habeat, atq; testamētū seruetur.* Testes *esse poßunt omnes qui nō iure prohibentur, usq; adeo nō prohibiti admitti uidentur.* Prohibētur *autem,* Mulier, Hermaphroditus, *impubes, mutus, surdus, furiosus, seruus, in potestate testantis cōstitutus, hæres scriptus, eiusq; frater, atque aliâs intestabiles, & aliquādo legatarij, de quibus paßim apud iurisconsultos uidere est, nobis indicaße fuerit satis.* Habes *perfunctorie quibus modis testa-* — Prouidentia testatoris. — Qui testes esse possunt.

menta ordinantur, quæ & occlusa & consignata ad mortem usque testatoris recondi debent, uiuo siquidem eo qui testatus est nisi expreßis uerbis id mãdauerit, neque aperiri neque exhiberi tabulæ debent. l. ij. §. si dubitetur. ff. quẽadmodũ test. ape. Mortuo autem testatore in hũc modum tabulæ aperiuntur: Si cuius interest, postulabit Prætorem ut tabulas testamenti exhibeat, aperiatq́;, & eo sacramento adfirmante nulla se id petere calumnia, l. eius qui. C. quemadm. test. aper. Prætor uocatis tabellione ubi eius fuerit copia, & testibus qui commode haberi poterũt, iubebit tabulas proferri atque exhiberi, & si testes adseruerint illã ipsam supremã defuncti uoluntatẽ eße, seq́; sigilla, & subscriptiones suas indubitato agnoscere, corám aperiri atque recitari, quo facto ĩperet tabellioni quem ad hoc uoluit adeße, tabulas ex omni parte describere, hæredibusq́;, & ijs quorum interest exhibere, quæ post, protocollum testamẽti seu originale (ut uocant) iterum consignari & deponi debet, quo si neceßum fuerit repetatur. Et huiusmodi tabulæ, quantũ ad testatoris uoluntatẽ adtinet, legis uicem habẽt, tantũ abest ut ab hæredibus conuelli debeant, iuxta auten. de nuptijs. §. disponat. omnia fusius sunt in l. testamẽta. §. publicari. C. de testamẽ. l. j. C. quemadm. test. aper. l. j. & l. ij. & l. cũ ab initio. ff. eod. tit. scribit Iulius Paulus receptarũ sententiarum lib. III I. tit. VI. & omniũ copiosißime Azo in sũma Rubricæ, quemadmo. test. aper. Sin autem testium aliqui absentes commode haberi non poterint, iudex honestißimos quosque uiros adcersere debet, quibus corã tabulæ aperiantur, rursumq́; ab ijs consignatæ eò ubi testes sunt

Testamẽtorũ tabulæ ut aperiuntur.

Protocollum testamenti recõdi debet.

stes sunt & signatores transmittantur, ut sic & subscri ptiones, & quibus consignarunt sigilla agnoscant, tabulæq; fidem adcipiant, l. sed si quis ex signatoribus. ff. quemadm. test. aper, & l. testamenti tab. C. eodem tit. Vbi non est prætermittendum hæredi siue sit institutus, substitutus, siue fideicõmißarius, quia in uniuersũ succedit, totum testamentum exhibendum esse, Legatario autem eam solum testamenti partem, quæ ut edatur, eius interest, Ita tamen ut principiũ tabularum, finis, institutio hæredis, & illud ipsius legatũ inserantur, in hũc ferme modum, Titius diuina gratia sanus mente, utcunque languidus corpore, rerum suarum, omniumq; bonorum dispositionẽ, præsentibus ijs tabulis confecit, Imprimis donãs pauperibus xx. libras, Sempronio congerroni suo x. aureos legati nomine reliquit. Prope calcem autem sic scribatur, In omnibus alijs bonis suis mobilibus & immobilibus iuribus & actionibus etiam futuris, Seium filium sibi hæredem instituit, & hanc supremam, sibi uolũtatẽ esse uoluit, quæ si minus iure testamenti ualeat, eam tamẽ iure Codicillorum, uel alterius cuiusque ultimæ uolũtatis dispositione robur habere uoluit.

Legatarijs pars testamenti datur.

Testamentum uero quod nuncupatiuũ atque ex iure ciuili profectum diximus, quia non ex scriptis, consignatisq; tabulis, sed magis ex testium relatu robur sortitur, aliã manifestandi, caussam habet. Nam prætor uel iudex solicitante aliquo post fata testatoris, cuius interest, testes ipsos, præterea eos qui ex testamento sibi sperant quicquam, legitime & pro tribunali uocatis, singulos testium prius uti leges uoluere, iureiurando addictos super

Testamentum nuncupatiuum quomodo aperitur.

defuncti ultima uoluntate interroget, et si in defuncti testatoris nomine, ætate, mētis atque animi sobrietate, præterea in legatis, legatarijs, hærede instituto, & alijs quæ testator disponendo uoluerit, iureq; ordinauerit, inuicem ex omni parte concordes unanimesq; dixerint, mox præsentibus ipsis quos interrogauit testibus, & ijs qui iuris aliquid sibi ex testamento fore persuasum habent atque etiā alijs VII. *testibus qui ut recitationi intersint uocati sunt, testamentum ut per testes relatum est, coram recitabit, & exinde plenā eius ipsius fidē fore pronūciabit, quæ omnia publicus ab instrumentis* Notarius, *ut cōtigerunt, pro officio cōscribet, adnotatis singulis* VII. *testiū qui ad testamēti huiusmodi recitationem adhibiti sūt nominibus, nihilq; aberit quin et hoc testationis genus stabile perpetuūq; sit mansurum. accepisti, iam ut semel et* Ἐπιλογικῶς *dicā, quare tabulæ sunt introductæ, earūq; ordinandarum rationem, & rursus apertionem, ne desyderare detur, quod ad hanc iuris partem adtinet.* *Cæterum qui uel nullam prorsus uel aliā à communi atque adeo solenni testatione, factionem habent, et si quid peculiare adnotandum superest, id cum* Iustiniano *ut quisque sese offert locus, explicabimus.*

Comitijs calatis.

Comitia calata.

HVnc locū Interpres, *ut Latinæ linguæ minus quàm susceptum enarrandi munus postulat, studiosus nō adtigit, quando Comitia calata secundum labeonē, ut* Lælius Felix *refert, sunt quæ pro collegio* Pontificum, *regis' ue sacrorum, aut flaminum inaugurandorum causa habebātur, à* καλέω, *id est, conuoco, eorum alia Curiata*

riata erant, que per Lictorem, alia Centuriata, quæ per Cornicinē cōnuocabantur, in quibus & sacrorum detestatio & tabularum feriis antiquitus conficiebatur, meminit Aul. Gell. lib. noctiū Atticarū XV. *cap.* XXVII. Et L. *Fenestella in de Magistratibus* Romanis. *Similiter et Calēdas* ἀπὸ τοῦ καλεῖν, *deriuāt in quibus minor apud urbem* Pontifex *noua conspecta luna plebem in Capitolium uocare solebat ad audiendum quot nam dies à Calēdis ipsis ad nonas superessent, oportebat enim nonarum die populares qui in agris atque ruri essent, in urbē confluere, accepturos à rege sacrorum causas feriarum, scituros´q;, quod eo mense esset faciundū, apud* Macrobium *libro* Saturnaliorum I. *cap.* XVII. Calendæ.

Accessit deinde &c.

TEstamentum per æs & libram, quid sit, plerique omnes interpretum iuris recentiores ignorant, tantum abest, ut explicare possint, nec ipse tanti locum facerem, utpote ex foro relegatum, exautoratum´q;, si non in reliquis & latinis autoribus interpretādis subinde usuueniret. *Fiebat hoc testamenti genus per familiæ emancipationem, hoc est per imaginariam quandam uenditionē, cui æs & libra adhibebatur, quam iuris solennitatē* Cicero *in Topicorum libro, Nexum adpellare uidetur, cuius meminit* Iustinianus *in l. unica. C. de usucap. transfor.* Eaq; *res ita agebatur. Adhibitis non minus* V. *testibus ciuibus* Romanis, *hoc est, liberis hominibus & puberibus. & præterea alio eiusdem conditionis uiro qui librā æneam tenebat, unde libripens uocatur. is qui mancipiū emebat æs tenens, ita dicebat*, Hunc ego hominem ex iure

Testamentum per æs & librā. Nexus. Libripens.

Quiritum meum eße aio,isq; mihi emptus esto hoc ære, æneaq; libra deinde ære libram perautiens,illud æs ei por rigebat,à quo mancipium adcepit,idq; pretij loco,& hoc est,quod testamentum per æs & librã uocant,magis in ueterũ libris comprehensum,quàm ut eius sit aliquis usus,scribit M.*Varro in* III.*de lingua latina.*Plinius *naturalis historiæ lib.*XXXIII.*cap.*III.Aul. Gelli. lib.XV.cap.XXVII.Boetius lib. III. Commentariorum quæ ad Topica Ciceronis conscripsit.*

Septẽ testibus,

QVod testes numero VII.*testamentis adhiberi constitutum est,in ea testamentorum ratione adcipitur,ubi copia literatulorũ haberi potest,ĩter rusticæ autem cõditionis homines eosq; illiteratos,quia rei agrariæ operam nauare,neque tantæ legum subtilitati addici solent,permißum est,ut suæ quiq; regionis consuetudinem pro condendis testamentis saluam habeant,neq; legũ in hoc rigori subijciãtur,quibus ubi* VII.*literati et qui scribere sciant,testes non inueniuntur,utique sine scriptura testari,uel alterum pro altero subscribere fas est,porrò si nec* VII.*haberi cõmode poterunt,tunc* V.*testes,neq; eis minus adhibeantur,& testamentum nihilominus robur obtinebit,iuxta ea quæ in l.fin.§.illis uero locis.C. de test. sanciuntur.*

Ad rustici testamentũ V.testes sufficiunt.

Sed & unum.

Testamentum quomodo pluries transsumi potest.

VNum *testamẽtum pluries transscribi fidem eius nõ labefactat,modo eiusdem tabellionis manu,qui protocollum seu originale cõfecit,id fiat,propter fidei synceritatẽ quam iura atq; leges in testamentis cõstituẽdis . constan*

cōstantissimā esse uoluere, cum in nulla ferme reipublicæ & comumnis societatis parte, oculatos nos magis, siue Argos ipsos esse oporteat, atq; in tabularū dispositione, eatenus rebus alienis quisq; insidiatur, quisq; tēdiculas ponit. Præterea Notarius qui protocollum testamēti cōfecit, licet exemplum eius ipse nō transumpserit, tamen si transsumptū ab archetypo ex cōfesso dicat. similiter autoritatemq; meretur, apud iureconsultos, in l. si quis ex argentarijs. §. prætor ait. ff. de eden. in rubris. C. de fide instru. & in l. unum testamentū. ff. de test. quæ ita se habēt tabelliōe & primo testamēti scriptore adhuc in uiuis existente, nā si mortuus humanis excesserit, potest quilibet ad hoc requisitus Tabellio, testamentū in quotquot testator uoluerit exēpla transsumere, apud iuris Pōtificij cōmētatores, in c. cum P. Tabellio. extra de fid. instr. Publicatæ uero tabulæ hac cura non egent, cū per quēuis tabellionē in quotcūq; placuerit, īstrumēta describi poterint. Præterea unū testamentū pluribus exēplis etiā originalibus (ut uocant) describitur, inter quæ si repugnātia inueniatur, nullū ualebit, apud īterpretes, in l. cū proponebatur. ff. de leg ij. & est in l. ubi repugnātia. ff. de reg. iur. gl. in l. scripturæ. C. de fide instr. Et hoc est quod præsēs locus docet, unū testamētū pluribus codicibus quē conficere posse, secundū obtinētē tamē obseruationē omnibus factis usqueadeo codices illos neq; per trāsuersum digitū inuicē dissidere oportet, nisi inutiliter testari uolueris.

TITVLVS XI

De testamento militari.


RMATAE militiæ homines, quia defensores nostri sunt, durissimisq; pro repub. laboribus strenui sese exponunt, uisũ est iurisconsultis sacratiss. à iuris scientia, eiusq; rigida obseruatione immunes esse debere, ut quos arma potius & militarẽ disciplinã scire conuenit, quàm leges ciuiles, l. scimus. C. de iure delib. l. ab hostibus. C de postli. re. l. j. C. de iuris & facti igno. & l. j. ff. de test. mil. Hinc est quod etiã illas in cõdẽdis testamẽtis solennitatũ angustias militibus cõdonamus, quorũ supremæ uolũtatis elogiũ, q͞d in acie faciũt, siue in charta, siue uagina, siue in puluere aut clypeo, ẽt sãguine scriptũ, aut absq; scriptis, quocũq; apparuerit modo, utiq; robur obtinet, neq; testiũ aliquod præsidiũ desiderat, sed ubi in tentorijs & non acie cõditur duobus modo, qui illam ipsam militis testantis uoluntatẽ eße dicant, confirmatur. l. j. & l. diuus. & l. lucius. ff. de test. mil. & l. milites. C. eod. tit. Præterea is qui in militia et armis meretur, hoc præ alijs mortalibus præiudicij habet, ut duobus cõstitutis testamentis pariter ualituris ex humanis migrare ualeat. per l. querebatur. ff. eod. tit. & l. ij. §. j. ff. de leg. iij.

Miles arma scire debet.

Ii testes pro militis. testamẽto

TITVLVS XII.

Quibus non est permissum facere testamentum.


N ratione testamentaria ante omnia quæritur, si is qui testamentũ fecit, eius habuerit factionem, post deinde, an secundũ iuris sãctiones sit constitutum, l. si quæramus. ff. de testa.

testa. Iustinianus tamen prius testamenta ordinare uoluit quàm tractaret de ijs, qui factionem eorum haberet. Forte ad docẽdi methodon magis facere arbitratus, si iuuẽtus, primo, quid esset testamẽtum, deinde eius ordinandi uim perciperet, tum uero quibus permissum sit illud facere, quod tunc facile cognoscemus, si ob oculos fuerit, quibus non est permissum testari, nam contrariorũ eãdem esse disciplinam etiam Philosophi tradunt, porrò quod prohibitum non est uidetur esse concessũ, l. praecipimus. in fi. C. de appel. Prohibentur autẽ testari filij familias, nisi uel in castris, uel bonis literis militarint, qui & ipsi super peculio castrensi uel quasi, testamentum facere permittuntur, etiam patre inuito, l. ij. ff. ad sena. cõsul. Macedoni. Item impubes, item furiosus qui nullum omnino resipiscentiae interstitium habet, aliâs eo tempore quo resipiscit utiq; testari potest, et tũc si legata negãtur oportet legatarium resipiscẽtiã tempore facti testamẽti probare. XIIII. q. iudices. si uero nõ palàm fuerit testatorẽ ante factũ testamentũ furia agitatum, & haeres legata esse, inficias iuerit, necessum est furiosum fuisse doceat, est tex. & glo. in cap. fi. extra de successionibus abintest.

Contrariorũ eadem disciplina

Filiusfamilias quando testari potest.

Testamentum furiosi.

Item prodigus cui interdictum est bonis, Sic qui natura surdi & muti sunt, adeo ut nec loqui nec audire poterunt, siquidem sermone & auditu ex accidenti ademptis si scribere docti tabulas sua manu tantum concipere permissum habent, & nõ per alium, nisi hoc à Principe Romano impetrarint, hoc idem potest & mutus tantum ex accidenti. Surdus uero siue natura siue casu, modo loqui possit, utique testatur, ut est in titu. nostro. §. item

Mutus & surdus quomodo testentur.

 surdus

surdus. proinde obsides qui pro captiuis populi Romani dantur. Item condẽnati, aut sententiam passi pro crimine famoso. Item dubij de statu suo sint'ne manumissi aut emancipati. Item damnati ad mortem, atq; in opus publicum & metallum, siue deportati, ut qui pœnæ serui sunt facti, & morte tolerabilius habent nihil. Item Serui, nisi sint adscriptitij, qui testari aliquando non prohibentur, l. si quis presbyter. C. de epis. & cle. Item Hæretici quorum bona confiscantur, ut nec etiam ad filios quidquam peruenire Diuus Federicus, in cõstitutione, hac edictali, sinat, tametsi l. manichæos. & l. cognouimus. C. de hæreticis. cum Auten. de nestorianis. huiusmodi filijs bona paterna adimat tãtum, est latius in. c. uergẽtis, atq; ibidem glos. extra de hæreticis. Præterea hæreticorum defensores, aut susceptores nisi intra annum ab eo tempore quo anathemate notati sunt ad ecclesiã Catholicã redierint, labemq; expurgarint, neq; testamentum facere, neq; ex eo quicquàm percipere ius Pontificiũ permittit, in c. excõmunicamus. §. credentes. extra de hæreticis. atq; ibi gloss. satis notabili. Item usurarij manifesti, nisi prius ablata restituerint, idoneam'ue cautionem de satisfaciẽdo præstiterint, c. quanquã. de usu. in VI. sed uel ab hoc iure hodie itum est, uel usuræ nulla amplius ratio habetur, aliâs quàm pauca fierent testamenta, compertum diu habuissent ij, quorum bona ex solis fermè legatis constantur, ijs præsertim quæ execrando fœnore prius constituerunt. Item perduelliones, & qui maiestatis rei sunt. l. pe. C. ad legem Iuliam maiesta. Item Monachi & religionem professi, in Auten. ingressi. C. de sacrosanc. eccle.

Seruus adscriptitius quando testatur.

Hæretici non faciunt testamẽtum.

Vsurarij.

Monachi ante professionem testantur.

prius

prius tamen religione quàm sint initiati, qđ' fecerũt testamentũ religionis initiatione nõ secus roboratur atq; morte, l. de uerbis. C. de epis. & cle. & c. quia ingredientibus. extra de testamen. Item captiuis testamenti factio interdicitur, quod si ante captiuitatem testatus sit, atque reuertatur iure postliminij, ualet, sin autem nõ reuertatur, sed apud hostem decesserit, lege Cornelia recipitur, ut paulò post in. §. eius qui. tractabimus. Postremo Caeci, siue natura, siue casu lumina sint adempta, licet eorũ habeantur numero quibus testamenti factio denegatur, tamen in uniuersum hoc se ita non habet, nam specialis eis & nuncupatiuus testãdi modus permittitur, in hũc modum, Caecus testari uolens, Notarium uocet, uel si eũ habere nõ queat, alium quempiã scriptorẽ, praeterea VII. testes legitimos & scribere scientes, coram quibus dicat se uelle testari, & statim nomina haeredũ, praenomina, dignitates, & officia, & in quãta haereditatis parte eos instituat, praeterea legata fideicommissa, et si quid amplius destinare uelit suo atq; proprio ore declaret, exprimatq́;, & Tabellionẽ coràm singula scribere requirat, scriptaq; iterũ recitari, etiã si ãtea scripta fuerint, quod similiter fieri potest: quibus ex ordine sic recitatis et praelectis caecus dicat hoc supremum uoluntatis suae elogium esse, eosq; ut huius rei testes sint roget, qui & testamentũ nõ tantum subscribere, sed etiã cum Tabellione uel proprijs uel alienis anulis aut sigillis signare debent. id quod in Codicillis quoq; caeci obseruari cõuenit, ceu notatur in l. hac consultissima. C. qui testa. fa. pos. reli ua ad hũc locum facientia singulatim explicabimus.

Captiui.

Testamentũ caeci quale,

uobis

Vobis non adquiruntur &c.

Aduenticia. Profecticia. Bona ĩ quibus parentibus nihil adquiritur.

Bonorum quæ parentibus non adquiruntur, partim sunt Aduenticia, quæ matris contemplatione obueniunt: partim Profecticia, utpote ex rebus paternis oblata, in quibus filijfamiliás nõnunquàm proprietatẽ dominium'ue, parentes uero utẽdi fruendi facultatem, quoad uixerint, sibi retinent, per l. quicquid. C. de bon. matern. Nonnunquàm parentibus nec usufructus quæritur, sed apud liberos cum dominio remanet, cuius Imperator hic monet, uti est in bonis quæ castrẽsia uel quasi diximus, l. cum oportet. §. exceptis. C. de bon. quæ libe. item in relictis hac conditione ne ad patrem usufructus perueniat. Item in quibus parens consortium hæreditatis pro portione habuit, præterea quãdo pater absq; caußis lege definitis matrimonium soluere præsumpserit, in Autẽ. excipitur. cum aliquot sequentibus. C. de bo. quæ lib. Itẽ ubi parentes usumfructũ remittunt, in citata l. cum oportet. §. sin autem. Item in hæreditate quam filiusfa. inuito patre adiuit, in l. fi. §. sin autẽ in secũda ætate. C. de bo. quæ lib. item si seruus filiofa. legetur eius utendi fruẽdi facultas patri nõ erit, seruitutis enim seruitus esse nõ debet, l. j. ff. de usufruc. lega. At qui in bonis quorum parẽtes usũfructũ nõ habent exceptis castrensibus uel quasi nihilo magis filijfamiliás, hoc est in patria potestate constituti testamentũ facere permittũtur, utcũq; parentes cõsenserint, quã in ijs quorũ usũfructũ nanciscuntur, nam hæredem instituere nõ possunt, q neq; ex alieno arbitrio perdere debet, neq; testamẽto abesse. apud iurecõsultos in l. seniũ. §. filiũ autem. & l. nemo ex lege. C. qui testa. fac. pos. &

Paul. de castro consi. 199.

pos. & l. illa institutio ff. de hæredi. insti. Fallit in *causis quas pias adpellamus, uti tractant Pontificij iuris commentatores in c. 1. §. licet. de testamen. & c. licet. de sepulturis. lib. VI.*

Impuberes.

ANte *pubertatem testamentũ facere nemo potest, ut hic, & l. si frater. C. qui testa. facere possunt* Puber*tatem autem nõ ex corporis inspectione, uti olim pẽsitamus, sed ex certis annorũ spatijs, sic in masculo* XIIII. *in fœmina* XII. *annus spectatur, nõ tamẽ adeo exacte ut id tẽporis quẽ omnino excessisse oporteat, sed sufficit quo ad testamenti factionẽ ultimũ anni pubertatis diẽ adtigisse, est textus satis locuples in l. qua ætate. ff. de testa.* Pubertas quando.

Eius qui &c.

IN *hostilem potestatẽ redactus, quia seruus est & alterius arbitrio subditus, testamentum facere non potest, sin uero ãte fuerit testatus, quàm ab hostibus caperetur, & aliquando reuersus, testamentum id iure postliminij ualet, quod fingit eum in seruitute non fuisse, sin autem postliminio non reuertatur. sed apud hostem in seruitute decesserit, nihilominus testamẽtum lege Cornelia robur habet, perinde atq; is qui fecit, in hostium potestatem nõ peruenisset, & hæreditas ex hoc ad unũquẽq; bonorũ capacẽ hæredẽ scriptũ pertinebit, in. l. lege cornelia. ff. de testa. & l. si quis. §. quatenus. ff. de iniusto rupto. & l. captum. C. de captiuis & postli. reuer.* Captiui testamentum quando valet. Lex Cornelia

TITVLVS XIII.
De exhæredatione liberorum.



ESTAMENTVM *in quo hæres non scribitur inutile eße iura uoluerunt, quapropter de hæredibus instituendis dispicere non minus operæpretium erat, quàm necessarium, sed cũ sint quos ratio naturalis ante omnes aut institui aut exhæredari psuasit, l. cum ratio. ff. de bonis damna. & l. scripto. ff. unde lib. l. maximum uitiũ. C. de lib. præte. & l. quoties. C. ad sena. orfi. uisum est cumprimis explicare quibus modis liberi exhæredes fieri poterũt. porrò antiquitus non æqua prorsus lance in potestate liberi constituti ad succeßionem uocabantur, sed uel p cõtratabulas, uel testamẽto inutiliter facto, aliter mares, aliter fœminæ, qua sublata differẽtia, recentiori iure sancitum est, ut quẽadmodũ mares & fœminæ pari iure ad parentum succeßionẽ ueniunt, ita ijsdem per testamenta modis uel instituantur uel exhæredes scribantur,*

Liberi hodie pari iure vocantur.

id quod in reliquis liberis, puta nepotibus, neptibus, & deinceps deorsum uersus descendentibus atque etiam in posthumis obseruare conuenit. iuxta l. maximum uitium. C. de lib præteritis. Debent autem liberi in potestate no-

Liberos nominatim exhæredandos.

stra constituti nominatim uel hæredes scribi, uel si caussa legitima subsit, exhæredari: per Auten. Non licet. C. de

Caussa exhæredationis per hæredem probanda est.

libe. præte. Neque *satis est caussam exhæredandi esse, nisi ea quoq; testamento inseratur, & ubi negata fuerit per hæredem scriptum mõstretur, doceaturq;.* Nam *si caußa non fuerit inserta, neque per hæredem ubi negetur, probata, nihil præiudicij exhæredato parit, sed haud secus ad succeßionẽparẽtũ admittitur, quàm si nihil tale esset factum.* Cui *rei sic prouisum est, ne uel liberi falsis accusationibus*

sationibus subiacere, uel aliquam paternorum bonorum interuersionem immerito pati cogantur. Porrò *causæ quibus liberi exhæredes fiunt, nouissimis* Autēticarū cō*stitutionibus fermè* XIIII.*enumerantur, quarū prima est, Si quis parentibus suis manus intulerit.* II. *Quando graui iniuria eos adficit.* III. *Si quis parentes suos criminaliter accusarit, preterquàm in lesa maiestate, cōmunis ciuitatis pace turbata, atq; hæreseos malo.* IIII. *Vbi cum maleficis & præstigiatoribus & similis farinæ hominibus, liberi conuersantur.* V. *Si quis ueneno aut alijs execrandis modis parenti insidiatur.* VI. *Quando nouercæ aut concubinæ patris sese turpiter immiscuerit.* VII. *Quoties parentes suos non sine graui dispendio liberi detulerint.* VIII. *Vbi mares liberi, parentes suos ob debita carcere inclusos, fideiussione quā creditores recipere uolunt, nō liberant.* IX. *Quādo cōuincitur quis parētes testari prohibuisse, iuxta. l.j.ff.si quis aliq.testa. irri.probi.& l.ij.C.eo.ti.* X. *Si arenarijs uel mimis inuito patre adsociatus deploratā uitā agat, nisi & pater huiusmodi farinæ homo sit.* XI. *Filia quæ turpē quæstū, uitæ'ue luxuriē, marito & doti à patre oblatis prætulerit, exheredari potest.* XII. *Si furiosis parentibus curā impertiri neglexerint, quo casu etiā iure exhæredes fiūt.* XIII. *Qua liberi, si parentes ab fidei hostibus captos, redimere nō satagunt, exhæredantur, succedētibus ecclesiæ pauperibus, ubi parentes in ea decesserint captiuitate* XIIII. *Si à Christiana orthodoxaq; fide ad hæresim defecerint, per fideles parētes exhæredantur*, Econtrario *sunt caussæ haud dissimiles, qbus liberi parētes suos prætereunt*

Caussæ exhæredandi liberos XIIII.

Caussæ exhæredandi parentes VIII.

tereũt exhæredes'ue scribunt, numero octo. Earũ prima *est, Vbi liberos suos criminis accusant, præterquàm in læsa maiestate.* II. *Quando ueneris malis, execrando carmine aut alijs pessimi exẽpli modis liberorũ uitæ sunt insidiati.* III. *si pater cũ nuru, filij'ue cõcubina cõsuetudinẽ habeat.* IIII. *Vbi liberos de ijs in quibus facultas fuerit testari inhibeant.* V. *Si uel maritus uxori, uel uxor marito insidias posuerit, filijs licẽtia est insidiãtẽ exhæredare.* VI. *Quãdo parẽtes furore percitũ filiũ legitime curare neglexerint.* VII. *Quando liberos ab fidei christianæ hostibus captos redimere nõ laborant, succedẽtibus pauperibus si in captiuitate decesserint.* VIII. *Parentes à fidei christianæ synœra pietate ad hæresim exorbitantes liberi exhæredes facere queunt. Certe, nisi ex numeratarum aliqua causarum si uel parentes liberos suos, uel liberi parentes testamento præterierint, exhæredarint'ue, testamentũ quidẽ nullã habebit uim, sed perinde atq; nullũ esset factũ abintestato successio datur, præter hoc quod legata, fideicommissa, libertates, tutoriæ dationes, & reliquæ dispositiones testamẽto ordinatæ adimpleri, & quibus relicta modis dari debent, non secus quam si testamẽtũ iuste cõstitutũ, nõ esset infirmatũ rescissum'ue, quæ omnia sed locupletius inuenire est in* Autẽtica, *ut cũ de appel. cognos. §. aliud quoq; cap. cum sequentibus nõnullis. colla. viij. & C. de inoffi. testa. plerisq; sed insigni bus legum constitutionibus.*

TITVLVS XIIII
De hæredibus instituendis.

Igitur

Testamentũ sine hærede inutile est.

Hæres unde.



GITVR *hæredũ institutionem totius testamenti fundamentum intelligimus, adeo inutile est illud testamenti genus, in quo nemo hæres inuenitur. Inferius de legatis. §. ante hæredis institutionẽ. & §. imprimis. de fideicõ. hæredi. in l. pe. ff. de ijs quæ in testa. del. l. 1. in prin. ff. de hæred. insti.* Porrò *hæredẽ instituere nihil aliud est quàm post mortẽ aliquẽ in bonis suis dominũ facere, quo fit ut hæredẽ ab hero, id est, domino nõnulli deriuatum uelint, arg. §. pro hæredum autem. Institu. de hæred. quali. & diffe.* Et *propter hoc quod ibidem adnotabimus, sicuti in intestatorum ratione aduertendum est,* Hæ*redum alios descendentes esse, alios ascendentes, alios transuersales, atque extraneos.* Eorum *qui testamento instituuntur prima ratio est descendentium, quibus non extantibus ascendentium, & demum transuersalium atque extraneorum, nisi caussam habeas ut illi qui deorsum, aut sursum uersus ueniunt exhæredentur, tunc enim extraneos, quorum numero etiam transuersales censemus institui conuenit, modo capaces sint rerum hæreditariarum, de quibus &* Iu*stinianus hoc titulo innuit.* In*stituuntur autem uel unus uel plures hæredes, idq́ modo in æquis, modo in non æquis rerum partibus, etiam sub conditione, prout testatori uidetur, quo similiter ex ascendentibus aut descendentibus aliquem, in parte aßis, & extraneum in reliquo bonorum uniuersalem hæredem relinquere potest.* Proinde Iu*lius* C*æsar apud* Suet. Tran*quillum nouißimo suo testamento tres instituit hæredes sororum nepotes,* C. O*ctauiũ ex dodrãte, &* L. Pi*nariũ,*

& Q. Pedium ex quadrante. Similiter Octauius Augustus hæredes instituit, Primos, Tiberium ex parte dimidia & sextante, Liuiam ex parte tertia: Secūdos, Drusum Tiberij filium ex triente.

Qui hæredes institui non possunt. Deportati. Dānati in metallum.

Neq; omnes in uniuersum hæredes scribere fas est, quando sunt quos iura prohibent, ut deportati in Insulā. l. j. C. de hæred. insti. Item in metallum dānati, peregrini siquidē sunt redditi. l. si in metallum. ff. de ijs qui pro non scrip. hab. Item hæretici. l. j. C. de hære. inst. Item Anabaptistæ & Apostatæ idolis addicti. l. hi qui. & l. manichæos. C. de apostatis. Item collegia seu potius conuenticula illicita cōgregātes, eò quòd neq; à Senatu neq; à Principe sint adprobata. l. collegiū. C. de hæredibus inst. Itē

Spurius hæres nō instituitur.

spuriū suum quis testamento hæredem facere non potest, neq; incestuosum, in Auten. quibus modis naturales effi. sui. §. si mulierem quoq; intra tempus luctus nubentem, leges hæredē fieri non sinunt, iuxta l. j. C. de secun. nupt. & Auten. de nupt. §. j. canones tamen non prohibent. c. pe. & c. fi. extra de secun. nuptijs. Quemadmodū & seruus accusatus de adulterio cum domina sua non instituitur. Postremo quisquis instituitur, certus esse debet, nam incerta persona habilis non habetur, exceptis inopibus atque ecclesiæ pauperibus quos scribi iura permittūt. l. quoties. ff. eo. ti.

Hæreditas plerunq; &c.

Asses unciales.

AS apud Romanos maioris nūmi genus erat, ex XII. uncijs conflatum, primo librale, dehinc Annibale urgēte, ubi rerum summa penes Fabium maximum dictatorem esset, ad unciam redactum, atq; Asses fiebant unciales.

ciales, apud Plinium libro xxxiij. cap. iij. Veteres itaque totum aliquod in parteis æquales diuisuri, totum quidem Assem, parteis uero uncias, hoc est, unitates dicebant, nam unciam ab uno deriuari, M. Varro in 1. de lingua latina autor est. Hinc tota hæreditas apud iureconsultum plerunque Aßis adpellatione continetur, & in XII. uncias seu parteis diuiditur, quæ ijs nominibus dicuntur. Sesquũx, quasi sesquũcia est, unciam cum dimidia, uel semuncia habens, nonnunquam sesquũcia adpellata, in. l. filium. ff. de legatis præstandis. & l. fi. §. cum etiam. C. de liberis præteritis. Sextans, quasi sexta aßis pars, habet uncias II. unde pondus sextantarium quo Asses primo bello Punico urgente neceßitate feriebantur, autore Plinio. Quadrans est quarta aßis portio, quod & triuncium dicimus quia uncias habet III. Triens tertia pars aßis, & sunt quatuor unciæ. Quincuns, V. uncias habet. Semißis, quam & selibram uocant, VI. uncias hoc est, dimidium aßis continet, & facit pro legitima, hoc est, debita hæreditatis portione agnoscenda. Nam, filij naturales & legitimi si IIII. uel minoris numeri sint, pro legitima naturæ portione trientem seu quadriuncium, hoc est, tertiam totius hæreditatis partem. si uero quinque aut plures, tunc semissem uel sexuncium, id est, dimidium bonorum habebunt. In autentica, de Triente & Semisse, collatio. III. & Autentica, nouißima. C. de inoffic. testam. Septunx unciæ sunt VII. Bes, habet VIII. uncias, forte eò quòd bis trientem facit. Vnde Seruius, duos trientes Bessem adpellat. Antiqui des, quasi dempto ex asse triẽte. Aliquando tamen Bes duas rei par

Vncia ab vno.

Assis ptes xij.

Sextantarius.

Semissis.

Legitima naturæ portio.

Bes.

tris facit in l. si uxor. C. de bonis auto. iudi. possi. Dodrās, aliâs Nonuncius IX. uncias habet, quasi dempto ex asse quadrante. Sextantem uncias X. uocamus, quasi sextās ipsi desit. Deunx uncias XI. significat, ceu dempta ex asse uncia. Iuue.

Vnciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem.

Proinde si As dupletur ut in uigintiquatuor partes diductus, id quod testator facere potest dipondium uel dupō-dium suffragātibus etiam Latinis autoribus adpellamus, nam duo adpenduntur Asses, nos partis aßis perfunctorie & quantum satis est, adolescentes pro constituendis testamentis cognouisse arbitramur: enimuero testatorem penes est, hunc in Triente, illum uero in Besse hæredem instituere, tu si exactius atq; ad stomachum rem consequi uelis, repete quæ scribunt, M. Varro, libro de lingua latina I. Volusius Mætianus de Asse & eius partibus, atq; ut semel omnia adprehēdas, Guilielmus Budæus, in de Asse.

Dupondium.

TITVLVS XV.

De substitutione uulgari

Omnis substitutio secundū hæredū gradū facit.



OST hæredum institutionem, non est absurdū de substitutionibus pauca referre, cū hæredibus ipsis plerunq; alij natura substituantur. Vnde secundum eam institutionis gradum dicimus, utcunq; in tertiam atq; deinceps sit diffusa, haud secus quàm secundas nuptias uocamus quotquot post primas obtigerunt.

Substitutio quid.

Est autem Substitutio nihil aliud quàm secundaria et condi

cõditionalis hæredũ institutio. Et cũprimis duas species habet, directam scilicet & obliquã. Substitutio obliqua, quam aliâs fideicommissariam dicimus, est qua scriptus hæres precatur hæreditatem alteri restituere per fideicommißum, hoc modo: Titius mihi hæres esto, & Titium hæredem meum rogo, atq; per fideicommißum obtestor, ut hæreditatem Seio restituat, uel quod usitatius est, Titius mihi hæres esto, & si Titius absq; liberis deo naturæq; cõcesserit, Substitutus ei Seius hæres esto. Vbi natura substitutionis est, ut Titius confirmato testatoris morte testamento, hæreditatem uti hæres adeat, & post Seio substituto restituat. Quod si spõte sua fecerit, potest quadrantem iure Trebelliano retinere, & reliquum dodrantem nonũciũq; substituto impune restituere, sin uero per Prætorem compulsus sit adire, nihil prorsus defalcat, sed totam hæreditatem restituit. Insti. de fideicom. hæredi. §. imprimis apud iurecon. Directa substitutio est, qua nihil hærede cooperante quis substituitur, & est partim uulgaris, partim pupillaris. Vulgaris substitutio (quam in præsentiarum explicamus) est quæ à quolibet & cuilibet fieri potest nihil habens speciale. argu. l. centurio. ff. de uulg. & pup. subst. sic adpellata, quod uulgo contingit, hoc est, testatore siue masculo, siue fœmina, parente uel extraneo, proinde in pupillum adultũ, maiorem'ue in patria potestate constitutũ, emancipatum uel extraneum confertur, his fermè uerbis: Titius mihi hæres esto, & si mihi Titius hæres non erit, uel esse non poterit, tunc Seius mihi hæres esto. Cuius uis est, ut tunc demum substitutus admittatur, quando hæres institutus uel noluerat, uel

Substitutio obliqua.

Hæres quando Trebelliană retinet.

Substitutio directa.

Vulgaris substitutio quid.

non poterat hæres esse. Alioqui hærede instituto, intra deliberandi tempus, quod est annale à morte testatoris, decedente, ius illud deliberandi ad suum hæredem, & non ad substitutum transmittit, ut qui hoc casu ab hæredis hærede moueri potest, apud iureconsultos, in.l.j.Bar.&c.ff.de uulg.& pupill.subst.l.cum proponas.C.de hæred.inst.et quadrat.l.pater.ff.eo.tit.&.l.j.C.de ijs qui ante apertas tab.cum.l.si quis filium.ff.de adquir.hære. Præterea si filiusfa.est institutus, & uel decesserit ante aditam hæreditatem, uel adire repudiarit, tunc pater, iure patriæ potestatis hæreditatem filio delatam adire potest, & substitutum mouere, tractatur in.l.iij.C.de hæredi.inst.&.l.si infanti.C.de iure delib. Et sic aduerte, Substitutionẽ uulgarem finire atq; expirare quamprimũ scriptus uel institutus hæres delatã sibi ex testõ hæreditatẽ adierit utcũq; postea decedat, in.l.post aditã.C.de impub.& al.subst.l. si mater.ff.de uulga.& pup.subst.&.l.cum test.ff.de hæred.inst.

Substitutio vulgaris finit.

TITVLVS XVI.

De pupillari substitutione.



Ecũda species substitutiõis directæ adpellatur pupillaris, ob id ĩtroducta, qđ liberis añ pubertatem testari nõ licet.l.q in potestate, &.l.qua ætate.ff.de test. et In stit.qbus non est pmissũ fac.test.in prin. et ne ĩtestati moriãtur, cũ legibus, tũ morib⁹ pmissũ est, ut parẽtes sub quorũ sũt potestate, eis etiã furiosis testamẽta faciãt, ac nõ mõ pupill. uerumetiã uulgariter substituãt uti, præter hoc qđ in præsentiarũ docetur, etiã est in l.j.&.l.moribus.ff.de uulga.& pup. quo fit ut Pupillaris substitutio filiale cẽseatur testamẽtũ, sic dicta, quia is

Substitutio pupillaris testamẽtum est filij.

substituitur post mortem testatoris, ut substitutio teneat, uere pupillus esse debet, hoc est, impubes & sub nullius alterius potestate.

Vnde substitutio pupillaris est, quã parẽtes liberis suis impuberibus faciũt, nempè ijs, quos habẽt in potestate. Ei ut sit locus, octo uidẽtur necessaria. Primũ est, Quod persona cui substituitur sit impubes, nã si pubes esset, liceret ipsi testamẽtum facere, neq; paterna indigeret factione in citata l. qua ætate. ff. de testa. l. uerbis. & l. in pup ff. eodẽ. Substitutio pupillaris quid.

II. oportet ut sit in potestate testatoris & uiuente eo, potestatem eius non exeat. l. de hæred. §. cum filiæ. ff. eo.

III. Quòd morte testatoris, sui efficiatur iuris, neq; in alterius recidat potestatẽ, in. l. ij. ff. eo. IIII. Necessũ est pater sibi ipsi testamẽtum faciat. in. l. j. & citata l. ij. uers. quisquis. ff. eo. atq; ut testamentũ illud sit solẽne, præsertim ubi extraneus est qui substituitur. Nã si ex liberis qs substituatur, satis est duobus uel tribus saltẽ testibus illud niti, iuxta constitutionem l. hac consul. §. ex imperfec. C. de testa. V. Vt ille cui fit substitutio, uel instituatur, uel hæres fiat, nam si prætereatur, testamẽtum esset nullum, in citata l. j. & l. ij. ff. eo. & l. j ff. de iniu. rup.

VI. Requiritur, quòd hæreditas patris testatoris sit adita, ut substitutio pupill. confirmetur, per communẽ Iureconsultorũ sententiã, in citata l. j. in fi ut & Bart. refert.

Quibus adde substitutionem pupillarem modo expressam dici, in qua pupillaris ætatis fit mentio: uerbi gratia, Pamphilus filius meus mihi hæres esto, quandoquidem si mihi ipse hæres non fuerit, atque in pupillari ætate decesserit, Sempronius hæres esto. Cuius Substitutio pupillaris expressa.

natura est quod Pamphilo impubere infra pupillare tempus defuncto, Sempronius non tantum in bonis testatoris sed etiam ipsius Pamphili, ut cui pater testator hæredem fecit, uel exclusa eius matre succedat; aut si & ipse priusquàm adierit hæreditatem post Pamphilū moriatur, ius illud hæreditatis in suos hæredes trāsmittat. Est in nostro tit. & l. cēturio. ff. eo. tit. l. precibus. ff. de impub. & alijs substi. l. papinianus. §. sed nec impuberis. ff. de inoffic. test. Modo tacitā dicimus, quæ fit præter hoc quod pupillaris ætatis habeatur mētio. Puta: Pāphilus filius meus mihi hæres esto, qui ubi hæres nō fuerit, Sempronius hæres esto. Cuius natura cū ea quæ est expressa nō multū distdet, nisi in hoc fermè, quod frater pupilli substitutus, etiā matrē & quālibet aliā ex intestato uenientē personā excludit. Sin autem extraneus sit qui substituitur, tūc mater substituto excluso, filio suo nō secus quàm si testamentum nō esset, succedit, l. fi. C. de inst. & subst. & l. precibus. ff. de impub. & alijs sub. Idem facit Auia pupilli, arg. eorū quæ notantur in l. nepotes, & l. ubi auiarum. C. de suis & legit hæ. in Auten. matri & auiæ. C. quando mul. tu. offi. fun. & in corpore Auten. ut liceat matri & auiæ in princ. & l. ij. ff. ad Tertul. Finit hæc substitutio pupillaris, si pupillus atque hæres pubertatis tempus adtigerit, quia testamenti factionem ipse habere iam incipit, nec opus amplius est testatiōe paterna, iuxta §. qua ratione. Deinde si hæreditas paterna non sit adita, cum ex hoc, tabulæ sint destitutæ, utpote nullum facientes hæredem. ff. eodem titulo. l. si plures. Tum per agnationem posthumi, cuius in tabulis non est habita mentio, ut cui non

Natura substitutionis pupillaris.

Substitutio pupilli tacita.

Finit substitutio pupillaris.

ſecus quàm ei qui natus eſt, ſubſtitui pupillariter poteſt, l. ſi pater. & l. ij. §. poſthumus. ff. de uulga. & pupilla. ſubſtitu. Præterea quoties teſtamentum paternum iure non ſubſiſtit, aut pupillus, uel ſubſtitutus inteſtabiles fiunt, rerumq; ex tabulis minus capaces, præſertim per capitis diminutionem, ſubſtitutio perit, l. nec ei. ff. de adoptionibus. l. ij. §. ſi is qui ff. eo. & l. ſi quæramus. ff. de teſta. Poſtremo euaneſcit ſubſtitutio quando pupillus ante patrem uel decedit, uel emãcipatur, in l. quod ſi filius. ff. de uulga. Et dicta l. cohæredi. ff. eo.

Poſthumo quoque ſubſtituit.

Præterea ſubſtitutionum directarum, alia eſt exemplaris, alia compendioſa, & alia breuiloqua.

Exemplaris ſubſtitutio eſt, quam parentes utriuſque etiam ſexus, liberis ſuis furioſis mente'ue captis, & pube ribus, ſiue in poteſtate ſiue extra eam conſtitutis, faciũt. Sic adpellata, quòd ſit ad exemplum atque imaginem pupillaris, nam uti pupillo impuberi, qui ipſe teſtari nõ poteſt, pater ſubſtituit, atq; de hærede futuro proſpicit, ita & furioſo parentes, etiam fœminæ, (niſi ſecundo nupſerint) ſubſtituunt, heredemq; impertiunt. ut eſt fuſiſſime in l. humanitatis. & ibi Cy. C. de impuberum & alijs ſub ſtitu. l. ex facto. ff. de uulga. & pupilla. Et hæc ſubſtitutio, ut iureconſultorum communior uult ſententia, etiã in mutis, ſurdis, & prodigis locum habet, cum eadem omnium ſit ratio, quare & idem ius. l. illud. ff. ad legem Aquil. & l. gallus. §. & quid ſi tantum. ff. de lib. & poſthu. & l. j. C. de cura. furioſ.

Subſtitutio exemplaris.

Proinde in exemplari ſubſtitutione certarum perſonarum ratio habenda eſt, nam furioſus mente captus aut

similes, si liberos habeant, primo ueniunt substituẽdi. Sin autẽ nulli supersint liberi, sed fratres aliqui, illi substituũtur, neque uero liberis, neq; fratribus superstitibus, tunc quenq; substitutum fieri fas est, quæ & una caussarũ est, quibus exemplaris ab ea distat quam pupillarẽ diximus.

Furiosis q substituuntur.

Compendiosam substitutionẽ uocant, quæ à quolibet testatore & cuilibet hæredi fieri potest, Sic forte adpellata quod per uerbum, Quandocunq; plura includens, quasi sub cõpendio fieri solet, in hũc modũ, Titius mihi hæres esto. Quandocunq; autem Titius mihi hæres nõ erit, uel sine liberis decæsserit, Seius hæres esto, & fideicõmissi naturã habet eã, quia in frequẽtissimo est usu plenius cognosces apud Cõmentatores iuris ciuilis, in l. legaui. ff. de lib. leg. & in citata l. precibus. C. de imp. & alijs sub. Breuiloqua substitutio, quã & reciprocã uocant, est, qua non minus extraneis quàm liberis siue sint puberes, siue impuberes substitui potest. Breuiloqua fermè existimata qd' breuibus uerbis quatuor substitutionum genera cõprehẽdit, puta duas pupillares expressas, & duas uulgares itidem expressas: uerbi gratia, Pãphilus & Carinus filij mei impuberes, uel Pãphilus & Carinus hæres mihi sunto, atque illi ipsi sibi inuicẽ substituti sunto, quo casu, si Pãphilus hæres fuerit, & in pupillaribus annis decæsserit, Carinus superstes directo iure succedet, atque è regione. Et utrinq; excludũtur, mater, & reliqui abintestato uenientes, ratione pupillaris expressæ, quare & reciprocã dicimus, nã ab utraq; hæredũ parte reuoluitur, atq; in seipsã redit, quæ latius habentur in l. lucius. ff. eo. l. in testamẽto. C. de testa. mili. & l. quamuis, C. de impub. & alijs substi.

Substitutio cõpendiosa.

Substitutio breuiloqua.

Reciproca substitutio.

Titulus

TITVLVS XVII.
Quibus modis testamenta infirmentur.

TESTAMENTORVM *tabulas iam & constitutas, & hæredibus suis fundatas habes, quandoquidem nihil tam firmum adeoq; elaboratum esse potest, quod humana industria impetitum aliquando conuelli non queat, non abs re uisum est, quibus testamenta infirmentur, ob oculos ponere, duplici caussa, prima est, quo cautior reddatur is, qui tabulas facit, ne impingat: altera ut præsentem habeat occasionem si quis contra tabulas pugnandi ius sibi esse putat, cuius & Fab. Quintilianus monet in v. Institutionum libro, ubi de tabulis, & quæ contra tabulas, differit. Infirmatur autem testamentum autore Papiniano trifariam, Primo si legitimis non sit factum modis, quod fit ubi testator inhabilis est, hæredē'ue instituit uel nullum, uel minus capacem. Præterea quando hæres in potestate constitutus, non scribitur, neq; exhæredatur, sed præteritus est, quod genus tabularū iniustum proprie dicimus, puta iure minus conditum, tum si facto testamento suus quispiam agnoscatur hæres, siue is per adoptionem, siue posthumi natiuitatem contingat, aut posterius & iure factum adpareat testamentum, quibus prius rumpitur, & quod obiter aduerte, posthumum Iureconsultus adpellat, qui post humatum patrem, hoc est defunctum, nascitur, atq; in lucem editur. l. iij. §. j. ff. de iniust. rup. & ir. fa. testa. quemadmodum & apud Plau. in Aulularia eius est usus. Tametsi Cesellius Vindex posthumum eū esse uelit,*

Testamentum infirmatur.

Testamentum iniustum.

Testamentum ruptum.

Posthumus.

qui poste

qui posteriori loco sit natus, innitens Vergiliano carmini in vj. Aeneid. libro scripto: Syluius Albanũ nomen tua posthuma proles. quod tamen præter historiarum fidem opinatur. Nam Syluium post Aeneæ mortem editum pleriq; omnes historicorum scribunt. Vide Aulum Gellium lib. noctiũ ij. c. xvj. Postremo testatore capite diminuto, præsertim ubi ciuitatem libertatem'ue perdit, aut sententiam passus pœnæ seruus efficitur, testamẽtum conditum irritatur, unde facile est cognoscere quæ sit differentia inter testamentum iniustum, ruptum, & irritũ, id quod & magnus ille titulus. ff. de iniusto, rupto, & irrito facto testamento. liquidum indicat, maxime. l. j. & l. si quis filio. §. irritum. Licet promiscuis etiam uocibus tabulæ modo rumpi, modo irritari dicantur, quando commodius tamen foret singulas caussas singulis adpellationibus distingui. l. labeo. §. idem Tubero. ff. de supellectile lega. & est in. §. nostro. Alio quoque modo, usqueadeo Quintilianus iureconsultis summum circa uerborum proprietatem laborẽ esse, in v. Institutionum oratoriarum libro, cap. xiij. scriptum reliquit.

Testamentum irritum.

Posteriori uero testamento &c.

Diximus posteriori testamento primum rumpi, maxime si ob id sit conditum, ut primum conuellat, hoc est, si clausulam derogatoriam habeat, fieri tamen potest quod etiam absque clausula illa derogatoria seu reuocatoria rumpatur, cum nemo, præter militarem hominem, relictis post se duabus tabulis æque ualituris, ex uiuis migrare possit. l. querebatur. ff. de testamento militari. & l. ij. §. j. ff. de legatis. iij. Et uoluntas testatoris

plerunq;

plerunq; magis inspicienda est quàm uerba.l.cum unum. C.de fideicōmiss.& l.pœnale.§.fi.ff.ad legem Falcidiā. Ambulatoria quoq; habetur defuncti uoluntas ad extremum usq; uitæ finem, atq; uaria. l.iiij.§.fi.ff.de aliment. legatis. & illa est obseruanda quæ ultima habetur.l.j.C. de sacrosan.eccle.Quare,ad præsentem locum quod adtinet,si duæ testamentorum tabulæ nō minus iure quàm solennitatibus,diuersis tamen temporum interuallis concinnatæ,proferantur,tunc absq; omni controuersia,quod posterius est rumpit primum,siue adsit clausula illa, quam reuocatoriam diximus,siue non,catenus primū testamentum etiam uolente testatore non constat,ut legibus scriptis aduersum, prohibentibus duas aliquem tabulas post se relinquere posse.l.ij.ff.de iniusto,rup.& irri.l.si iure. ff.de lega.iij.& l.uolumus.C. de testamentis.in.l. nemo. & l.codicillis.ff.de lega.ij.Sin autem non adpareat utra ex ijs tabulis sic iure cōditis tempore sit prior,uel posterior,tunc conditio relictam testatoris hæreditatem poßidentis potior esto, idq; commodo posseßionis, apud iureconsultos in.l.cum proponatis.C.de codicillis.l.j.C.de edicto D. Hadriani toll.l.j.§.j.ff.de bo.poss.secundum tabul. l.si ob turpem caussam. ff. de condict.ob tur. causs.l.siue poßidetis.C.de proba.& l.res poßidens alienas.C.de rei uendica.Porrò testamentum perfectum, & ut debet elaboratum per aliud quod minus solenne est non labefieri iuris est manifesti.

Vltima uoluntas seruanda.

Vbi nō cōstat utrum testamētū sit posterius.

Fallit ubi in priori scribuntur hæredes extranei, & qui ex intestato hæreditatem defuncti non essent subituri, in posteriori autem illi instituūtur,qui alioqui intestato

Testamentum imperfectū,quādo rumpit perfectum.

ut proxi

ut proximiores succederent, eo siquidē casu posterior tabularum dispositio licet minus solennis non uigore alicuius testamenti, sed uti uoluntas defuncti suprema, praesertim V. testium legitimorum munimento roborata, testamento antefertur, illudq; ruptum peßundat, uidere est in l. hac consultißima. §. si quis. C. de testamentis. & l. ij. ff. de iniusto rupt. & irri. fact. testa. Proinde ad §. sed & si quis. huius tituli, quod facit, secundum testamentum alioqui perfectum, haeredem licet habeat in certa atq; nominata re institutum, primum, cui haeres est uniuersalis, haud dißimiliter rumpit, est etiam in l. si quis priori facto testamento. ff. ad Sena. Trebellianum. quādo haeres quispiā in certa re bonorum'ue parte scriptus cohaeredem nō habens, perinde est ac si in uniuersum esset haeres relictus, per l. j. §. si ex fundo. l. ex facto. ff. de haeredib. inst. & l. coheraed. §. fi. ff. de uulgari & pupill. subst. Ius nostrum siquidem non patitur eundē in paganis ex parte testatum & ex parte intestatum deceßisse, sed caussa testati, debet ad se trahere intestati quoq; caussam, Insti. de haeredi. inst. §. non autem. & l. haereditas ex die. ff. eod. titu. aliàs enim cohaerede dato, siue fuerit simplex, siue uniuersalis, siue in nominata haereditatis parte scriptus, tunc is qui in certa re, puta agro, uel prato datus est, pro legatario cēsetur, est sancitū, in l. quoties. C. de haeredibus inst. Sin aūt testator primū quoq; testamentū hoc casu obtinere uoluerit, idq; in secūdis & quas ultimo condidit tabulis, iußit, tunc sicut Diui Seuerus & Antoninus rescripsere, in certa re scriptus haeres per fideicōmißum ijs haereditatē restituere debet, q̄ priori instituūtur testamēto.

Haeres in parte nō habēs cohęredē intelligit uniuersalis.

Haeres in certa re quando pro legatario habēdus.

Titulus

TITVLVS XVIII.
De inofficioso testamento.


ESTAMENTVM quoq; ut inofficiosum impugnari atq; rescindi potest. dicitur autē testamentū inofficiosum, ut scribunt Martia.in.l.ij.ff.eo.tit. & Iulius Paulus receptarū sentē.lib.IIII.id quod ex officio pietatis munus uidetur esse conscriptū, sic enim officiū inter alia, significat pietatē illā quā sanguini nobis & necessitati cōiunctis natura debemus cuius si quando parentes obliti, liberos suos sine caussa aut exhaeredes testamento faciunt, aut tacite & nulla eorum facta mentione praetereunt, Inofficiosum proprie dicimus hoc est, non ex pietatis officio scriptum testamētum, in quod liberis datur querela: Cum ratio naturalis ueluti lex quaedam tacita, liberis parētum suorū haereditatem adiecerit ad debitam eos successionem uocādo.l.cum ratio.ff.de bonis dānato.& l.scripto.ff.unde liberi. Vbi interim aduertas, non modo Iureconsultum in l.non est sine liberis.ff. de uer.significa. uerumetiam oratores atque Latinae Historiae commētatores etiam unum filium, filiam'ue, nepotem, neptem'ue, liberos multitudinis numero adpellitare. Sic Sēpronius Asellio, (ut Gellius in.II.lib.cap.XVIII. refert) de Tiberio Gracccho, Trib.pleb.scribit in haec uerba: Orare coepit ut se defenderent, liberosq; suos, eū quē uirilis sexus, tum eo tempore habebat, produci iussit, populoq; commendauit prope flens. Testamentum uti inofficiosum dicere atq; impugnare possūt, Primo oēs liberi etiam

Testamentum inofficiosum.

Liberi etiam unum filium denotat.

Liberi dicunt testamētū inofficiosum.

etiam posthumi, quoniam & ipsi liberorum nomine continentur, testamento uel contra officium exhæredati uel

Liberi dicũt testamẽtum inofficiosum.

præteriti. l. inofficiosum. & l. posthumus. ff. de inoffi. testa. atque in plerisq; alijs iuris locis. II. *Parentes hoc est sursum uersus ascendentes gradu proximiores, & ex intestato successuri si à liberis exhæredes fiant, aut tacite prætereantur de inofficioso disputare possunt. l. 1. ff. eod.*

Parẽtes quoq; querelã habẽt.

sunt tamen qui hoc casu, iure magis nullum esse uolunt testamentum quàm ex officio non constitutum, argu. Auten. ut cum de adpell. cognos. §. sancimus itaq; non licere liberis. Enimuero *parentibus quamuis hæreditas liberorum nõ debetur, propter naturalẽ illam pietatẽ qua liberis nostris benefacere iubemur & munifici erga ipsos esse, tamen regratiationem liberos in parentes suos facere pietas aut dissimilis atq; officium docet, si turbatus mortalitatis ordo fuerit, sic quod liberi antequàm parentes sine hæredibus descendentibus & proximioribus decedant, non minus parentibus quoque ipsis hæreditas pari pietatis obsequio relinqui debet, quod etiam fieri conuenit ubi filij excluduntur, quia parentibus locus est, iuxta l. pater filium. & l. nam & si. ff. eo. cuius exemplũ quoq; est apud Valerium Maximũ memorabilium lib.* VII. *de*

Fratres & sorores quãdo querelam habeãt.

Terentio patre exhæredato. III. *Querelam inofficiosi testamenti fratres & sorores inuicem sibi uendicant, si uel ex utroque parente uel ex altero tantum patre sint geniti, & hoc turpibus personis institutis, nisi & frater turpis sit conditionis, similemq; ad similem Deus perduxerit, monente prouerbio. l. in arena. C. eod. titu. ubi animaduertendum, ad querelam uterinos tantum fratres hoc est*

Vterini fratres nõ habẽt querelam.

hoc est, qui eãdem matrem sed diuersos patres habuerint non admitti, argu. l. fratris. & l. fratres. C. de inoffic. testa. l. j. & l. posthumus. ff. eodem tit. & in autent. de hæredi. abintest. uenientibus. §. nullam. Neque eos qui extra nuptias, & naturales utcunque ex uno patre nati sunt, ut qui consanguinitatis iura non habent, infra, de se natusconf. orficiano. §. nouißime. & l. spurius. ff. unde cognati. Proinde fratrum filij ad querelam inofficiosi aditum non habent, licet testamento per defuncti fratrem rupto, simul ad succeßionem ueniant intestatorum, per autentiam, de hæredib. abintest. uenientibus. §. reliquum. & autent. ut fratrum filij. §. j. collat. ix. Et ne quis inofficiosi testamenti querelis nullum penitus modum præstitui existimet, iure sancitum est, hæredem scriptum intra semestre spatium (modo in eadem sit prouincia) aut intra annum, si extra prouinciam fuerit, à morte testatoris, adire uel repudiare hæreditatem debere: atqui ad actionem querelæ instituendam quinquennium præsertim post aditam illam hæreditatem est concessum, filio autẽ defuncto priusquam adita sit hæreditas, actio'ue querelæ, aut instituta aut finita tunc querelam ad posteritatem, suosq; hæredes, ad extraneos uero præparatam tantum litem transmittit, quæ res ut est frequens, ita minus prætereunda, quæ cognosces in l. si quis filium. & l. scimus. §. illud præterea. & l. si pater. C. eo. & l. quemadmodum. ff. eod. tit. Nec est quod testamento per querelam pessundato, legata in eo consistant, sed æque cadunt, argu. l. cùm principale. ff. de regu. iuris.

Naturales fratres non habẽt querelam.

Fratrum filij non queruntur de testamento.

Ad querelam quinquẽnium datur.

r Igitur

Igitur quartam &c.

Porrò ut angustias & plerasq; in hac re ambiguitates deuitemus, filio, parente'ue exhæredato si scriptus hæres expressam exhæredationis caussam atque ab exhæredato negatam legitimis docuerit modis, testamentum alioqui absolutum, inexpugnatum manet, id uero in quo filius parens'ue exhæres fit, caussa non inserta, uel præteritur, quod fit, ubi neq; instituitur, neque exhæredatur, sed omittitur tantũ, non opus est aliqua disputatione, sed iure ipso est nullum, per auten. non licet. & autent. ex caussa. C. de liberis præter. Sin ingratitudinem illam, & exhæredandi caussam hæres probare non queat, aut filius parens'ue immerito prætereatur, testamentum ob motam querelam ut inofficiosum, & secundũ pietatem minus cõscriptum, per Prætorem rescinditur. Præterea hæc querela ut cesset, opus est hæredem certam aliquam rem, uel hæreditatis partem (quo casu ad supplementum agere potest) uel legitimã ipsam bonorumq; debitum testamẽto recepisse subsidiũ. Est autem legitima, portio hæreditatis iure naturali liberis debita, sic appellata, quòd secundum naturæ leges alimentorum uicæ subrogatur, eam sacratissimus legislator Minusculam uocat, in l. si quis in suo. C. de inoffi. test. Et licet recenti Codicis iure quarta bonorũ pars in legitimam sit computata, nouißimis tamen autenticorũ constitutionibus, hoc obseruatur pacto. Si IIII. sint liberi uel pauciores ex bonis defuncti triens uel quadrium cium, id est, tertia pars: si uero V. sint aut numero plures tunc semis, quod est bonorũ dimidium in legitimã portionem debetur, ex æquo inter eos qui capaces sunt facta diuisione,

Querela quando sopitur.

Legitima.

Legitima quota portio.

uisione.in autent.de triente & semisse.§.hæc nos. collat. iij.& in auten.nouißima.C.de inoffic.test.quam non solum liberis & parentibus dari cõuenit iure institutiõis, puta titulo honorabiliori & absque omni grauamine, au ten.ut cum de appell.cognosc.§.aliud quoq;.colla.viij.& l.filium.§. sed portio.ff.de leg. præst.uerum etiam ijs qui à latere coniuncti sunt transuersales, fratribus puta & sororibus, præ quibus turpis conditionis personæ sunt institutæ, per auten.de hæred. & falcidia.cum similibus legum constitutionibus.

Fratribus quando legitima debetur.

TITVLVS XIX.

De hæredum qualitate,& differentia.



VALITATEM *etiam Fabius Quintilianus cuiusque rei naturã adpellat, et hæredes, qa natura qualitateq; differũt, id quomodo fiat operæpretium est aduertisse. Cũ primis eorum qui ex intestato successionem adipiscuntur, Alij sunt Descẽdentes, alij Ascẽdentes, & postremi à latere cõiuncti. Ad præsentem uero locum quod facit, Hæredum partim sunt necessarij, partim sui & necessarij, & partim extranei. Necessarios hæredes dicimus seruos testamento institutos, qui ob manumißionis commodum, statim ubi testator in cuius potestate sunt defunctus est, & liberi & necessarij hæredes fiunt, & uelint, nolint, hæreditatem etiam suspectam adire coguntur. Quod hæredum genus ob egestatem hominum atque eos qui soluendo non sunt per Legem Aeliam Sentiam introductum uidetur. Prospicien*

Necessarij hæredes.

dum siquidem erat ut ij, quibus alius hæres futurus non esset, uel seruum suum, necessarium haberem hæredem, qui aut creditorbus satisfaceret, aut eo id non faciente, creditores res hæreditarias serui, hoc est, hæredis nomine uenderent, quo defunctus ab iniuria creditorum per hæredem etiam seruum defensus maneret, insti. quibus ex caußis manu. non licet. §. licet autem domino. & l. ei qui soluendo non est ff. de hæred. institu. l. j. C. de necessa. ser. hæredib. instit. Huiusmodi tamen necesitas & modum inuenit. nam seruus fideicommissariam adeptus libertatē testamento, necessarius hæres non fit. Idem probandum quoq; erit in eo quem testator hac lege emerat, uti manu mitteretur. Præterea qui propria sua data pecunia redemptus est, necessarius non fit hæres. libertatem enim à testatore exigere potuit. l. si seruo. ff. de hæredib. instit. & l. is qui. ff. de manumiß. & l. si ea lege. C. si mancipium ita fuerit alienatū. Sui & necessarij hæredes liberi sūt in potestate testatoris existentes. Sui, quia domestici & uiuo testatore eius bonorum quodammodo domini, & pars patris habentur: Necessarij, quia ut serui etiam inuiti hæreditatem adire coguntur de iure ciuili, licet de iure prætorio abstinere poßint. Extranei autem sunt, qui non habentur sub iure testatoris, quales sunt liberi emancipati, & ij quos fœminæ aut matres instituunt, ut quæ liberos in potestate non habent, prout in antiquißimo xuirali iure cautum est, & ī nostro titulo nō semel habetur, pro inde ad latus uersum coniuncti non secus quàm alij nihil adtinentes extraneorum numero censentur.

Seruus ut necessarius nō fit hæres

Sui & necessarij hæredes.

Extranei hæredes.

Rursus, hæredum quidā sunt testamentarij quotquot testamento

testamento scribuntur. Quidam legitimi abintestato uenientes, ij fideicommissarij, alij autẽ substituti, de quibus suis locis tractabimus. Delata autem ex testamento hæreditas ob magnũ æs alienum, quandoq; damnosa esse solet. ne igitur quispiã pro testatoris arbitrio rerum suarum iacturam facere cogatur, et sic aurum tholosanũ ex testamento ferre, deliberationis beneficium introductum est, quo scriptus hæres lente (ut in prouerbio est) festinãdo, pensitet, consultius'ne sit, hæreditatẽ sibi delatam adire, an ut plus negocij & minus commodi habẽtem repudiare, id quod trium spatio mẽsium faciat (nam id temporis ad deliberandum legibus præstituitur, ab ea maxime die qua se hæredem scriptum rescire cœpit) necesse est. Licet suus atq; necessarius Prætore cõcedẽte abstinere possit, quod si neq; recusare neq; ἀνίπτοις ποσὶν ἀναβαίνειν, hoc est, illotis (quod aiũt) pedibus, adire uelit, hoc tandẽ præsidio iacturam effugere poterit.

Deliberandi beneficium.

Super ijs rebus quas defunctus post se reliquit Inuentarium intra XXX. dies postquam tabulæ sunt apertæ, uel delatam sibi hæreditatẽ cognouit, legitime facere incipiat atq; intra alios LX. dies, id est, trium mensiũ intercapedine modis omnibus absoluat, perficiatq;. Hæreditate autẽ uel maxima eius parte eo locorum non existente ubi hæres est, ad inuentariũ inchoandũ IIII. mensium, ad explendũ uero integri anni spatiũ obtinet. Et quicunq; hoc inuentarij beneficio non sit abusus siue is ex tabulis, siue ab intestato succedat, hæreditatem absq; omni periculo tutus subire potest, nam legis falcidiæ usum aduersum legatarios habet, & creditoribus hæreditarijs catenus tenetur, qua

Inuentariũ quãdo fieri debet.

Inuentarij commoda.

tenus hæreditatis uires sese extendunt, satisfaciendo illis qui primo exegerint, creditoribus. Sin uero huiusmodi inuentario et iuris beneficio neglecto, hæres delatam sibi hæreditatem uel adijt, uel imprudens cōtigit, si extraneus est, non modo ad debita hæreditaria, uerumetiā ad legata in solidum atque ex integro tenetur, nulla gauisurus falcidia, licet Trebellianicam retinere queat, cum lex tantum ipsum ex bonis hæreditarijs abstinuisse existimet, ut etiam debitis sufficere poterit. Quòd si filius est qui īstituitur, neq; inuentarium fecit, creditoribus quidem in solidum tenetur, sed legitimā legatis detrahit, quæ omnia copiosissime habentur atq; ad stomachum, in.l. scimus.§. similiter. & §. sin autem dubius. & §. & si præfatam. & §. sin uero postquàm. C. de iure delib. & in auten. de hæredib. & falcidia.§. si uero non fecerit. collat. j.

TITVLVS XX.

De legatis.

Legatū quid.



LEGATVM (inquit Iustinianus) Est donatio quædam à defuncto relicta, sed ab hærede præstanda, ab hærede siquidem debetur adita post mortem testatoris hæreditate, ut est in.l. si tibi.§. cum seruus. ff. de lega. Legare potest testamento uel codicillis, is qui & testatur. l. ij. ff. de lega. j. reliqua ad naturam legatorum spectantia post hunc tractatum in Pandectarū libris uidere est. Cæterum antiquitas legatorum autus Imperator quoq; meminit solum, in hunc modum se habet. Legatum per uendicationem legatarius post mortem testatoris non etiam spectato hærede

Per uendicationem legatum.

statim

statim sibi aut præsumebat, aut defunctus ad hæredē eius transmittebat, & his fiebat uerbis, Stichum seruum tibi do, lego, uel illam rem tibi præsume, habe, uendica. Per *damnationem legatum ista uerborum solennitate dimittebatur, Tu hæres meus illi hoc da, uel, illud illi ab hærede meo dari iubeo. Et sic res etiam aliena legari poterat, aut hæres damnari ut domum alicui extruat, suffulciat'ue uel ære alieno quem liberet. Sinendi modo rem legatam licet hæres non iubebatur legatario tradere, uendicantē tamen prohibere non permittebatur, quo modo tam res corporales, quàm quæ in iure consistunt, legabantur, his quidem uerbis, Ille hæres, rem illam illum permitte præsumere, & sibi eam habere.* Per damnationem legatum. Sinendi modo legatum.

Per *præceptionem uni uel pluribus ex hæredibus aliquando præcipuū, utputa numi, & id genus: res, ex hæreditate relinquebatur, id quod officio iudicis familiæ erciscūdæ, à cohæredibus præstare iubebatur, apud Caium Institutionū iuris ciuilis libro ij. & Iuliū Paulū receptarum sententiarū libro iiij. quod cognouisse ad interpretationem iuris solū facere potest, cum hodie omnia legatorum genera ad unum sint redacta, ubiubi frequentatum.* Per præceptionem legatum.

Si cui fundus &c.

IN *fundi significatione uariant nonnihil iureconsulti. Florentinus fundi adpellatione omne ædificium omnemq; agrum contineri ait, licet urbana ædificia, ædes rustica uillæ dicantur. Locus uero sine ædificio in urbe, Area: ruri autem, ager adpellatur: præter hoc, quod ager etiam cum ædificio fundus dicitur. Domitius uero Vlpianus, fundum integrum aliquod, & plerunque sine* Fundus. Area. Ager.

uilla accipit, à quo nõ multum dißidet Mõdestinus iure-consultus, sic inquiens: Fundus est, quicquid solo contine-tur, ad similitudinẽ fundi uasorum, Autore Põpeio. Ager uero (quem ἀπὸ τοῦ ἀγροῦ) id est, à rure nonnullis dici Fabius scribit, species fundi est qui ad usum hominis com paratur, iuxta l. ager. & l. quæstio. & l. locus. & l. fun-di. ff. de uerb. signific. quæ satis argumenti sunt quàm sit Valla dece-ptus. *Laurentius Valla in hac re deceptus, ut qui fundum mi-nus quiddam esse putat quàm agrum, & singula prata singulas uineas fundos tantum dici atq; agro contineri, cum potius ager fundo comprehendatur.*

Cæterum ad locum quod pertinet, res aliena quoties legatur (id quod fieri potest per testatorẽ qui non igno-rat rem alterius esse) hæres si eam redimere non potest, æstimationem eius dare legatario cogitur, etiam si legata rius eam rem uiuo testatore coëmerit, nam pretium rei quod in æstimationem cedit, legatum intelligitur, unde si cui fundus alienus legatus sit, quem deducto usufructu, & dum testator in uiuis esset coëmerit, postea q; & usus fru-ctus ad ipsum peruenerit, quia usus fructus in petitione seruitutis locũ obtinet atq; ab re in qua est, peculiarem rationem habet, uti ex Pandectis de usufructu legato, fa-cile patet, ad fundi saltem pretium atq; æstimationem, de ducto usufructu, testamenti actionem habet.

Vt ad quem sors deueniat.

Sors. *SOrte fieri dicimus, quod forte fortuna cõtingit, unde qui rebus suis atque ausis nihil certi præstituunt, sed euentum modo expectant, eas fortunæ committere pu-tantur, aleamq;, cum Iulio Cæsare iacere, cui & magnus ille Pli*

ille Plinius nihil non more suo adtribuit, deamq; inani uoce salutat, quo factum, ut sors illud quoque habeatur per quod dubium aliquod atque occultum consyderato eius euentu innotescit. Et est partim diuisoria qua uel hæreditatem, uel aliam rem, cuius optãdæ fortunam iudicẽ præstolamur, dirimunt, quemadmodum si legatarijs optionẽ unius ex pluribus rebus esse testator iusserit, ac inter se circa optandum dissentiant, aliò aliud corpus eligere cupientes diuali constitutione promulgata sancitum est, legatum illud sorte dirimendum, ut ad quem sors deuenerit illius sententia in optione sit potior, atq; præcellat, quod sortis genus experimur, aut festucis inequalibus oppositis, rebus'ue modo quodam notatis ex quibus breuißimã, notatam'ue adeptus, sortis aspectum habet, aut schedulis alijs'ue rebus quas urnæ commendamus rursum sub certa signatura extractis. In quẽ modũ Hector atq; Vlysses apud Homerum, ubi Paris cum Menelao singulari certamine essent congressuri, sortes in galeam cui primus ictus contingeret, demittunt. uerba Poëtæ in iij. Iliados hæc sunt: Sors diuisoria.

αὐτὰρ ἔπειτα
Κλήρους ἐν κυνέῃ χαλκήρει βάλλον ἑλόντες
Ὁππότερος δὴ πρόσθεν ἀφείη χάλκεον ἔγχος.

Partim diuinatoria sors est, sacris legibus non secus quã reliqua maleficia, sub extremo capitis supplicio prohibita, in l. nemo. cum similibus. C. de malefi. & mathema. sic ex Tripode respondebant gentibus Phœbades, cuius exẽplum apud Lucanũ est in libris quos de pharsalico bello inscripsit: in quod malum, si legũ animaduersiones permitterentur, munus sortilegorum adeoq; ærusc atorũ, &

plus religionis Christianus orbis nostra ætate haberet. Præterea sors est patrimonium, autore Pompeio: hinc ni fallor, quod fortunam ueteres bona nostra oppidò quàm iuuare crediderunt, factum, ut consortes quoq; sint fortunarum socij, tum pecuniam quæ in fœnore est, sortē esse Varro scribit. Paulus iureconsul. in l. usuras. ff. de usuris. Vsuras (inquit) illicitas sorti mistas, ipsas tamen non deberi constat, cæterum sortem non uitiare.

Fortunarum socij.

Primi consules designati &c.

CONsules apud Romanos (ut perfunctoriæ dicā) hoc modo designabantur: habitis per Consules siue alterum duorum, siue per interregem, aut dictatorem comitijs, quæ tribuum centuriarumq; conuentu efficiebantur, magistratum petituri in Cāpum, uestimentis candidis induti descendebant, in quos igitur populi suffragia in huiusmodi cōsularibus comitijs aspicijsq; rite peractis, concurrebant, ij Consules erant designati, autore L. fenestella. & moris fuit ut primo designarentur COSS. *& magistratus, hoc est crearentur, aut creati designarentur. & demum Idibus Martijs ut sæpenumero obseruatum est, magistratum inirent, insigniaq; una cum imperio adsumerent. Verum tempus designandorū magistratuum ferme ad mensem Ianuarium erat. Suetonius in Cæsare. Pridie autem Calendis Ianuarijs, repentina* COSS. *morte cessantem honorem in paucas horas petēti dedit. Cicero ad Furuium, Comitia tamen, quando ex ijs pendes, quantum facere possumus (quod multis de caussis reipub. arbitramur conducere) in Ianuarium mensem protendimus.*

Consules designati.

Inire consulatum

Si quis in nomine &c.

Erra

ERratum in nomine quod proprium dicimus, ut nec testamentum, ita neque legata uitiare solet, modo persona cui legatum est in certis habeatur. l. si in nomine. C. de testamen. & l. si Fortidianum. §. error autem nominum. C. de legatis. In nomine uero appellatiuo seu denominatiuo si erratum fuerit, uitiatur certe atque inutile est legatum, cum appellatiua nomina, non accidens, & simplicem quandam designationem personæ, sed ipsam magis rei substantiam & naturam, adeoq; eius esse significent, quo immutato, rem ipsam quoque mutari necessum est, quapropter immutabilia sunt, neque errorem in re legata admittunt, cuius exemplum uidere est, in. l. si quis in fundi. ff. de lega. j. l. labeo. ff. de supel. lega. & l. si quis uinum. ff. de tri. ui. & oleo leg. Secus est in nominibus proprijs, quæ, cum hominum designandorum, recognoscendorumq; gratia tantum sint reperta, ad substantiam atque esse nihil faciunt, quare & mutari & quolibet alio modo designari possunt, adeo nihil interest, quibus nominibus singulos homines agnoscamus. l. ad recognoscendum singulos. C. de ingenu. & manu. l. patronus. §. sempronio. ff. de lega. iij. Sic qui Sempronium seruum suum dat, legat, & Stichum tantum habet, utiliter legat, quia in nomine tantum errauit. Rursus qui uinum quod domi habet dat, legat, & oleum modo habet, inepte legat, cum oleum nihil commune habeat cum uino ut hinc uini nomine legatum intelligi queat.

Nomen appellatiuum.

Nomina propria.

Stichum seruum meum uernam.

VEl hinc patet non omnem seruū uernam esse sed magis inter utrūq; distare. Porrò seruus ad quemlibet

seruilis conditionis hominem, commune uerbum à ser-
Seruus. *uando, inquit Florentinus, ut quos belli duces captiuos uē*
dere, atq; ita seruare, quàm statim occidere, maluissent.
Verna. *Vernæ autem, Festo Pompeio serui dicuntur, ex ancillis ci*
uium Romanorum uere nati, quod anni tempus natura-
lis maxime fœturæ est. Vnde iurecōsultus eos seruos qui
neq; empti, neq; aliunde adquisiti, sed ex ancillis nostris,
& quasi domestici nobis nati sunt, uernas appellat. l. ser-
uis urbanis. §. si alij uernæ. ff. de lega. iij. & l. cum super
Vernula. Vernaculus. *uernis. C. de rei uen. hinc uernula diminutiuum, et uerna*
culus denominatiuum, apud Vallam nomen, pro eo quod
domi nostræ siue in patria nostra ortum est, quemadmo-
dum Cicero in VI. Verrinarum actionum, crimen dome-
sticum atque uernaculum, & Cæsar in VI. Commentario
Vernacula putatio. *rum, Vernaculas Pompeij legiones, dicunt, præter hoc*
quod uernaculum aliquādo pro uerno, aut eo quod ueris
est, accipimus, cuiusmodi est uernacula putatio, ut quæ uer
no tempore fieri consueuit, apud Plinium lib. xvij. cap.
xxij.

Quia quod inutile foret legatum.

Regula Catoniana quando locum habet. CAtonianam hanc uocant regulam, quam Celsus in. l. j. ff. de regula Catoni. sic describit, Quod, si testa-
menti facti tempore decessisset testator, inutile foret lega
tum, id quandocunq; decesserit, non ualere, & in sex casi-
bus locum obtinet. I. Cum deficit legatum, ex persona le-
gātis, puta si est seruus qui dat legat, tametsi liber factus
decedat. l. j. §. j. ff. de leg. iij. Item si inutile sit, propter
rem quæ legatur, qualis est, sacra, uel ædibus iniūcta l. ca
tera. ff. de lega. j. Proinde euanescit ob personam cui le-
gatur,

gatur, præsertim si proprius est seruus, non data libertate. l. seruis. C. de lega. & l. iij. §. quando autem. ff. de iure fisci. IIII. *Quando uterq; & qui legat, & cui legatur inhabilis cognoscitur.* V. *Inutile est legatū in re propria eius cui relinquitur, cum æstimatio rei potuisset legari, cuius exemplum est, in titulo præsenti. §. si rem.* VI. *Regula Catoniana obtinet. si cui legatur, qui eius minus est capax, cuiusmodi est deportatus, pœnæ seruus, & id genus homines, quibus neq; testamenti factio relicta est. l. si deportati ff. de lega. iij. Quæ omnia bonam eorum partem enucleant, quibus legata euanescere solent. Quibus adde legatum quoq;, perimi quoties fit caducum, ut si defuncto sit relictum, quem tamen testator in uiuis esse credebat, aut ei, qui priusquàm testator, decesserit. Præterea quādo res quæ relicta est atq; legata non inuenitur, aut si graues inimicitiæ inter utrūq; oboriantur, legatarius'ue legatum respuat, uel conditio sub qua sit relictum, desit: argu. l. iij. ff. de adimen. lega. l. papinianus. §. meminisse. ff. de inoffi. testa. & l. uni. C. de cadu. tollen.* Legatum caducum.

Secta meorum temporum.

INterpres & in Secta uoce, non secus, atque in plerisq; alijs suo more cæcutit. Porrò Secta est alicuius opinionis aut sententiæ diligēs ductus atq; electio, quam Græco uocabulo αἵρεσιν appellamus, quemadmodum sectæ inter Philosophorum scholas duæ habentur præcipuæ & antesignanæ, quarum altera Academicorum, & altera Peripateticorum est. Haud dißimiliter & Iureconsultis diuersæ atque adeo contrariæ opiniones subcreuerunt, sectasq; pepercre,* Secta.

peperere, de quibus Domitius Vlpianus V I. *libros reliquit scriptos, unde qui uel Caßium uel Sabinum sequebātur, Caßiani uel Sabiniani, qui uero* Proculum, *Proculiani, uterque ut in uerba Magistri sui iurauit,* Iustiniano *superius, de rerum diuisione §. quum ex aliena materia. nominantur. & est in. l. adeo quidem. §. cum quis. ff. de adquirendo rerū dominio. Sic quoque* Iustinianus *sectam suorum temporum, non se ipsum ut qui iusticiam, quia uiua lex est, in pectore suo conceperit, sed eam iuris sententiā intelligit, quæ ·· t est uerior &* Imperatorio *calculo adprobata, ita nihil quod uel iusticiæ uel æquitati minus consentaneum sit etiam, Sabinianis alijsq; eius sectæ uiris, aliud inducta legum scrupulositate sentientibus, admittit.*

Sectæ iuriscon sultorum.

TITVLVS XXI.
De ademptione legatorum.



EGATA *quibus modis euanescant, obiter et quatenus adnotationes patiūtur, retuli, sed cum per adēptionē quoque intereant, non incōmodū erat eius meminisse. Est aūt legatorum ab eo cui relicta fuerāt ablatio, ea de caussa inducta, quod cōstat hoīs uolūtatē dū in humanis est, ambulatoriā eē, ac supremū usq; uitæ exitū, uariare, iuxta. l. quod si. ff. eod. titu. & multa inter caliciem supremamq; labra accidere possunt, testatori potestas est, atq; liberum, legata alicui adimere & in alium transferre, nec de caussa quærimus, uti in reliquis donationū modis*

Adēptio legatorum quid.

dis (ubi sic pœnituisse non liceat) sed aliud reliquisse satis est, cum eius sit nolle, qui potest & uelle, ut commune iuris uerbum monet. Proinde ademptionis legatorum geminam formam esse nostri uolunt, tacitam puto, quæ fit testamenti reuocatione, ut, Testamentum hoc meum ualere ueto, nam principali iugulato accessorium quoque cadat necessarium est, atq; expressum, per aliud testamentum, Codicillos, aut alias manifestis uerbis, ueluti, Quod Titio dedi, legaui, non do, non lego. Est apud Iureconsultos in l. hæreditas. ff. de ijs quibus ut indignis. ubi aduerte ademptionem legatorum & translationem, quamuis promiscuus alicubi eorum sit usus, argumen. l. translatio. ff. eo. titu. in hoc tamen differre, quòd ademptio prior sit translatione, sic quod translatio fieri non poßit, nisi præcedēti ademptione, sed econtrario adēptione facta, non opus est statim sequatur translatio, quando testator adempta legata uel retinere potest. Vnde colligitur, Translationem nihil aliud esse, quàm legatorum in alterum collationem, ut in præsentiarum quoq; Iustinianus docet.

Ademptio tacita.

Ademptio expressa.

Differunt ademptio & translatio.

Translatio.

TITVLVS XXII.

De lege Falcidia.



ABVLIS *xuiralibus ex Solonis illius legibus descriptis, eatenus libera res suas legandi cuiq; facultas erat, ut etiam totum patrimonium legatis exhaurire liceret, quo fiebat ut plerique etiam facto testamento hæredem non inuenirent, sed hoc cum è re publica minus esse uideretur, & testatoris interesset hæredem habere post legem, tam Fusiam*

quàm

Lex falcidia quare lata.

quàm Voconiam, Lex Falcidia rogata est, qua cauetur, ne plus legare liceat quàm dodrantem omnium bonorũ, quare si testator hæreditatem suam ultra dodrantem legatis erogarit, hæres siue unus sit institutus siue plures, ex quolibet legatorum tantum pro rata portione detrahere poterit, ut quadrans apud ipsum remaneat. l. j. & l. in ratione. ff. ad legem fal. & in Autent. de hæred. & falcidia. §. hinc nobis. coll. j. Id, uti clarius intelligas, sic se habet, Hæres si ex liberis est, primo legitimæ rationem habet, quam ex tota hæreditate deducit, deinde ex ijs bonis quæ supersunt quartam Falcidie partem iure institutionis legatis detrahit, ita quod singulis legatorum aliquid auferatur, idq; pro rata portione, hoc est, secundum quantitatem legatorum, donec quadrantẽ suum sit habiturus, reliquum legatarijs cedit. Vtq; Falcidiæ locus sit, quantitas patrimonij quod testator mortis tempore reliquit solum spectatur, deductis prius ære alieno, funeris impensa, & pretijs seruorũ manumissorum, quæ & ipsa inter bona nostra minus censeri placuit. Præterea Falcidiæ ratio habetur non modo hæreditate legatis exhausta, sed etiam fideicommissis, & mortis caussa donationibus, apud Iul. Paulum, libro receptarum sententiarum iij. & l. si mortis. & l. si quis. C. ad legem falc. Quod uerum est, nisi testator conscius uirium patrimonij sui, hæredem Falcidia uti prohibuerit, aut si legata pijs caussis sint destinata, aut si inuentarium hæres non confecerit, cum tantum ex hæreditarijs bonis accepisse creditur, ut tam legatis quàm debitis exoluendis, satis esse poterit. Falcidiam autem ne ex legatis retineat hæres, licet per testatorem

Falcidiæ ratio

Falcidia quando cessat.

torem fieri poßit, propter legitimam quam saluā habet, Trebellianam tamen quartam quin hæres, ex tota hæreditate, quā fideicōmissam habet, atque alteri restituere rogatus est, retineat, nō prohibetur, ea propter, quod hæreditatē & adire & alteri restituere cogitur, cū æquißimum sit, eum qui onus subit, etiā commodum quandoq; sentire. Nouissime, *lex* Falcidia *non à falce (quod pleriq; interpretum inepte sentiunt) deriuatur, nomen'ue accepit, sed à* C. Falcidio, Tribuno *plebis eius latore, quē diui* Augusti *tēporibus apud vrbē fuisse* EVSEBIVS *Cæsariensis scriptum rel quit, ubi q.d de semisse pluribus supra* IIII. *hæredibus relinquēdo, ut falcidia deutetur, idē autor subiūgit, præter rei cognitionem facit, nam Semissis ad legitimæ potius rationē pertinet, quàm legis falcidiæ, ut in superioribus adnotatum est, & habetur in autent. nouissima. C. de inoffic. testam. & in autēt. de triente & semisse. §. si uero ultra iiij. collat. iij.*

Trebellianam hæres deducere nō prohibetur.

Falcidia unde

Eusebius lapsus.

Et cum quæsitum esset &c.

D*Ocuit* Iustinianus *lege falcidia prouisum, ne plus legare liceat quàm totorū bonorum dodrantem, sic ut quadrās apud hæredem maneat, etiam si plures sint instituti.* Hoc *ne in uniuersum quis uerū & indubitatū arbitretur, ita intelligat esse, ubi grauamen toti hæreditati per legata infligitur. sin uero pluribus hæredibus scriptis, alterius parsnominatim per defunctū legatis exhausta fuerit, altera hæredis parte salua manente, tunc is solum hæres quartam suæ partis ex legatis habeat cuius hæreditas est exinanita, cum in singulis hæredibus ratio*

Falcidia ad singulos hæredes pertinet.

legis falcidiæ sit computanda, ut etiam est in l. singulis. l. in ratione. ff. eodem tit. Verbi gratia. Titius condito testamento duos instituit hæredes, Titium & Seium, utrunq; in Semisse. Titij semis saluus est, & nullis legatis oneratus. Seium uero tot legata erogare Actius testator iussit, ut ijs impensis uix sescūcem suæ partis retinere detur, iā prouisum est, ne unus Seius tot legatorum onera deuorare, & pro hæreditate incommoda subire cogatur, ex singulis legatis eatenus retinere quatenus eius semißis atq; partis, quarta resurgat, atque impleatur. Proinde quantitatē patrimonij morte testatoris spectandā, quod aiunt, indubitati iuris est, nā ut bona mortuo testatore & ante aditā hæreditatē aucta, nihil obsunt, quin falcidiæ quarta legatis detrahi q̃at, ita & diminuta nō prohibēt, quī solida legata debeantur, per l. in quantitate. ff. ad legem falc. quam in presenti loco Iustinianus repetit, quo fit ut fructus iacente post defunctum testatorē hæreditate percepti in falcidiam non computētur, nisi aliud disposuerit defunctus, l. quod autem. ff. eod. Aut fructus mortis tempore sint sati, quia pars rei tunc habentur. l. in lege falcidia. ff. eo. & l. fructus. ff. de rei uend. Aut si testatoris iudicio percipiantur ex re quam legauit, l. paulus. §. j. & l. qđ de bonis. §. fructus ff. eod. In bonis certe quibus falcidia adcommodatur æs alienum non computamus: quando quidem bona, secundum Paulum iurecōsultū, cuiusq;, ea intelliguntur quæ deducto ære alieno supersunt, l. subsignatum. §. bona ff. de uerborum significat. & l. non amplius. ff. de legat. j. Huic adde ea, quæ æri alieno æquiparantur, uti funerales impensas, & pretia pro seruis manumit

Falcidiæ ratio.

Fructus quādo in falcidiam ueniunt.

Aes alienū extra bona est.

numittendis relicta,nã & hæc Falcidiam effugiunt l.in imponenda.C.ad legem falci.ubi funeris impensam Marcellus intelligit non omnem funerispompam,sed illud dũtaxat,quod funeris caussa,atque adeo pro testatoris dignitate,rebusq; insumptum est: nam illud quod pro extruendis monumentis erogatur,tũc demum pro impẽsis habetur,si in mediocrem monumenti speciẽ sit collatũ, & defunctus aliud monumentum non habeat quo pro dignitate sua sepeliatur.l.j.§.de impensa.l.nec amplius.ff. eod.& l.papinianus.§.omniũ autem quarta.ff.de inoffi. test.l.& si quis.§.æquum.ff.de relig.& sumptib.fune. intantum neque ueteres Mausolæa illa sepulchrorũ atq; immodicos funerũ sumptus è republica esse existimarũt, quare dudum ante Cæsares simul atque iurisperitos lege XII.tabularum cauebatur,ut Cicero autor est, Ne quis ascia monumentum poliret,ne'ue in urbe poneret,sic fore existimantes ut sumptus ad inanem Cœnotaphiorum ostentationem desyderati,tandem minuantur,modumq; inueniant. Funeris impensa. Mausolæa.

TITVLVS XXIII.

De fideicommissarijs hæreditatibus.



FIDEICOMMISSA nos dicimus, quæ fidei hæredis alteri restituenda demandantur,quæ ab fide hæredũ licet pendeant, unde & nomẽ accepere: Diuus tamẽ Augustus(cuius tẽporibus in L.Lentuli persona esse cœperũt) ne perfidiæ humanæ locus esset,ad necessitatẽ iuris ea retraxit.In ciuitate si quidẽ legibus bñ instructa,ut iusticia Fideicõmissa.

 sit,fidem

sit, fidem ultro citroq; eßе oportet, unde & fidẽ Tullius, quia fiat, quod dictum est, adpellatam eſſe, refert. Porrò uti odibilis eſt, & rei publicæ minus utilis qui aliud corde cælat, aliud uerbis exprimit, iuxta Homericã ſententiam quam & Polemon apud Philoſtratum ſubinde in ore habebat:

Fides unde.

Ἐχθρὸς γὰρ μοι κεῖνος, ὁμῶς ἀίδαο πύλῃσιν
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

Ille mihi inuiſus certe eſt, inuiſus & Orco,
Qui uerbis aliud profert, quàm mente recondit.

Ita qui cõmiſſa animo præfracto minusq; fideli exequitur indignus eſt, qui in cõmuni hominũ ſocietate uitã agat, ut qui nõ tam ultimã teſtatoris uoluntatẽ fraudare quàm ſui æſtimationẽ interuertere auſit, itaq; uideãt q πολιτέυεσθαι & in ciuitate feliciter uerſari uelĩt, ne pleni rimarũ ſint (ut Comici uerbis utar) atque cothurno mobiliores, quos ciuitatem cõſtituere deſyderat, ſic enim fieri poteſt ut reſpublica non tam ſocietate, quàm pacis uinculo compoſita perpetuo augeatur.

Fideicõmiſſum uniuerſale.

Et ad locum ut redeam. Fideicõmiſſorũ alia ſunt uniuerſalia, hoc eſt, ad hæreditatem ſpectantia, quibus totũ patrimoniũ uel eius partẽ hæres alij reſtituere rogatur, quare fideicõmiſſariã hæreditatem uocauit, cuius tamẽ, ne nullum prorſus hæreditatis emolumentũ habeat, ſaltẽ dodrantem reſtituit, & quadrantem, hoc eſt, quartã eius partem ex ſenatuſconſ. trebell. ſibi retinet, quæ omnia Iuſtinianus hoc loci tam erudite & abſolute tractauit, ut ſi ei uerbũ uel addideris, uel exemeris, totum locum obſcuraſſe uideri poßis: Cumprimis autem fideicommiſſa unde cœperint

cœperint, disserit, deinde ut diui Augusti opa, in assiduã iurisdictionẽ sim conuersa, quibus senatuscons, trebellianum successit de actionibus in eum qui hæreditatem recipit transferendis. Id post senatusconf. Pegasianũ cœpit, quo restituenti quadrantem retinere licebat, non secus, atq; ex legatis per legem falcidiã. & quia legum captiosas scrupulositates interim inuectas compertum erat, explosio tandem senatusconsul. Pegasiano, ad trebellianum omnis fideicommissorum autoritas per Iustinianum adprobata iuris simplicitate est redacta, quo fit ut quartã illam Trebellianam & nõ Pegasianam, tametsi ex senatusconf. pega. primum fuerit inducta, adpellamus. Cumq; oporteat hæredẽ qui recta institutus est, hæreditatẽ alij restituere, tũc quoq; restituta intelligitur, si fortè passus sit hæres, hæreditatem ab eo qui recipere debet, uel totã, uel partem aliquã possideri, hac præsertim mente, ut uellet restituere, iuxta fidei sue commissum, & ille recipere. l. restituta. ff. ad senatusconf. trebell. cum patientia illa hæredis, possidenti pro traditione habeatur. §. interdum. inst. de rer. diui. Præterea uerbo, epistola, uel nuncio restitui potest, quo casu, licet rerum possessionem necdum sit adeptus, nihilominus tamẽ omnes eius fiunt, cui est hæreditas restituta, in l. facta. in prin. ff. ad senatusc. treb. Trebellianam portionem retinet, qui sua sponte hæreditatem adijt, nã si à Prætore id facere cogatur, Senatusconsulti nullum habet usum. Vltimo, fructus in Trebellianã nõ cedunt, si à potente fuerint neglecti, cuius pleniorẽ rationem habere est ex l. iubemus. C. ad trebell.

Senatusconf. Pegasianum.

Hæreditas restituitur.

s 3 Excelsi

Excelsi ingenij Papinianus &c.

MAgnum profectò magni Principis testimonium, quando is à quo totius orbis Imperium dependet, excelsi ingenij Papinianum compellat, opinione nequaquam falsus, responsorum enim libros undeuiginti, duos definitionum, de adulterijs, Aedilium quoque Curulium librum singularem, & duodeuiginti digestorum, tum plerosq; alios libros, omnes ante XXXVIII. quàm ætatis annum impleuisset, editos post se reliquit, quare & Spartianus in Seuero suo, Iuris eum asylum, & legalis doctrinæ thesaurum, digna certe præfatione, nominauit Cuius cædẽ, omnibus quibus humana prudẽtia cordi est, deflendam, in Antonino Caracalla (cuius iussu, priusquã XXXVIII. haberet annum, securi percussus occidit) idem Spartianus uerius, quàm communis Historicorũ fert opinio, describit in hæc uerba, Scio (inquit) de Papiniani nece, multos ita in literas retulisse, ut cædis non adsciuerint caussam, alijs alia referentibus, sed ego malui ueritatem opinionum edere, quàm de tanti uiri cæde reticere, Papinianũ amicißimum fuisse Imperatori Seuero, & (ut aliqui loquũtur) ad finem etiam, per secundã uxorem, memoriæ traditur, ad hoc præcipue utrunque filiũ à Seuero commendatũ, eũq; cum Seuero professum, sub Scæuola & Seuero, in aduocatione fisci successisse, atque ob hoc concordiam fratrum Antoninorum fouisse, egisse quinetiam ne occideretur, cum iam de insidijs eius Bassianus quereretur, atq; ideo unà cum his qui fautores fuerant Getæ, à militibus non solum permittente, uerũ etiã suadente Antonino, occisum, multi dicũt Baßianũ occiso

Papiniani monumenta.

Papiniani cædes.

occiso fratre, illi mandasse, ut in Senatu per se, & apud populum facinus dilueret, illum respondisse, non tam facile paricidium excusari posse, quàm fieri. Est etiã hæc fabella, quod dictare noluerit orationem qua inuehẽdum erat in fratrẽ, ut caussa eius melior fieret, qui occideret, illum autem negantem respondisse, aliud est paricidium, aliud accusare innocentem occisum, sed hoc omnino non conuenit, nam neq; Præfect. poterat dictare orationẽ, & constat eum quasi fautorem Getæ occisum.

TITVLVS XXIIII.

De singulis rebus per fideicommissum relictis.



NTER *fideicommissa rerũ singulariũ, & legata, quamuis discrimen olim fuerit, quando mortuo hærede legari nõ poterat, fidei tamẽ committebatur. Item legata testamento tantum relinquebantur, fideicommissa uero etiam codicillis, refert Caius Institutionũ lib. II. ti. VII. hodie tamen & recentiori Imperatorum iure huiusmodi differentia sublata est, & legata fideicõmissis per omnia sunt exæquata, ut id quod legatis deest, repleatur ex natura fideicõmissorum, & si quid amplius est in legatis, per hoc crescat fideicõmissi natura, Instit. de lega. §. sed non usq;. & Vlpianus in l. j. ff. de lega. Est etiam in l. j. & l. ij. C. cõmu. de leg. Et enim quod legata simul & fideicõmissa promiscue nõ tractamus, ad interpretationẽ iuris ciuilis magis spectat, quàm ad naturã rationemq; utriusq;, adeo re ipsa cõueniũt, utcunq; nominibus sint diuersa, preter*

Fideicõmissa & legata exæquantur.

hoc quod alterutrũ alium relinquẽdi modum obtinuit, sic qui legat, ijs uerbis ferme utitur: Titio *domum meam quã unã habeo, do, lego.* Qui *uero fidei hæredis committit:* Hæredem *meum peto, rogo, domum meam quam unã habeo,* Titio *restituat, & id genus alijs, quo factum, ut libertatem fideicommissariam dicamus non legatariam, non aliter dictãtibus rebus.* Et *hic de fideicõmissis locus ad eos maxime adtinere uidetur qui testamentorũ executores ordinantur, quos testatores non secus quàm fideicõmissarios de rebus suis singulis hac atq; illac restituendis exequendis'ue fideles esse iubent.*

Res aliena fidei cõmitti potest.

Præterea *res aliena siue sit fideicõmissarij, siue alterius, utiliter relinqui potest per fideicommissum, si is q reliquit sciat rem alienam eße, nam tũc æstimatio eius intelligitur fideicõmissa, quam ubi suam, non alienam esse putauit, nõ aliter ualet legatũ quã si uel uxori, uel aliàs proximæ psonæ sit relictum, cui forte relicturus erat, etiam si rem alienã certo cognouisset. quæ autẽ hoc casu persona coniuncta siue proxima sit habẽda,* Prætor *iudicato. l. cum rem alienam. C. de leg. l. quintus. §. 1. ff. de auro & arg. leg. & l. uoluntatis. C. de fideicommiß.*

TITVLVS XXV.

De Codicillis.



POST *testamentariam ordinationem, de Codicillis quoque subiungere nemo est qui non operæpretium esse duxerit, ut qui perinde ad supremam defunctorum rationem pertinent.* Porrò *Codicilli,* Est *uoluntatis nostræ sententia*

Codicilli.

tia, de eo quod quis post mortem suam fieri uolet absque hæredis institutione. Et quẽadmodum *diplomata, id est, Chartulas compliatas, linoq; traiectas & obsignatas* Tranquillus *in* Claudio, & Hermogenianus *iureconsultus in l. administrantes. ff. de excusatione tutorum, codicillos latina uoce adpellant, ita hoc loci paruos codices seu tabulas dicimus (ueteri nimirum dictione quando in cortices sæpe, & Caudices seu Codices antiquitus literæ depictæ fuerint auius* Plinius *satis monet) quibus testator solenne facere testamentum impeditus, qualicunq; de rebus suis uoluntate disponit, nempe quod eam iuris solennitatem, qua testamenta confici oportet, non desyderant.* Codicilli in *testamenti defectum fieri uidentur, præsertim ubi intestatis succeditur, l. abintestato. ff. de iure codicillorum. quare & autoritatem, & secundas post testamenta ab* Augusto, Trebatij *suasu inuenerunt, idq; propter longinquas & necessarias ciuium peregrinationes, quibus* Codicillos *facere posset, cui testamentum ordinare non daretur.* Eorum *usus hodie maior est quàm testamentorum, ob ceremonias quas non tam exquisitas uolunt.* Nam Codicillis *quinque solum testes etiam non rogatos adhibere satis est, inter quos & mulier numerari solet, modo sua manu (si in scriptis relinquantur) quisque testium subscribat, l. fina. C. eodem titu. & l. qui testi. §. mulier. ff. de testament.* Et *fiunt* Codicilli *tam scripti, quàm nuncupatiui, hoc est, absque scriptis, nec interest ante uel post testamentum cõficiantur, nisi posteriores prioribus ex diametro contradicant, quo casu, nõ æque omnes ualent, sed præualent qui posteriori loco*

Codicilli unde

Codicilli quare introducti.

V. testes ad Codicillos.

s 5 succeſſe

succeßere. Vnde nemo est qui dubitat, quin pluribus simul Codicillis post se relictis, pariter firmis, decedere quis ualeat, l. cum adponas. C. eo. titu. & l. diui. ff. de iure codicil. ut quorum praeiudicium tanti non sit, nam de rebus tantum ex parte uel quãtitate disponunt, non habita haeredis directi ratione. Tabulae uero quia absolutam totius patrimonij ordinationẽ cõtinere debent quod quisq; hominum unum modo relinquit, prouisum est, ut unas quoq; tabulas robur obtinentes simul cum haerede post se relinquat. Codicilli ab ijs quibus & tabulae, fiunt, & saepenumero ijsdem modis, quibus tabulae, finiunt.

Plures codicilli fieri possunt.

proinde haereditas licet Codicillis neque directo dari neq; adimi queat, fideicommitti tamen potest, quo pacto uenientes ex intestato haereditatem ei restituere, quem in codicillis defunctus nominauit per fideicommißum rogati uidentur, quòd fideicommissum amplius non ex arbitrio haeredis atque pudore dependet, sed ad necessitatem uolente Diuo Augusto redactum est, ita quòd haeres iam, uelit, nolit, haereditatem illi relinquat oportet, cui defunctus ut restitueretur, uoluit, quem exinde haeredem, non testamẽtarium, sed magis ex intestato arbitramur, in autẽt. ex caussa. C. de liberis praeterit. l. testamento. C. de fideicom. l. eam quam. ff. eod. titu. & l. ij. §. fin. ff. de iure codicil.

Haereditas Codicillis fideicõmittitur.

Praeterea haeres in Codicillis declarari atque nominari optimo iure potest, uerbi gratia: Quem in codicillis meis nominauero, haeres mihi esto, qui testamentarius intelligitur, cum ex testamento, cuius factionis tempore fingitur institutus, inq; rerum natura fuisse, succedat, ut habe

Haeres declarari põt in codicillis.

habetur in l.asse toto.& l.illa institutio.ff. de hæredib. institu. Vsum Codicillorũ fermè habes,reliquum si formam eorũ desyderas,talis est:Sempronius Deo Opti. Max.fauente.& compos mentis,& animo sanus, ut ultimæ suæ satisfaceret uoluntati,hos post se conditos reliquit Codicillos,quibus primo VIII. libras argenti Xenodochio quod in hac,uel illa ciuitate est,pio animo reliquit &c.

Forma codicillorum.

Proinde hæredem Titium quem in testamento uel institutum nominat,uel quẽ abintestato habiturus est,petit,rogat,hæreditatem suam,uel eius partem Seio restituat.Aut(si uelit substituere)hæredẽ in tabulis suis institutum petit,rogat,ipsam hæreditatem per fideicõmissum Seio restituat,in reliquis tabulas illas suas legitimi roboris manere iubens&c.quã suam ultimam uoluntatem & esse & iure Codicillorum uel cuiusq; alterius nouissimæ uoluntatis robur habere, atque ualere uoluit.

FINIS LIBRI II.

LIBER TERTIUS.

TITVLVS I.
De hæreditatibus quæ abintestato deferuntur.

Tunica pallio propior.



LAVTVS Latini sermonis delitiæ, inter alia quæ cum eleganter, tum adposite protulit tunicã quoque pallio propiorem esse, scriptũ reliquit, nec inuenuste medius fidius, natura si quidem comparatũ est, eos qui nullo rerum suarum respectu è uiuis excedũt in sanguinis necessitudine coniunctos, successionem deuoluere, quo fit ut rerum uniuersitatem, atq; adeo hæreditates partim ex testamẽto ptim abintestato adquiramus. ex testamento ut adquirãtur, à Titulo qui est, p quas psonas nobis adquiritur, in hunc usq; locum exposuit, cui alterũ quoq; mẽbrũ hic subijcere, puta de hæreditatibus quæ abintestato deferũtur, propositus institutionũ ordo desyderabat. Et ne aliquid uetustatis statim in limine & primis rerũ ciuiliũ elementis ignoretur, post intestatorũ cõsyderationẽ, refert Iustinianus, eos quos lex XII. tabularũ tanquã suos hæredes ad intestatorum successionẽ ante omneis uocari consueuit, deinde quo modo emancipatis, quos leges xuirales non agnoscebant, ut qui in potestate parentis

parentis esse desierũt, Prætor naturali æquitate motus, bonorũ pollicetur possessionẽ, per unde liberi. ijs uero qui emãcipati in adoptionẽ dum pater naturalis morere tur, sese dederunt, per unde cognati tantũ, & hoc si neq; sui hæredes, neq; emãcipati, neq; agnati ulli interueniãt. Postremo ne animos cupidæ legum iuuẽtutis nodosa illa antiquitatis perplexitate suspẽsos teneat, repetit quid no uo Imperatorũ iure super ijs sit constitutum, nimirum quòd liberi siue sint in potestate, siue extra, atque in adoptionẽ dati, ex masculis siue fœminis, sublata cognationis differẽtia parentibus ex æquo succedũt: cuius ut rationẽ habeas, sed compendiosam, atq; ad primordia iuris ciuilis facientem cũprimis monendi sumus, eum proprie intestatum decedere, qui dum testamentum iure facere potuit, non tamen fecit. l. intestatus. ff. de uerbo. signifi. aut si non iure fecit, quia testes, sigilla. & id genus solẽnia desunt. l. j. ff. de iniusto rupto. aut quando testamentũ legitime factũ, uel agnatione sui hæredis. i. posthumi, uel arrogatione filij rũpitur. l. j. & l. Posthumorum. ff. de iniusto rupto. Insti. quibus mo. testa. infir. §. si quis post factum. Aut intestatus decedit cuius testamentũ per capitis diminutionẽ irritatur. l. eius qui §. si cui. ff. de testa. l. si quis. §. irritũ. ff. de iniusto rupto. Insti. qui. mo. testa. irri. §. alio autem modo. Aut si hæreditas ex testamẽto nõ sit adita, hæredemq; nõ inueniat, quia uel hæres esse noluit, uel uiuente testatore, etiã ante aditã hæreditatẽ decessit uel aliàs cõditio sub qua instituebatur defecit, quæ omnia post Imperatorẽ habẽtur in. l. j. ff. de suis & leg. hæred. & in citata l. intestatus. ff. de uerbo. signifi. Aut si hærede

Intestatus quis dicatur.

hærede caussam propter quam is quem instituí oportuit, exhæredatus est, nõ probante, tabulæ per iudicem rescin dantur, id quod alibi nós adnotare meminimus.

Proinde intestatum dicimus cuius testamentum uel p cõtra tabulas beneficio Prætoris, uel per inofficiosi que relam de iure ciuili est rescissum, l. & liberis. C. de colla. Aliàs enim generali significatiõe quicunq; siue is sit pubes, siue impubes, siue is cui bonis iure interdictum quia testamentum nõ fecit, aut facere minus licuit, in testatorũ numero Domitio Vlpiano habetur, uti est in l. j. §. planè. ff. de suis & legi. hæredibus.

Intestatis qui succedunt.

Intestatis qui succedunt alij sunt ordinis inferioris alij superioris, alij à latere trãsuersales. Ordinis inferio ris sunt q deorsũ uersus descẽdũt liberi, ut filij utriusq; sexus, Nepotes, neptes, & infra hos etiam posteriores quibus hæreditates omnibus alijs exclusis ex intestato deferuntur, hoc modo, quod filij in capita, nepotes uero in stirpes succedant. Ordinis superioris sunt, pater, mater, auus, auia, & cæteri sursum uersus parentes & maiores, qui tunc demum defunctis succedunt, si descendentiũ ne mo superfit, ita ut eorum primũ ratio habeatur qui gradu sunt proximiores. Transuersales à latere nobis iungũ tur, unde & collaterales sunt, puta, frater, soror, atq; ex ijs prognati prognatæ'ue, quibus hæreditates deferũtur, ubi defuncto neq; descẽdẽtes, neq; ascẽdẽtes reliq sunt. Cumq; collateraliũ alij ex utroq; sint parẽte, alij ex altero tantũ. succedendi quoq; aliã aliamq; obtinere rationẽ, planè fratres sorores'ue defuncto ex utroq; parẽte cõiun cti, reliquis ex altero tantum præferũtur, atq; ex æquis portio

Descendentes.

Ascendentes.

Collaterales.

portionibus succedunt, l.j.§.j.ff.de suis & legi haere.& in Autent.cessante.C. de legiti. haered.Sin autem fratres reliquerit, atq; ex altero fratre nepotes, fratres quidẽ in capita, nepotes uero in stirpes succedunt, in Autent. post fratres.C.de legit.haered.copiosissime Cynus, in Autent. itaq; mortuo.C.communia de succeßi. Praeterea defunctus quando patrem aut matrem, auum aut auiam, simul & fratres post se relinquit, & eos utrinq; coniunctos, tunc aequaliter ad succeßionem permittũtur, idq; nouißimo autenticarum iure, iuxta.§. consequens.in Autent. de haeredi.abintesta. Consanguinei fratres, hoc est, qui ex eodẽ sunt patre in ijs bonis defuncto succedũt quae sunt paterna. Vterini uero in maternis tantum, in reliquis bonis communiter partis, ex aequo admittuntur, l. emancipatis.C.de leg.haered.& l.fi.C.eo.& praedicta Autent. itaq; mortuo.C.communia de succes.Deficientibus autem tam superioris, quàm inferioris, atq; item trãsuersalis ordinis haeredibus, tunc demum, uxor ad succeßionem mariti, atq; ecõtrario, maritus ad succeßionẽ uxoris, per unde uir & uxor uocãtur, quibus itidem nõ extantibus Fiscus, l.j.ff.& C.unde uir & uxor. & l.j.& l.iiij.C.de bon.uacan.haec de legitimis. Caeterum spurij & uulgo quaesiti neq; patribus succedũt, neq; patres ipsis, l. si spurius.ff. unde cognati, in Autent.quib.mo nat.effi.sui nam leges patrem non intelligunt quem nuptiae non ostendũt. Matribus uero, atq; ex diuerso matres ipsis nihilominus haeredes fiunt, idq; in uniuersa bona, nisi ex damnato coitu sint progeniti, qui ad nullam prorsus succeßionem ueniũt, quales sunt ex adulterio, incestu, & id genus peßimi excm

Parentes cum fratribus.

Fratres consanguinei in qbus succedunt.

Vir & uxor qñ succedunt.

Vulgo quaesiti quomodo ueniũt.

Ex damnato coitu quaesiti.

*exēpli libidine quæsiti, aut ex illustri fœmina cuius facinus & in hoc legibus cohibere placuit, l.j.§.sed uulgo. ff.ad tertullianum.l.modestinus. & l.hac parte. ff.unde cognati.l.si qua illustris.C.ad orficia.l.j.§.in nouissimo. C.de cadu.tollen.*Non modo autem matribus *spurij succedunt, uerumetiam auijs maternis & reliquis secundum matrem cōiunctis, in l.si spurius.cum nonnullis alijs. ff. unde cognati.*Naturales *uero, hoc est, ex ea muliere, quæ per leges uxor esse potuit, atq; unica in domo uiri retēta est, nati, melioris habentur conditionis quàm spurij & ἀπάτορες liberi, propter legum indulgentiam, quæ concubinatum ut uitæ cōsuetudinem & cohabitandi adsensum præ se ferentem, non eatenus damnant. Concubina enim ex qua naturales suscipiuntur unico uiro cuius consuetudinem habet contenta esse intelligitur, quando ea quæ uni non cohabitat, unde spurij progenerantur, uago illo suo concubitu corpus multis prostituisse existimatur, quare patrem utcunq; ostendere sit uisa, fidem tamē non meretur.*Et *ne parerga studiosius consuere uidear,*

Naturales spurijs sunt meliores.

Naturalibus hęreditas paterna quando defertur.

Naturalibus *ut hæreditas paterna (nam de materna nihil ambigui est) deferatur, oportet nulli alij superfint, neque liberi legitimi, neq; uxor, quo casu solum alimenta ipsis debētur, perinde uir bonus ea fuerit arbitratus, qđ sic intellige,*Pater *naturalis decedit aut testatus, aut intestatus.*Si *testatus, atq; alios liberos legitimos aut uxorē habeat poterit naturales in uncia bonorū instituere tantum, quod si legitimam prolē nō reliquerit, sed superioris ordinis parentes maioresúe, tūc naturales utiq; in totū patrimoniū hæredes facere fas est, legitima solū*

paren-

parentibus reseruata atq; salua, quæ omnia ex patria pie tate pendent, et nulla iuris necessitate, etenim pater nulla legum sanctione iubetur, filium naturalem testamēto uel hæredē scribere uel exhæredare, uel aliâs donatione inter uiuos excipere, ut quem nuptiæ non dederunt, sin ex intestato moriatur, relicta legitima prole, aut uxore, naturalibus præter alimenta ut meminimus obuenit nihil, si uero neq; prolē legitimā, neq; uxorē post se relinquat, sed quosdam ex ascendentibus, puta patrem, matrem, alios'ue sursum uersus parentes, tūc naturales una cū matre quam superstitem habēt, qua defuncta, ipsi soli in sex tantem, hoc est, sextam hæreditatis partem, cum ascendentibus succedunt. Et *quæcunq; de filijs naturalibus disseruimus, eadem de nepotibus, atq; è regione de patribus in ipsorum successione sunt intelligenda, uti latius statuitur in l ij. & Auten. licet. atq; item in l. fin. C. de natura. lib.* Et *in tota Autentica cōstitutione, quib. modis natu. effic. sui. & in c. tanta. extra. qui filij sint legi. Quamprimum autem naturales legitimi reddūtur, quod fit per nuptias subsequentes, aliosq; alicubi à nobis adnotatos modos, omne ius quod legitimis est concessum, indubie nanciscūtur, l. cum quis. C. de natu. lib. §. fi. Insti. de nuptijs. c. j. & in adducto c. tanta. qui fil. sint legit.* Naturales legitimi redditi succedunt.

Perduellionis reus &c.

P*Erduellos Martius uates (ut autor est Macrobius) adpellat, qui facta coniuratione, aliquid ut libertas* S. P. Q. R. *euerteretur, machinati essent, uulgus commentatorum rebelles more suo uocat, forte quòd duellum illud proprie bellum ueteres dixerint, quod ex sedi*- Perduelli.

tione atq; ui publica esset obortum, cui adstipulari uidentur hæc uerba XII.*tab. uti* Cicero *refert*: Ast *si quando duellũ grauius, discordiæ ciuiũ estunto, nec amplius* VI. *menses. si senatus creuerit, idem iuris quod duo* COSS. *tenento.* Hinc *perduellionẽ coniurationẽ uolunt, &* Per*duellionis iudicium quo in perduellos animaduertebatur.* Valerius Max. *Cum* Tiberius *Gracchus, &* C.Claudius *ob nimis seuere gestam censurã, maiorẽ partem ciuitatis exasperassent, ijs* Martius Popilius Trib.Ple. *Perduellionis ad populum diem dixit.* Et Cicero, *in oratione quam pro* Rabyrio *habuit.* Nam *perduellionis iudicio (quòd à me sublatum esse criminari soles) meum crimen est, non* Rabyrij. *Cumq; populares illæ coniurationum factiones sine ui cieri haud poßint, qua nihil ciuitati exitiosius est nihil tã iuri & legibus contrariũ, nihil quo tam maiestas populi, quàm autoritas Senatus modo læditur, modo soluitur, factũ est ut etiã maiestatis crimẽ pduellio uocetur: porrò maiestas nisi cõseruetur, nullũ imperiũ, nullus magistratus cõstabit, sed spreta & ætatis & dignitatis ratione, summa imis permista, nihil præter ferinos mores, saxa & truncos, hoc est, homines quos nec* Orpheus *ipse si ab inferis reuocetur, cithara mansuefecerit, producent: quare* Ouidius *maiestatem ex honore atque reuerentia ortã nequaquam incepte cecinit.* Cuius *uerba hæc sunt:*

Maiestatis crimen.

Donec *honor, placidoq; decens reuerentia uultu,*
Corpora legitimis imposuere toris,
Hinc *sata maiestas, quæ mũdum temperat omnem,*
Quaq; *die partu est edita, magna fuit.*

Maiestas unde.

Et *rursus:*

Adsidet

Adſidet ipſa Ioui, Iouis eſt fidiſſima cuſtos,
Et præſtat ſine ui ſceptra tenere Ioui.
Venit & in terras, coluerunt Romulus illam
Et Numa, mox alij tempore quiſq; ſuo.

Quicunq; igitur uel magiſtratu aliquid aduerſum molitus eſſet, uel minus reuerenter obuiaſſet, maieſtatis deferebatur. Sic Caium Buturium ultimo ſupplicio à Romanis affectum, Plutarchus autor eſt, quod Tribuno Plebis in foro obambulanti de uia non deceſſiſſet, cum inſtituto antiquo omnes ei cedere moris eſſet.

Maieſtatis apud Macedonas ſæuiſſimæ fuerant animaduerſiones, quibus non tam ſontes ipſi, & qui criminis inſimulati aut conuicti eſſent, quàm parentes & propinqui omnes cũ ſceleſtis occidebantur, quã tamen pœnæ duriciem Alexander Magnus in VII. apud Q. Curtium ſe mitigaſſe, atq; ad ſontes modo reuocaſſe gloriatur. Quia uero Imperiũ in unum Principem Romanũ penes quem hodie rerum ſumma eſt, conſedit, quiſquis uel in ipſum Principem uel in eos qui lateri eius adſidẽt illuſtres atq; imperij pars, ut in cõmunem Imperij pacẽ machinatur, perduellionis, ſeu (ut Papinianus) læſæ maieſtatis reus dicitur. Tametſi maieſtatis crimẽ nõnulli illud proprie eſſe uelint, quod in Principis perſonã cõmittitur, cõiuratiõis uero ſeu perduellionis quod in publicam pacem, cuius ſententiæ Corneliũ Tacitum fuiſſe, etiã Budæus non indocte (ut ſemper) monet. Verba eius libro XIIII. ſunt: Antiſtius qui carmina probroſa in Principẽ factitauerat, maieſtatis delatus eſt. et libro xuirali, Criſpinus nuper crimine cõiurationis in Sardiniam exactus, accepto iuſſæ mor- Maieſtatis pœna apud Macedones. Maieſtas læſa.

tis nuncio semet interficit.

Perduellionis pœna. *Maiestatis reus nō tantū gladio ultore perit, bonis fisco addictis, ut constitutū est in l. quisquis. C. ad legem Iuliam Maiesta. sed etiam quia in Principē machinatus sit, memoria ipsius post mortē damnatur. l. meminisse. & l. fi. C. ad leg. iul. ma. Instit. de publ. iud. §. publica autem iudicia. tractatur quoq; in l. sancimus. C. de pœnis. & l. j. C. si reus uel accus. mor. fuerit. Quod tum ad præsentis loci cognitionem facit, nam hæres suus ex xuiralibus tabulis intelligitur qui tempore quo mortuus est parens in potestate fuerit, quod fallit in eo cuius parēs etiam defunctus, perduelliōis iudicio est postulatus, quare filium ut in potestate habere non licuit, cum seruus fuerit pœnæ, ita suū quoq; relinquere non erat permissum.*

Non in capita, sed in stirpes &c.

In capita successio. *HAereditatem in capita diuidi, nihil aliud est, quàm eā in tot partes, easq; æquales dispesci, quot sūt capita, quibus solet deferri, in quo eum succedendi gradum consyderamus, qui est proximior, & à capite successionis pari iure constitutus. uerbi gratia, Chremes diem suum obiēs, Pamphilum & Carinum filios post se abintestato reliquit, fit ut in Chremetis hæreditatē, quā in duas partes æquales diuidi necessum est, Pāphilus & Carinus uterq; in semissem atque in capita succedunt, quia primum gradum & succedendi caput faciunt, apud iureconsultum, in l. post consanguineos. §. hæreditas. ff. de suis & legit. hæred.* In stirpes successio. *In stirpes uero successio diuiditur, quando liberi parētis sui locum adsumentes, in eam hæreditatis partem duntaxat succedunt, quam parēs ubi superstes esset, adsecutus fuisset,*

fuisset, sic nuncupata, quòd non primum succedendi gradum atq; adeo caput ipsum, sed eam prolem quæ ex capite defluit, quasi stirpem & gentilitiæ domus radicem cõspicit, in hunc fermè modum, Titius ex intestato filios non reliquit, sed ex Seio nepotes II. & ex Caio nepotes III. omnes patrueles atq; hæredes proxime successuros, quorum duo ex Seio nati in semissem, treis uero quos Caius dedit, in alterum semissem, utriq; in stirpes uocantur: Nam quòd Titio auo succedunt defuncti parentes ocasio sunt atq; medium, unde nepotes ceu stirpes in successionem disperguntur, qui rursus paternam singuli portionẽ inuicem uiritim dispésant. Et hæc successio quæ in stirpes est, ueteri quidem iure inter descendentes solum obtinebat, sed recentiori Imperatorum iure in transuersales etiam est transfusa, unde fratrum quoq; filij cũ patruis in hæreditatem alterius defuncti patrui, admittuntur in stirpes, nam cessantibus primo descendentis, deinde ascendentis lineæ hæredibus, uocantur ad hæreditatem fratres in capita, & fratrum qui superstites sunt filij in stirpes. Instit. de legi. ag. suc. §. hoc etiam. & l. XII. tab. & auten. cessante. & post fratres. C. de leg. hæred. in Auten. de hæred. abintest. ueni. §. si autem d. functo. coll. IX. At de successione qua fratrum filij siue consobrini, non extantibus patruis ueniunt, inter iuris Commentatores acerrime hactenus pugnatum est. Azo in capita eos uocari ex confesso adfirmat, opinione non falsus, nã & Adseclas inuenit non pœnitendos Godefridum, Iacobum Aretinum, Dynum, Cynum, Iacobum Batrianum, aliosq; eius farinæ homines. Accursius uero ex diametro dissentiens, contendit

Patrueles in capita succedunt

dit eos in stirpes succedere ad similitudinem eorum qui ex descendenti sunt parentela, ad hoc suis fultus locis, cui & Bartolus, delitiæ Commentatorum iuris ciuilis, in consilio quodam, atq; aliâs intrepide subscribit, ut reliquos taceam, summæ autoritatis proceres. Sed Carolus eius nominis Imperatorum V. hanc disceptationem aliquando finem habere, atq; sopiri cupiens, statuit anno ab instaurata salute M. D. XXIX. ut sublatis ambiguitatibus, fratrũ filij seu patrueles, nullo ex patruis superstite, in capita deinceps succederent, explosa reliquorum opinione, Azonis sententiam ut ueriorem adfirmare uisus.

Carolus V. Imperator.

Quod ideo sic placuit &c.

Communem Iurisconsultorum sententiam locus præsens fert, uoluntates (puto) defunctorũ, ut ex testamento, ita neq; abintestato captatorias esse debere. l. illa institutio. l. captatorias. ff. de hæred. inst. & l. captatorias. C. de testa. mili. Quod sic intellige, Filius adoptiuus et post naturalis parentis mortem emãcipatus si nihilominus ad bonorum possessionẽ defuncti, ex Edicto Prætoris uocaretur, tũc illa successio hæreditatisq; delatio ex alterius patris adoptiui scilicet arbitrio depẽderet, & nõ ex defuncto. Etenim uolente patre adoptiuo uocaretur filius quẽ in hoc posset emãcipare ut bonorum possessor ex Prætoris beneficio esset ad eludendam patris naturalis uolũtatem, qui filium illum suum forte præteritum uoluit, & adoptiuus successorem fecit emancipando, aut hæredem, & per adoptiuũ rursus prohibetur, in adoptiua familia eum retinendo, sed quia hoc ipsum antiquitati magis placuit, quàm ut reipub. per omnia cõueniret, uisum est Iustiniano

Emendata antiquitas.

niano legem XII. tabularum emendare, & quod Prætor posthabuit, supplere, quãdo sanciuit filium qui ad extraneum patrem adoptione sit translatus, omnia patris sui naturalis iura inuiolata retinere, perinde atq; in familiã alienã datus nõ fuisset, cum indignũ sit iura illa paterna & naturalia diuino uinculo conglutinata, ciuili ratione atq; adoptionis ludificatione fraudari, siue inania fieri, quo fit ut in alienã familiam adoptatus, patrẽ solũ naturalem respiciat, cui & succedit, & iure par est, ab adoptiuo patre hoc unũ beneficiũ habens quòd intestato succedere poterit, si uero pater naturalis cui ex ascendentibus, uti auo materno, uel si is fuerit emancipatus, etiam auo paterno filium in adoptionem dederit, quia hoc casu iura & naturæ & adoptionis, in unam personam, puta parentis, concurrunt conferunturq;, ius adoptiui patris stabile manet, & ad eum respicit parentem, cui ipsum & natura aggregauit, & lex ciuilis per adoptionem contulit, quæ ita in adoptione communi se habent, nanq; homo sui iuris qui per adrogationẽ sese alteri adsignauerit, ut cunq; extraneo, omnia adoptiui patris seu adrogatoris iura adsequitur, eiq; suus fit hæres, cuius familiæ per adrogationẽ atq; ex Augustali liberalitate uoluit aggregari, quæ omnia latius & ad amußim cognoscere est, in l. cum in adoptiuis. C. de adoptionibus.

Adoptiuus filius patri naturali succedit.

Adoptatus ab auo, et succedit ut naturalis filius.

Adoptatus suus fit hæres.

Neq; si ex Sabiniano Senatusconsulto.

Moris erat ut in cõmuni adoptione tres mares adoptantes, tres personæ manumissores, & totidem manumißiones adhiberẽtur, id quod superfluum uisum est, & sublata illa obseruatione, per Senatusconsultum Sabi-

nianum inter alia cautum, non pluriũ personarum quàm adoptantis solius, adoptati, & eius in cuius est potestate, consensum apud competentem iudicem interueniente desyderari, ut autor est Placentinus, eius & alterum caput fuisse, de prærogatiua eius qui ex tribus maribus esset adoptatus, ex hoc loco conijcere possum, quòd filius alteri in adoptatiuam familiam datus, ex patris adoptiui qui testamentum fecit, hæreditate, nisi fuerit institutus, nihil sperare posset, neq; ex iure Prætorio, neque ciuili, etiam si ex S. C. Sabiniano, ex tribus maribus fuerit adoptatus S. C. Sabiniani mentio quoq; est, l. pen. §. quæ autem. C. de adoptio. & l. fi. C. de decurio. lib. x.

S. C. Sabinianum.

Alterum S. C. Sabiniani caput.

Sed nos cum adhuc.

VAlentiniani, Theodosij & Arcadij A. A. cõstitutione quæ incipit, Si defunctus. §. quod si. in V. Codicis Theodosiani libro non nihil ueteri XII. tabularum uiri derogatum erat, & nonnihil relictum, nám ex filia nepotes cum reliquis agnatis ad successionem materni aui æquo iure uocabat, sed cum diminutione trientis, hoc est, tertiæ partis hæreditatis, quam nepotes ex filia reliquis filijs atque ex ijs nepotibus minus recipiebant, propter legem xuiralem quæ ex filia nepotes & deinceps descendentes ut cognatos non agnoscebat, quo & eius aliquam adhuc prærogatiuam agnati retinerent. Proinde extantibus ex filia nepotibus & liberis, atque defuncti agnatis transuersalibus, Nepotibus quidem ex filia ut descendentis ordinis hæredibus in totã hæreditatẽ ius admittebat, ne qui ex transuersa linea ueniunt, potiores habeantur ijs qui recto iure descendũt, sed cum agnati etiam collaterales

rales ex lege XII. tabul. solis exclusis cognatis, hoc est, ex filia defuncti liberis, ad successionem uocati essent, & sic ueteris iuris suffragijs munirentur, ne prorsus Diualibus Principum constitutionibus repulsi conciderent, cogebantur ex filia nepotes atq; ex nouo iure facti hæredes, quartam hæreditatis eius partem agnatis utcunq; transuersalibus restituere, quam ipsi non secus, atq; Falcidiæ portionẽ sibi uendicabãt, quare non cuiusdam ut pleriq; omnes libri habẽt, sed eiusdẽ constitutionis autoritate, legendum est. Quã Iustinianus in hoc emẽdauit, quod nepotes ex fœminino sexu, cum reliquis filijs atq; ex eis descendentibus, æquo iure nulla deducta hæreditatis parte succedunt. Neq; agnatis quartam amplius partem aut falcidiam dare cogumur, sed ipsi ut descendentes & potioris iuris successores, hæreditate illa auita soli potiuntur. Emendatus locus.

TITVLVS II.

De legitima agnatorum successione.



LEGITIMAM *successionem adpellant quæ secundũ leges datur, quia uero lex XII. ralis, præter agnatos hæredem nullum cognoscebat, cõmodius ducens ut hæreditates ad masculos, familiæ domusq; conseruatores, plerunq; deuoluerentur, factũ est ut legitima agnatorum dicatur successio. Sunt autẽ agnati (ut Caius in l. sunt autẽ. ff. de legit. tutel. & Iul. Paulus in IIII. respõsorũ libro, scribũt quos & in hoc Iustinianus æmulatus est) cognati per uirilis sexus cognationẽ iuncti, quasi agnati & ab eodem patre oriundi, nec interest masculi sint uel fœminæ, quibus* Legitima successio. Agnati.

agnationis ius competit, dummodo patrē habeant ag nationis fontē, sic placebat sororē fratri in cōmunem paternam, fraternam'ue sucæßionē consanguinitatis iura obtinere, à qua ex filia nepotes & cæteri inferioris gradus descēdentes penitus manēt exclusi, cū ex fœmina puta sorore oriūdi ad cognationis tantū gradū spectant, & ueteri iure sunt ignoti. Vnde facile liquet, Agnationis nomen ex sola XII. tab, lege natum esse, ut ciuile, ubi autem principalibus dispositionibus differentia illa uetus agnationis, & cognationis esset sublata, placuit & uoces promiscuas fieri ut quæ re ipsa non discriminarentur, quare Paul. Iureconsultus eos Cognatos adpellat, quos lex XII. tab. agnatos, quo modo inter agnatos & cognatos hoc solum intereſt, quod inter speciē & genus: nā qui est agnatus, idē & cognatus, non utiq; autem qui cognatus, idem & agnatus est, cum alterū sit ciuile & speciale, alterum uero naturale & longe communißimum nomen. Cognati porrò (ut Labeo describit) sunt qui cōmune nascendi initium habuerunt, quasi unà communiter'ue nati, Græci συγγενεῖς uocant, l. non facile. §. cognati. l. iurisconsultus. ff. de gradibus adfin. & l. 1. §. cognati. ff. unde cognati. Proinde ut receptui canam, Iustinianus in hoc titulo exponit quos lex xuiralis agnatorum iure censeri uoluerit, deinde quomodo Prætor huiusmodi ciuilis iuris asperitatem humanis modis corrigens fœminis bonorum posseßionem primum, nomine proximitatis, quo antiquato postmodum, per unde cognati polliceatur. Nouißime Imperator ad plenum omnia reducens, non tam legem xuiralem, quàm Prætoris Edicta corrigit, & omnes per uirilem

Agnati hodie etiam cognati sunt.

Cognati.

rilem sexum descendentes, siue masculi sint siue fœminæ, ad successionem æqua ratione producit.

Germane &c.

Locus de agnatis frequentem fratrum atque sororum mentionem facit, ubi ne ignores, quod pueri quoque scire solent, aduertendum est, Fratrem (secundum P. Nigidium) dici quasi ferè alterū, scilicet patrem, aut eū qui familiam sustinet, quare & Græcis φρήτωρ, *hoc est, cōtribulis esse uidetur, etenim qui nascuntur patris familiam obtinent. l. fœminæ. ff. de uerb. signifi. l. exemplo. & l. eos qui. C. de decurio. lib* x. *Soror uero Antistio Labeoni adpellata est, (ut Aul. Gellius lib.* XIII. *cap.* X. *refert) quasi seorsum orta, separataq́; ab ea domo in qua nascitur, in aliam siquidem familiam traducitur, mariti puto cuius non minus forum quàm dignitatem adsequi solet. l. fœminæ. ff. de senatorib. & in* Auten. *de Consulib. §. hoc itaque. coll. iiij. Et quemadmodum fratres apud Iureconsultum bifariam dicuntur, nam qui ex eodem patre nascuntur utcunq; diuersas habeant matres, cōsanguinei sunt aut Germani, supra cod. tit. §. sunt autem. Qui uero ex eadem matre, diuersis licet patribus, uterini habentur, quos Græcis* ἀδελφούς, ἀπὸ τῆς δελφύος, *hoc est à uulua seu uentre uocari, nomen ipsum indicio est, ita sororem modo Germanam seu consanguineam dicimus, quæ ex eodem patre, & quasi indigena, hoc est ex paterno germine nata est, itaq;* γνήσιον *seu* ἐσχάριον *(cuius Ambrosius in* V. *Hexameron meminit) erit, quicquid paterni sanguinis est. Modo uterinam utpote ex eadem solum matre progenitam, accipimus: testimonio legis* XII. *tabularum.*

Frater unde.

Soror.

Fratres consanguinei.

Fratres uterini.

Soror germana.

Soror vterina.

tabularum.§.in ijs igitur.& l.meminimus.§.in qua constitutione.C. de legitimis hæredibus. Vnde nemo est qui non uideat quàm Interpres hoc loci, in uoce Germanæ, sit deceptus, quando ait germanæ, id est, natæ ex eodem patre & matre, cum germana ex eodem tantum sit patre, quod tamen hinc facile cognouisset, si loci habuisset, rationem quem Iustinianus tractat, nam lex XII. tabularum omnes agnatos siue masculos siue fœminas, (ubi sorores tantum & consanguinei connumerantur) ad similitudinem suorum ultro citroq; ad succeßionē uocabat. Prætor uero excogitata differentia, fœminis bonorum posseßionem polliceri occepit, primum nomine proximitatis, si neq; agnatus ullus, neque proximior cognatus, interuenisset, deinde per unde cognati. ex quo cum masculis quidem daretur uenire ad succeßionem omnium agnatorum, ex agnatis autē mulieribus, nulli penitus nisi soli sorori ad agnatorum fratrum succeßionem, patebat aditus, Iustinianus ut nihil inemendatum atque minus ciuile relinqueret, constituit omnes legitimas personas, hoc est, per uirilem sexum descendentes, siue masculini sint sexus siue fœminini, uidelicet ex fratribus nepotes aut ijs īferiores, pari ratione ad succeßionis legitimæ & collateralis iura abītestato uocari obseruata gradus prærogatiua, nec ideo fœminas aut ex fratribus nepotes seu filias ab hæreditate excludendas, quod consanguinitatis iura uti patrum sorores seu germanæ, quas prætor ad bonorum posseßionem per unde cognati uocabat, non habent, solæ enim filiæ paternam agnationem & consanguinitatis etiam cū fratribus iura, unde & germanæ cōsanguineæ adpellantur, habent

bent, & non ex fratribus nepotes, quæ patruum ſuum nulla agnationis ſeu conſanguinitatis ratione contingũt, dictante ſic ueteri tabularum iure, quas tamen nihilo magis à patrui defuncti ex ĩteſtato, ſucceßiõe ſemoueri, principali humanitati placuit.

Scilicet ubi frater & ſoror ſuperſtites non ſunt.

NOuo Codicis iure legitima collateralium agnatorum ſucceßio ubi fratres aut ſorores ſuperſtites eſſent in capita ſolum dabatur, hoc eſt, ex fratribus aut ſororibus filij filiæq; ſemoti penitus remanebant, ut qui in ſtirpes eo caſu non admittebantur, id quod nouißimo autenticarum iure emendatum eſt, quo conſtituitur ex fratribus ſororibus'ue filij filiæq; cũ defuncti fratribus ſororibus'ue in ſtirpes uocari quo & paßim utimur. Eſt in Autent. de hæredib. ab inteſta. uenientib. §. ſin autem. colla. IX. & id genus alijs locis.

Contracta fiducia &c.

COntractam fiduciam, adpellamus ius illud quod parens in ſucceßione filij, filiæ'ue, nepotis, neptis'ue, atq; ſic deinceps, quẽ emancipat, ſaluũ habere uoluit: Antiquitus enim qui emancipabat, ſolenni proteſtatione (ut uocãt) habita, dicere ſolebat, ſe nõ ita filiũ filiã'ue manu miſſurũ quin ei defuncto legitime ſit ſucceſſurus, ſed ſibi ius illud ſuccedendi perpetuo ſaluũ fore, quibus uerbis fiduciam cõparabat, & quaſi cum emãcipato cõtrahebat, futuræ ſucceßionis, quæ fiducia niſi interueniſſet coràm, atq; expreßis (ut aiũt) uerbis, defuncto ei quem emãcipauerat parẽs ſuccedere non poterat, quod ſatis durum eſſe Contracta fiducia.

princi

principali indulgentiæ uisum est, et sancitum protestatio nibus huiusmodi amplius opus nõ esse, sed emãcipationes liberorũ semper quasi cõtracta fiducia factas ĩtelligi. Est in l. fi. C. de emancipa. Cæterum & Boëtius in IIII. *Topicorum commẽtario, Fiduciam accepisse (inquit) dicitur cuicunq; res aliqua ea lege mancipatur, ut mancipanti aliquando remancipet, quæ mancipatio fiduciaria nominatur, idcirco quòd restituendi fides interponitur, quam & uenditionem dicere possumus redimendi & redhibendi lege factã, cuius plurima apud Ciceronem exẽpla habes.*

TITVLVS III.

De Senatusconsulto Tertulliano.

Senatusconsultum Tertullianum.



NTER *matrẽ & filios nulla ueteri iure successio erat, nisi quòd Prætor ex pximitate cognatorũ eos ultro citroq; ad bonorũ possessionem per unde cognati post agnatos uocabat, sed post hæc, & Claudiã sanctionẽ, Senatuscõsulto Tertulliano de tristi filiorũ succeßiõe, matri & nõ auiæ deferẽda cautũ est, quo ingenuæ mulieres treis filios enixæ, libertinæ aũt quæ* IIII. *peperissent, ad utriusq; sexus filiorũ etiam uulgo quæsitorũ hæreditatẽ abintestato admittebantur, quod Senatusconsultum Principi durius uisum est, quàm ut humanus adfectus æquè tulerit, animũ ad naturã (quæ mulieribus oppidò nouerca esse consueuit) puerperium, & id genus matrum pericula quæ susq; deq; filiorum caussa ferre oportet, tendens, disposuit, ut quæcunq; matres siue ingenuæ, siue libertinæ, siue ter, siue quater, siue etiã minus enixæ fuerint,*

fuerint, ad legitimam liberorum suorum hæreditatem ex intestato ueniāt. Quam constitutionē in hunc modū accipere debemus, ut affatim est in Autētica, de hæred. ab intestato uenientibus. §. si igitur. coll. IX. & reperitur in Auten. defuncto. C. ad S. C. Tertullianum. Ascendentis lineæ homines qui soli supersunt, defunctis liberis, succedūt secundum gradus prærogatiuā, sin uero utrinq; pares, tūc paternā lineam cōtingentes dimidium bonorū aut semissem, & maternā, alterū semissem recipiunt. Quod si pater, mater'ue, aut auus, auia'ue, unà cū defuncti fratribus, sororibus'ue, aut eorū, earum'ue filijs, filiabus'ue supersint, tūc omnes æqua lāce succedūt, fratribus & parentibus in capita, filijs uero fratrum in stirpes uenientibus, in Auten. ut fratrū filij. in prin. coll. V. Vbi rursus nō prætermittendū est. successionē illam fratrū, fratrum'ue filiorum cum ascendentibus, ad fratrum nepotes, nequaquàm esse extendendā, cū in materia (ut uocant) exorbitāte, & transuersali successione, adpellatione filiorū, nepotes nō sint comprehensi. Est locus in §. fin. Inst. qui testamento dari tut. poss. & glossa notabilis, in Auten. post fratres. C. de leg. hæred. docet magis abunde, ut omnia Ang. Aretinus in uerbo, præferuntur nostri tractatus.

Nepotes fratrū cum ascendentibus non succedunt.

Sed quemadmodum &c.

PErinde atq; matri in bonis liberorum & tristi successione principalibus constitutionibus prouisum est, ita matrem rebus filiorū præsidium aliunde nō habentiū cum minores sunt, operam haud defunctoriam collocare oportet. Tutorem enim nisi satis diligentē intra anni spatium præsertim ubi secundo nupserit, liberis suis pupillis, petiē

Mater tutorē liberis petere debet.

lis, petierit, aut in locum remoti, excusati'ue subrogare neglexerit, ab eorum impuberum successione prorsus fit aliena. Est *etiam in l. ij. §. si matr. ff. ad* Tertull. *& l. sciant. C. de legit. hæred. & l. omnem. C. ad senatuscon. tertullia. quo casu non est satis tutorem impetrasse, nisi res quoq; pupillares susceperit administrandas, & idoneus sit qui administret, nam in tutore minus idoneo & qui ex re pupillis nõ erit, impetrato, ut consilium matris seu negligens & temerarium leges damnant, ita ad impuberum hæreditatem eam nõ admittunt, cum idem sit,* Tutorem *aut non petijsse, aut minus idoneũ impetrasse, utrolibet enim modo pupillaribus rebus pessime fit consultũ, in prædicta l. ij. §. sed quod diximus. & §. non solum. ff. eo.* Proinde *non solum matris interest tutorẽ impetrasse sed omnium etiam eorum qui ad impuberum adspirant successionem, nisi æqua lege repelli malint, seu cauetur in l. sciant per iurisconsultos. C. de legit. hæredibus.*

Tutor ut sit idoneus.

Hæredes futuri tutores petere debent.

TITVLVS IIII.

De senatusconsulto Orphitiano.



IAM *mater liberorum tristem successionem habet, tam ex* S. C. Tertulliano, *quàm ex principali constitutione, sed cum ex diuerso neq; filij ad matrum hæreditates lege* XII. *tabularum essent uocati.* Nam *& is qui nascitur matri, & rursus mater ipsi, & ultro citroq; inter se qui nascuntur cognati sunt, l. ij. in fi. ff. unde cognati, operæpretium fuit, & liberis in hoc mederi, & quo pacto ad matrum quoq; successionem uenire poterint, dispicere.* Quod *fit*

partim

partim senatusconsulto, partim diualibus cõstitutionibus. Ex senatusconsulto Orphitiano, quod Orphitio & Rufo COSS. effectum, C.M. Antonini temporibus diuulgari cœpit intestatæ mulieris hæreditas ad filiũ, filiamq; perti net, siue sint legitimi, siue uulgo quæsiti, & siue sint soli siue cum legitimis, ut si mater illustris fuerit, eius spurios exhæredes fore legibus placuit, ut uel hinc illustrium mu lierum libido citius refrenetur, iuxta autenticam, quib. mo dis nat. effic. sui. Sed cum ex Senatuscõsulto solum filij & filiæ ad matris successionem uocentur, diualibus dispositionibus id emendatũ est, atq; exinde additum uti & nepotes, & neptes ad similitudinem filiorum filiarumq; ad auiæ successionem legitimo iure uocentur. Senatusconf. Orphitianũ. Orphitianum Senatuscõsul. emendatum.

Nouæ hæreditates &c.

OMne ius ciuile post leges XII. tabu. introductum, uti sunt edicta Prætorũ, Senatuscõsulta, Plebiscita, principum constitutiones, & id genus aliæ iuris parteis, nouum ius dicimus (licet uulgus Interpretũ nouum ius ad Codicis tantum sanctiones, referat) quadrat quod notatur in l.j.ff. ut ex legib. Senatusq; consul. poss. & in l. fin.ff. de regula catoniana. Hinc est, quod Iustinianus in præsentiarum, & Iurisconsultus l.j.§. capitis.ff. ad senatusc. Orphitianum, nouas hæreditates eas adpellant, quæ post XII. tabularum leges, Iure honorario Prætorum, Senatus'ue Consultis, aut aliàs principum cõstitutionibus deferruntur, quæ cum ex cognationis iure descendant, minima capitis diminutione non perimuntur, neque dispereunt, nam filiusfamilias utcunq; sit emancipatus, & sic capite diminutus, matrem ex Senatuscõsulto Tertulliano* Nouum ius. Nouæ hæredi tates quæ dicã tur.

successorem habet, & ipse è contrario matri ex Orphitiano hæres, esto, sola enim agnatio quia iuris ciuilis nomen est, capitis diminutione etiam minima tollitur, successioneq; impedit, præter hoc quod Prætor capite diminutos ex agnatis tertio ordine ad bonorum uocat possessionem, uti inferius est, titulo proximo. §. 1.

TITVLVS V.
De successione cognatorum.



HACTENVS *quomodo tam suis hæredibus quàm cognatis ex xuirali lege, edictis Prætorum, Senatusconsultis, necnon diualibus constitutionibus hæreditates abintestato deferuntur, expositum est: sed cum nouum ius præsertim Prætoris humanitate primo introductū, etiam cognatis mederi constituerit id qua ratione sit factum, hoc loci de successione cognatorum, uidere est, quæ tamen ad interpretationem rerum ciuilium, ob id magis spectare uidentur, quàm ad negocia quæ foro tractamus, quòd hodie omni & cognationis & agnationis, præterea sexus differentia sublata eadem sit ratio succedēdi in cognatis quæ est in agnatis, eo tantum obseruato gradu, quo quisque proximior uocatur. Quare tyronibus iuris prudentiæ, ad huiusmodi difficultates perinde ad Sirenæos scopulos immorandū esse non censemus, sed ijs obiter, & quantū ad principia satis est, exceptis, ad eas statim iuris partes properandum quæ usui magis habentur, rectaq; progrediuntur. Et ne præfationes adnotationum loco cōtexere, uidear,*

Cognatorū ratio ad interpretationem iuris pertinet.

uideat, Cognati tametsi quibus cõmune nascendi initium contigit, amplissima significatione uocamur, ut autor est Labeo, propria tamen & distincta uoce, Cognatos adpellamus in hoc titulo, per fœminas oriundos, uel per fœminini sexus cognationem iunctos: Non quod uirum ortus sui principiũ non habeant, sed quod ea persona per quam ad successionem defuncti abintestato uocari desideramus, fœmina est, & antiquo tabularum iure præter sororem, incognita, uerbi gratia, Sempronius ex intestato moriens, relinquit Actium fratrem, atque Albedis sororis filium, modo Actius quia sororis filium cognatũ habet, hoc est, per fœmininum sexum, uidelicet sororem, sibi tantum coniunctum, ipse ex lege XII. tab. sorori aut est agnatus, excluso eius filio, solum hæres est, quod idem in reliquis cuiuscunq; gradus cognatis, uenit considerandum, quibus agnati etiam si x. gradu sint, præferuntur. Et cum penitus semoti cognati essent, & iure antiquo incogniti, docet Iustinianus quo pacto Prætor tertio ordine (hoc est, si nullus neq; suus hæres, neq; agnatus superfit) cognatis et ex transuerso cognatione iunctis, bonorũ possessionem proximitatis nomine, atq; secundum gradus prærogatiuã pollicetur, quibus & uulgo quæsitos adnumerari, ut cognationis solum ius habentes, propter incognitum patrem, nihil prohibet. His adde, agnatos in x. usq; gradum, iure ciuili, Cognatos uero in VI. gradũ de iure Pratorio ad hæreditates ex intestato admitti. Cognati.

TITVLVS VI.
De gradibus cognationum.

Cognatio.



OMEN *cognationis à Græca uoce* Συγγονὴς *dictũ uidetur, sic enim illi uocant, quos nos cognatos adpellamus, sed & iuxta fusißimã significationẽ hoc titulo, cognatio est quã & agnationẽ lex*

Gradus unde,

XII. *tabularũ adpellat, et Modestinus ab eodẽ pgeneratio nem. Gradus aũt dicti sunt ad similitudinẽ scalarũ, locorũ'ue procliuiũ, quos ita ingredimur, ut à proximo in proximũ autore* Paulo, *id est, in eũ qui quasi ex eo nascitur, transeamus.* Eius *ut compendiariam rationem habeas, aduertendum est, Graduum cognationis alios superioris ordinis esse, alios inferioris, alios ex transuerso, siue à latere. Superioris sunt ordinis parentes, quos uulgo ascendẽtes adpellamus.* Inferioris, *liberi, & deorsum uersus de*-

Transuersales.

scendentes. Ex *transuerso siue à latere, fratres et sorores, eorumq; liberi.* Sed *superior quidem & inferior cognatio, à primo gradu incipit.* Ex *transuerso autem siue à latere coniuncti, primum gradum non habent, sed à secun*-

Parentes.

do initium sumunt, ubi rursus monẽdi sumus, parẽtes (ut Paulus *scribit) usq; ad tritauum apud* Romanos *proprio uocabulo nominari,* Vlteriores *qui non habent speciale*

Maiores.

nomen, maiores. Item *liberos usque ad* Trinepotem, *eos*

Posteriores.

ultra posteriores uocari. Proinde *inter sursum uersus adscendentes, & inferiori ordine descendẽtes iura nihil uariant, sed eandem cognationis rationem constituunt, singulis personis singulos gradus adtribuentia.* Inter *transuersales uero quia iura diuersam habent cõsiderationem diuersimode gradus digerunt & ratiocinantur: Sic ius ciuile graduum ordinẽ solum introduxit, ut hæreditates*

inter

inter cognatos ab una persona in alteram, legitimis modis desirantur, apud Bar.in.l.iurisconsultus.ff.de gradib. adfi.quare uoluit singulas personas gradus constituere. Ius uero Pontificium in hoc gradus transuersalium numerat, ut hinc cognosceremus quoti gradus personæ nuptias contrahere & legitime iungi poßint, nam de nuptijs constituere aut uetare sibi uni & licere, & datum, orbi persuasit, cumq; nuptiæ inter duas fiant personas marẽ puta & fœminã, placuit Pontifi.Max.duas ex transuerso personas (nam inter ascendentes & descendentes nulla unquam cõnubia admitti nemini dubium est) unũ constituere gradum. Exempli gratia: Filios duorum fratrum, quia in quarto sunt inuicem gradu, leges à nuptijs non prohibent. Iure autem Pontificio secundi tantum gradus habẽtur, qui à nuptijs manet alienus, dictante sanguinis honestate, in eo maxime orbe, qui hominum frequẽtia diues, sanguinis neceßitudini parcere docet, colligit Angelus in §.hactenus.& iurecosulti in.l fin.C.de successorio edicto. Fusius tamen in.c.ad sedem.atque alijs similibus xxxx.q.v.

In gradibus transuersalium uariant.

Postremo quia iura quædam (ut Modestinus inquit) inter adfines quoque uersantur, non uidetur alienum & de ijs breuiter hoc loco differere. Porrò adfines sunt uiri et uxoris cognati, dicti ab eo quod duæ cognationes quæ diuersæ inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit, nanque coniungẽdæ adfinitatis caussa ex nuptijs oritur. Nomina adfinium hæc sunt, Socer, socrus, gener, nurus, nouerca, uitricus, priuignus, priuigna.

Adfines.

Adfinitatis sanè iure ciuili nulli sunt gradus, quare mihi nō modice errasse uidentur, qui magnū illum tractatū, in Pādectarū XXXVIII. libro, de gradibus adfinitatis inscripserunt, cū, uti noster indicio est, de gradibus cognationū esse debeat, uel ut alij habēt, de gradibus, et adfinibus, & nominibus eorū. testes erūt. l. j. & l. iuriscōsultus. eiusdem tractatus, nisi hoc sibi patrocinari uelint, quod Paulus ait, Iurisconsultum cognatorum gradus & adfinium nosse debere, ubi tamen nulla amplius adfinium mētio, sed magis indicat Adfines ad cognatos restringendos, sed & in hoc liberū ego cuiq; iudicium permitto. Viri pater, uxorisq;, socer, mater autem eorum socrus adpellatur. Græci distinctius quibus uiri pater ἑκυρὸς, mater uero ἑκυρὰ, uxoris pater πενθερὸς, mater uero πενθερὰ uocatur. Filij uxorem nurum, Filiæ uero uirum socerum adpellamus. Sic Ouidius in. j Metamorphoseos:

De gradibus adfinitatis titulus, falso inscribitur.

Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero, fratrum quoq; gratia rara est.
Imminet exitio uir coniugis, illa mariti.

Nouerca. Vitricus. Priuigni.

Vxor liberis ex alia uxore natis, Nouerca dicitur: matris uir liberis ex alio uiro natis, Vitricus: eorum uterq; natos aliunde priuignos, priuignasq; uocant. Socer magnus dicitur uxoris meæ auus, cui ego sum progener, & retro pater meus uxoris meæ socer est, hæc illi nurus, & auus meus, socer magnus est, illa illi pronurus. Item prosocrus uxoris meæ auia dicitur, & ego illius progener. Et retro mater mea, uxoris meæ socrus est, illa huic nurus, & auia mea, socrus magna est, & uxor mea illi pronurus: Viri frater, leuir adpellatur Græcis δαὴρ, sic He

Leuir.

sic Helena apud Homerum in vj. Iliad. Hectora affatur, δαὲρ ἐμεῖο κυνὸς κακομηχάνου ὀκρυοέσσης*, hoc est, Leuir mei canellæ mali caussatricis. Viri soror, glos est, Græcis* γάλως*, duorum autem fratrum uxores* εἰνατέρες *Græci dicunt, quod uno uersu idem Homerus significat,*

Δαέρων, ἢ γαλόων, ἢ εἰνατέρων εὐπέπλων,

Leuirorum, aut uiri sororum, aut fratrum uxorum peplis ornatarum, quos Homeri locos ob id retuli, quod illi in l. non facile. ff. de gradib. cogn. in nonnullis exemplaribus desyderantur.

TITVLVS VII.
De seruili cognatione.



SERVILEM *cognationem, illam sanguinis necessitudinē dicimus, quā filij seruorum erga parentes contraxerūt, unde succedēdi ius proficiscitur, & parētibus & seruis manumissis, quam cognationem nec ulla lex antiqua, nec Prætorum Edicta iuuabāt, ut etiam est in l. seruus. C. communia de successionib. & l. placet. ff. de adqui. hæreditate. Solus autem Iustinianus principali humanitate ductus, constituit, ut serui nati & deinde manumissi, nō modo parentibus, similiter libertati donatis iure cognationis ex intestato succedāt, sed etiam sibi inuicem, & cum reliquis fratribus (si ipsi naturales fuerint) ex legitimis nuptijs, atq; in media libertate procreatis ad successionē uocentur, idq; solū post adeptā & parentū & ipsorum libertatem, cū inter seruilis conditionis personas, ut nullæ sunt nuptiæ, ita neq; hæreditariæ successiones esse poterunt,* Cognatio seruilis.

terunt, dominis enim suis adquirunt quicquid adquirunt l. cum ancilla. C. de incestis nupt. & prædicta l. seruus. C. communia de successionibus. Hodie uero utroq; *&* Ponti*ficum & autentiarum iure, nuptiæ etiam inter seruos cõsistunt, quare ex his successiones consuetudo paulatim admisit, in auten. de nuptijs. §. si uero. colla. iiij. l. fina. C. de agricolis & censitis. libro xj. atq; in toto tractatu* Decre*talium de coniugio seruorum.*

Nuptiæ inter seruos.

TITVLVS VIII.

De successione libertorum.



N XII. *tabularum iure sic scriptum erat: Si libertus abintestato moriatur, nullũ hæredem suum relinquens, patronus ei succedito, quod tunc iniquum fore,* Prætori ui*sum est, si adoptiuus tantum filius, qui & ipse suorũ numero habebatur, superesset, unde edixit, libertus filijs adoptiuis auctus quoties testamẽtũ faceret, patrono semissem bonorum relinqueret, quo posthabito, dabatur patrono partis dimidiæ bonorum possessio per contra tabulas testamenti, quod idem fiebat si intestatus moriebatur filio adoptiuo suo hærede relicto, postea* Papio *&* Pop*pæo* COSS. *patronis nonnihil adcreuit, nam lege cautũ est, ut ex bonis liberti, qui pauciores quàm treis liberos, & præterea sestertiorum centum millium, id est, centum aureorũ patrimoniũ reliquisset, siue is testamento facto, siue intestatus mortuus esset, uirilis portio cederet patrono, hoc est, quantũ quisque filiorũ acciperet, tantũ & patronus obtineret, sed cum ijsdem quoq; modis successioni*

libertorũ

libertorum nõ plene uideretur consultum. Iniquum siquidem erat, eos qui Romana ciuitate atq; adeo libertate donati essent, liberos suos ex integro non inuenire hæredes atque successores, sed perinde adhuc serui forent, alienis rem fecisse, ab Imperatore definitum est, ut patronis in bona libertorum absque suis hæredibus mortuorum ius illud xuirale saluum maneret. Sin uero testamentum fecerit libertus nullis relictis liberis, aut ijs exhæredatis, qui sestertiorum centum millium substantiam aut pluris reliquit, & patronum patronam'ue testamento præterijt, tunc ex liberti libertæ'ue patrimonio, patronus patrona'ue, non ut antea ex Prætoris edicto, semissem, sed quadrantem solum, hoc est, tertiam partem absq; omni onere habeto, liberis autem & bonorum possessoribus superstitibus, siue testati, siue intestati liberti, etiam centenarij, hoc est, centum aureorum patrimonium amplius'ue habentes, moriantur, patroni modis omnibus unà cum prole sua, ab successione repellũtur. Ex quibus facile colligitur, Successionem libertorum, hoc loci, eam non intelligi, qua liberti succedunt, sed eam potius, qua libertis succeditur, modo à patronis eorumq; coniunctis, idq; in V. gradum, modo à liberis suisq; hæredibus & bonorum possessoribus, in quibus hactenus est laboratum & uariarũt iura, donec Iustinianus lites & diremit & composuit. Successio libertorum intelligitur.

Postea uero lege Papia.

L*Egem (cuius mentio fit) Papiam Poppœam Romani scriptores adpellant, utpote Diui Augusti temporibus Papio, & Poppœo* COSS. *latam. Eam D. Augustus iam senior, & post Iulias rogationes (uti Corne-* Lex papia poppœa.

lius Tacitus historiarum libro iij.) incitandis cœlibum pœnis, & augendo ærario, sanxerat, cuius plura fuisse capita, uel hinc patet, quod inter cætera uno cauebatur, ut qui coniuges filios non haberent, quod alter alteri legasset decima parte fisco adpliaretur, id quod postea diuorum Honorij & Theodosij rescripto antiquatum est, l. fi. C. de infirman. pœnis cœlibatus. Cui Tiberius Cæsar & illud adiecit, sexagenarius uxorem ne ducito, eo quod generandis filijs ætas illa penitus inutilis sit uisa, quod legis caput, primum Claudius Cæsar autore Tranquillo, deinde Iustinianus noster in l. sancimus. C. de nuptijs. abrogarunt, cum etiam in ætate illa grandæua nonnullos procreasse historiæ tradant, quemadmodum Maßinissam Numidiæ regem post LXXXVI. annos Methimathnum filium. Et Catonem Censorinum LXXX. anno expleto, M. Catonẽ Salonianum, Catonis Vticensis auum, ex Salonij clientis sui, filia procreasse legimus, apud Iulium Solinum memorabilium libro, & Plinium lib. vij. cap. xiiij. Aul. Gellium lib. noctium xiiij. cap. xix.

Cœlibatus pœna.

Sexagenarius ne uxorem ducito.

Masinissa senex procreauit.

Præterea lex est quam Papiam uocant, alia ab ea quam & Poppœam dici scripsimus, qua sortitio illa, quæ pro uirgine, ex XX. è populo Pontificis Maxi. arbitratu selectis, Vestalium numero adsciscenda pro contione fiebat, ut minus necessaria abrogata est: eam rem, quia nostri operis non est, retulerunt Aul. Gellius lib. j. cap. xij. & L. fenestella in de Magistra. Roma. ubi de uirginib. uestalibus differit.

Sortitio pro uirgine uestali.

Postea uero Senatusconsulto Largiano &c.

Senatus

SEnatus quoque consulti Largiani non unũ caput fuisse, argumento est, quod Largianum Senatuscon.ut Placentinus scribit, idem fermè uoluerit quod lex Iunia Norbana, uidelicet Latinam libertatem eã esse debere, in qua mortis tempore in una, eademq; persona simul & libertas & seruitus concurrerent, dum enim hac lege manumißi uitam suam liberi peregissent, ultimo tandem spiritu non modo in mortem, sed etiam in seruitutem protrudebãtur, Iustinianus uero altero Largiani capite refert cautũ, ut liberi manumissoris non nominatim exhæredes facti extraneis eorũ hæredibus in libertorũ bonis præponerentur, quæ cũ hodie antiquata habemus, quãtum cognitioni iuris ciuilis satis est, loco immorandum duntaxat arbitramur. Senatuscon. Largianum.

TITVLVS IX.

De assignatone libertorum.



SI quis duos plures'ue liberos ex iustis nuptijs quæsitos ĩ potestate habeat, et præterea libertos, libertas'ue, Senatuscõsulto qđ Claudij Cæsaris temporibus Velleio Ruffo & Hostorio Scapula COSS. factũ est, cauebatur, Patronũ uni uel pluribus ex liberis in potestate cõstitutis, libertũ, libertã'ue in hũc modũ posse adsignare, ut defuncto manumissore, is cui adsignatus esset, solus et patronus et successor ĩ bona adsignati cæteris paribus haberetur. Et hæc est adsignatio libertorũ siue adscriptio ꝑ quã is cui adsignãtur ẽt ius adqrit præ alijs fratribus et patronatus et succeßiõis, de quo præsenti titu. exponitur, et in XXXVIII. Pãdectarũ li. de adsignãdis libertis Assignatio libertorum.

Titu

TITVLVS X.
De bonorum possessionibus.

Bona vnde.



ONA *Vlpianus in.l.bonorum.ff.de uer. signifi. ex eo naturaliter dici censet, quod beat, hoc est, prosunt aut beatos faciũt, sic etenim beare, prodesse adpellamus, & bonorum adpellatione uniuersitatem quandam, & non singulas res demonstrari, Aphricanus ostendit. Vnde bonorum possessio, uno uerborum contextu deriuatum nomen à Praetore introductum est, idem ualens quod haereditas, diuersa tamen ratione.l.haereditatis.ff.de uerbo. signifi. & .l.bona.§.haereditas.ff.de bo.posses.* Bonorum posses*sio secundum Vlpianum, est ius persequendi patrimonij, siue rei, quae cuiusq; cum moritur, fuit. & quemadmodum haereditas non corporum sed iuris nomen est, iuri ciuili accommodatum.l.haereditas.ff.de peti. haereditatis. & .l.pecuniae.§.haereditas.ff.de uerbo.signi.ita & bonorum possessio, ad ius solum quod Praetor adcommodauit, respicit, quo fit, ut notabile sit discrimen apud Iurisconsultos inter bonorum possessionem compositum uerbum quod in iure solum consistit, & possessionem bonorum, duobus uerbis figuratam orationem, quae in facto tantum usurpatur, pro ea scilicet possessione quam quis naturaliter habet, & nihil ad Praetoris considerationem facit.* Qua de *caussa, nemo est qui non uideat, quàm sit deceptus* M. T. *Ciceronis interpres, quisquis ille est, in epistola quadam ad Trebatium, dum possessionem bonorum Praetoriam esse ineptissime diuinat, nam Praetor gratia ueteris iuris,*

Bonorum possessio.

Differunt bonorũ possessio & possessio bonorum.

ris,(hoc est legatum XII. *tabularum) aut emendandi, aut impugnandi, aut confirmandi, quia aliam iurisdictionem à ciuili introducebat, alia quoque adpellatione ius illud quod pollicebatur, puta bonorum possessione, significari uoluit.* In *summa, hæreditas iuris ciuilis tantum est, et bonorum possessio prætoris, unde est quod diant,* Prætorem *hæredem facere non posse, cum hoc sit iuris tantum ciuilis, sed bonorum possessorem, qui hæredis est loco. Cæterum bonorum possessionis usus, non tam frequens est, ut hæreditatum, propter ius ciuile recentioribus* Principum *constitutionibus emẽdatum restitutumq́;, quo quisq; directo aliqd adquirere mauult, quàm remedijs* Prætorum *incumbere, quæ alterum post leges* XII. *tabularum, perplexitatis gradum retinent, ob id satis duxerim ea hic aduertisse, quæ* Imperator *compendiosa & planè diligenti ratione exponit, ubi quidquid desideratur, ad apices iuris ciuilis (ut uocant) & curiosas studiosorum indagationes, magis spectat, quàm ut primordijs confundi debeat. Cumprimis igitur docet, quare* Prætor *ius percipiendarum hæreditatum per legem* XII. *tabu. angustißimis finibus inclusum, ex bono & æquo dilatarit, deinde refert bonorum possessiones à* Prætore *introductas, quæ partim sunt ex testamento, uti contra tabulas quibus liberis emancipatis, & in patris testamento præteritis subueniebat, & secundum tabulas, nam de iure ciuili hæres solum in testamento nuncupatiuo poterat adire hæreditatem.* Prætor *uero testamentum in scriptis inuenit in quo scripto hæredi bono. possess. secundum tabulas pollicetur, quod genus testamenti postmodum ad ius*

Prætorij iuris usus non tã frequens est.

ius ciuile quoq; cum iure adeundi est redactum secundũ.l. Hac consultissima.C.de testa.partim ab intestato,quarum rursus VIII. *sunt ordines ex quibus semper qui anterior est,eum excludit,qui posteriori loco sequitur.* Verbi *gratia,primo loco suis hæredibus,et ijs qui ex edicto* Prætoris*,inter suos hæredes connumerantur, dat bonorũ possessionem,quæ uocatur unde liberi. Secundo autem loco legitimis hæredibus,modo quoties supersunt sui hæredes legitimi,qui secundo uocantur, manent semoti, & sic alij quoq; ordines bonorum possessionis sunt intelligendi ad similitudinem graduum hæredum ex intestato ueniętiũ.* Tertio docet,*quas ex ijs bonorum possessionibus in uigore suo permanere iusserit, & quas ut minus necessarias ipse resecarit, ubi aduerte, bonorum possessionem unde* x.*personæ,quam* v. *loco esse ait facile in* v.*loco inueniri, si ab ijs bonorum possessionibus numerare cœperis quæ ex testamento quoq; dantur, quarum* II. *sunt,& earum quæ abintestato* VIII. *& sic* x. *erunt in uniuersum bonorum possessiones.* Postremo *ne creditores aut diutius percunctãdo eludantur,aut facile in possessionem bonorum defuncti mittuntur,atq; eo modo sibi ipsi consulerent,subiungit petendæ bonorum possessioni certum tempus à* Prætore *esse præfinitum quo quis bonorum possessionem aut petere, aut alteri eiusdem gradus bonorum possessori,uel deinceps remotiori ipsam relinquere compellctur.*

Facultas adeundi hæreditatẽ. Quibus *adde,facultatẽ adeũdi hæreditatem iure ciuili esse perpetuã.i.*xxx.*annorum,præsertim ei qui ignorat sibi delatã,in.l.licet.& ibi* Iureconsulti. C. *de iure deliberan*

berandi, sed tempus petendæ seu agnoscendæ bonorum possessionis ex edicto angustius est. Prætor siquidem tam liberis, siue emancipati fuerint, siue adoptiui, quàm parentibus, ob sanguinis honorem, & quia penè ad propria bona anhelant, anni spatium quo bonorum possessionem uel petere uel agnoscere possint, æquissime præstituit, iuxta l.1.§.largius.ff.de successo.edicto.& l.emancipata.C. qui admitti ad bono.possess. Reliquis uero puta ex transuerso coniunctis quales sunt agnati aut cognati centum dierum intercapedinem præfinuit: ab eo tempore quo defunctum quisq; certo resciuit: quibus bonorum possessionem agnoscant, ut etiam est in l. si bonorum. C. qui admitti ad bo.pos.pos. & in prædicta l.1.§. si intra. ff.de successorio edicto. Quos dies utiles adpellamus, eo quod in singulis (nam & singuli currunt) eorum quis bonorum possessionem petere aut agnoscere poterit, & non cogitur elapsum expectare tempus, est textus in l. utile.ff. quis ordo in bonorum possessio. seruetur. neque eos solum dies, quibus Prætor ius dicit, cum sufficiat bonorum possessionem interim petere, neque opus est decreto, quod Prætorem pro tribunali sedentem interponere oportet, ad similitudinem insinuationis quæ haud dissimiliter iudice nihil respondente fieri potest. l. fina. C. qui admitti ad bonorum possess.pos. & l.illud. atque ibi iureconsulti.C.de sacrosanc. eccles. Primo tamen bonorum possessio. solennibus modis coram Prætore petebantur, sed ante Iustinianum Principes satis fore sunt arbitrati, si quis intra præfinitum tempus animum bonorum possessionem admittentis quocunq; modo osten

Tempus petēdæ bonorū possessionis.

Dies utiles quare.

Agnoscere bo. possess.

ostenderit, & hoc uidetur esse, quod postmodum bonorũ possessionem agnoscere, magis usitate dixerunt.

TITVLVS XI.

De adquisitione per adrogationem.



T hæc succedendi in uniuersum ius quod defunctus habuit, species censetur, neq; iure xuirali, neq; Prætoris iurisdictione, sed solo cõsensu recepta quæ adquisitio per adrogationẽ dicitur, propterea, qđ eius beneficio pater adoptiuus seu adrogator, in omnibus adrogati bonis, siue corporalia essent, siue incorporalia, antea quidem ex consuetudine quàm consensus peperit, plenum ius adquirebat, eiq; solus successor erat.

Per adrogationẽ adquiritur.

Hodie uero *adquisitio illa per adrogationem breuioribus est inclusa finibus, quãdo Imperator cauit, nihil aliud tam naturalibus parentibus quã adoptiuis per filiosfamilias adquiri, nisi tantummodo usumfructum, præsertim in ijs rebus quæ extrinsecus filijs obueniunt, uel quæ pro aduentitijs habentur.* Mortuo autem adrogato *in adoptiua familia dominium cum usufructu consolidari, nisi pater naturalis & legitimus, aut mater, superfint, qui patrem adoptiuum, hoc est, legitimum & ciuilem tantum in aduẽtitijs haud dubie excludunt.* Huic loco *si quid addendum uenit, est in l corruptionem .§. quare enim.C. de usufructu. & l. si adrogator. ff. de adoptionibus .l. fin.C. communia de success. & in Auten. de hæredibus abintest. uenien.§. consequens. col. ix.*

Titulus

TITVLVS XII.
De eo cui libertatis causa bona addicuntur.


DDICERE *inter alia est destinare seu deuouere, uti & Budæus in titulũ de in diẽ addictione scriptum reliquit, quemadmodum Cicero in iij. de officijs lib. de duobus Pytagoreis singulari amicicia iunctis, loquẽs. Cũ is (ait) qui morti addictus esset, paucos dies commendãdorũ suorum gratia postulasset. Et Flaccus, Nullius addictus iurare in uerba magistri. hinc addictos uocamus obæratos homines, alia uoce nexos, quos lex* XII. *tab. ob æs alienũ creditoribus nõ modo in tẽporariã seruitutẽ addicebat, deuouebatq; sed etiã inter creditores si plures essent, certis casibus ipsorũ corpus secari pmittebat, Lex* XII. *ta. quia scitu digna est, de addictis in hæc uerba erat scripta:* Addicere. Addicti. Lex xij. tab. de addictis.

Aeris confessi, rebusq; iure iudicatis XXX. *dies iusti sunto, post deinde manus iniectio esto, in ius ducito, ni iudicatum facit, aut qui pseudo eo iure uim dicit, secũ ducito, uincito aut neruo, aut cõpedibus* XV. *pondo, ne minore, aut si uolet, maiore uincito: Si uolet, suo uiuito, ni suo uiuit, qui eum uinctũ habebit, libras farris in dies dato, si uolet, plus dato: In uinculis* LX. *dies habeto, Inter eos dies trinis nundinis cõtinuis ad prætorẽ in comitiũ producito, quantæq; pecuniæ iudicatus erit, prædicato, Tertijs autẽ nũdinis (si interea pactus nõ sit) capitis pœnas dato, aut trans* Tyberim *peregre uenum ito, & si plures forent quibus reus esset iudicatus, tertijs nũdinis parteis*

secanto, si plus minus'ue secuerunt, sine fraude estò.

Quam legē tametsi phauorinus Philosophus in. xx. apud Gellium libr. duram & planè inhumanā iudicet, Sextus tamē Cæcilius iureconsultus eā tam acerbæ fidei seruandæ gratia fuisse latā affirmat, magis in terriculamentum eorū qui temere & nullo restituendi animo æs aliunde conflatū per tabernas passim insumebāt, quàm ut pœnæ īmanitati esset inhiatū, eo nempe consilio tāta pœnæ sæuitia denunciata est, ne unquam ad eam per ueniretur. uincti itaque plures fuerunt, quādo uinculorū pœnam mali homines ut tolerabiliorem contemnere solent, dissectum autem esse antiquius, neminem equidem neque legi (inqt, neq; audiui, quoniam sæuitia ista pœnæ contemni non quita est.

Nemo ob æs alienū dissectus

Dies Iusti.

Iustitium.

Porrò lex XII. tabu. hoc uult. Confessi æris, ac debiti iudicati XXX. dies sunto dati cōquirēdæ pecuniæ caussa quā dissoluerent, eosq; dies, iustos xuiri appellauerūt, uelut quoddā Iustitium, id est, iuris inter eos quasi inter stitionem quādam & cessationē, quibus diebus nihil cum ijs iure agi posset, post deinde nisi dissoluerint ad prætorem uocabantur, à quo quibus erant adiudicati, addicebantur. erat autem ius interea paciscendi, & nisi pacti forent, habebantur in uinculis dies LX. inter quos dies trinis nundinis continuis ad Prætorem in comitiū producebātur, quibus adhuc paciscendi facultas erat, donec ad capitis pœnas damnarentur.

Fasti dies.

Ex quibus facile intelliges locū illū Macrobianum, quo scribitur, Fastos dies esse quibus licebat fari tria uerba solennia, do, dico, addico, quibus contrarij essent

Nefasti.

Nefasti. Fastis siquidem diebus iure agebatur, & Prætor officium suum exercebat, tribus uerbis designatum, do, dicō, addico, sic per do significabat, se illis diebus, dare bonorum possessionem, uerbo dicò, dies esse iudicarios, quibus ius diceret, redderetq; petenti, quare & M. Varro, dico græcam originem habere scribit, nempè à uerbo δικάζω *quod est iudico, p addico, quod obæratos creditoribus suis iuxta legem xuiralem addiceret, adiudicaretq;. Postea uero, quia L. Papirius nobilis fœnerator, iuuenem quem forma & ætate præclarum ob paternum æs alienum, nexum addictumq; habebat, eo quod sibi pudicicia prosternere recusauerat uerberibus lacerauit, C. Petilio, & L. Papyrio Mugillano COSS. lex Petilia ad populū lata est, qua cauetur, ut nullus (nisi qui noxā meruisset) in compedibus aut neruo lueret, neq; in posterum aliquis ob æs alienū necteretur, addiceretur'ue, & pecuniæ creditæ non corpus obnoxium esset, sed bona debitoris, itaque addicti missionem obtinuerunt, rupto eò uinculo quod ueteres Romani fidei pignus iam olim tenuerunt.*

Do. Dico. Addico. Lex Petilia.

Præterea non est silentio prætereundum, Iustos illos XXX. dies quos cōfessi æris, aut iudicati debiti pro solutiōis intercapedine ex xuirali iure rei habebāt, postmodum in II. menses, & hodie Iustiniano autore in IIII. menses conuersos, quibus nisi æs confessum soluatur, ad pignora progredimur, eorumq; distractionem.

Ne'ue diutius parergis te suspendam, Addicere est licitanti rē auferendā permittere, aut solennibus modis destinare, propriam'ue relinqnere, argumēto tituli ī xyiij.

x 2 Pande

Pandectarum libro, de in diem addictione, quam in hũc modum restituendum: etiam si eruditi tacerent: tamẽ res ipsa moneret, cum uulgus, de in diem adlectione, legat satis perperam, & noster tractatus, de eo cui bona libertatis causa addicũtur, quo & libertatibus ne pessum eant, & defunctis, ne bona eorum à creditoribus possideãtur, aut ueneant, est subuentum.

De in diem addictione.

Nam si cui in testamẽto libertas data est, atque ex eõ nemo futurus sit hæres, quare & libertatem euanescere oporteret, potest is cui libertas datur Prætorem seu eum cuius de ea re notio siue iurisdictio est, adire, & petere, ut bona defuncti libertatis tuendæ caußa sibi addicantur, idq; Prætorem ex rescripto D. Marci facere oportet, modo idoneè, hoc est, per fideiussores, aut pignora data caueat, se creditoribus quod debetur ex integro soluturũ, qua bonorũ addictione non solũ fit liber qui hoc petit, sed in huiusmodi defuncti res plenum ius, & successionẽ pinde atque hæres esset institutus etiã adquirit, quapropter & hunc titulũ, de eo cui libertatis caussa, id est, propter tuendam libertatẽ quam testamento accepit, bona addicũtur, ijs Institutionũ partibus adcõmodauit, quæ sunt uti res p uniuersitatẽ adquirũtur. Prius igitur uerba rescripti, & qua de caussa sit editũ, ob oculos ponit. Quod statim in fauorẽ libertatis, ut Principem decet, interpretatur, atq; oraculo suo auget. Postremo ne iuuentutẽ supuacaneis, & quæ primis statim cunabulis minus necessariæ sunt diuisiõibus inuoluat, monet hoc D. Marci rescriptum à se latius, atq; in aliquot species extẽsum. ita ut nihil in eo desiderari possit, quod ad respõsa iuris

Bona addici libertatis caussa.

ciuilis,

ciuilis,præsertī hoc casu,adtinet,quæ omnia diligēti le-ctione consequeris in.l.fin.C.de testamen.manumiß.

Ex *prædictis aduertimus,Successionum,atque rerum per uniuersitatem quærēdarum,has formas esse,ex testamento,abintestato,adquisitionem per adrogationē, & libertatum tuendarum gratia,bo norum addictionē.*No*bis tamen is fermè succedendi ordo testatorum frequētatur.*Hæ*rede ex testamento nō existente,prima succedēdi ratio est substitutorū,deinde cohæredum,quibus proinde deficiētibus,legatarij & fideicommissarij succedūt.* Q*uarto autē loco,ij qui libertatē receperūt à domino in testamento ex quo non aditur hæreditas,per addictionē bonorum libertatum tuendarum gratia,quasi hæredes fiunt,& tandem nullis eorum adparentibus succedit* Fi*scus.* A*tqui omnibus huiusmodi psonis eatenus hæredes fieri permissum est,ut & conuenire debitores hæreditarios,& rursus coueniri ualeant,iuxta auten.de hæredib. & falcidia.§.si uero oblatam.collat.j.*

Successionum formæ.

TITVLVS XIII.

De successionibus sublatis, quæ fiebant per bonorum uenditiones, & ex Senatuscons. Claudiano.



OLIM, *quando iudicia ordinaria atque actiones,quæ præscriptis,solenniterq; conceptis & formatis uerbis à Collegio* Pon*tificum impetrabātur,& impetratæ adeo superstitiose intendebātur, ut si quis ab syllaba cecidisset,uti*

Iudicia ordinaria.

ſet, uti Cicero teſtis eſt cauſſam amitteret, in uſu fuerant, licebat creditoribus totam debitoris ſui hæreditatẽ diuẽdere, quo facto is qui emerat, ſucæſſor fiebat, & quaſi omnium debitoris bonorum hæres, ſed poſtmodum iudicijs ordinarijs & uerborum formulis, ſyllabarũq; aucupationibus per Conſtantinum Principem *radicitus exploſis dimiſſisq;, & extraordinarijs iudıcijs atq; actiõibus quibus hodie liberius utimur, introductis, huiuſmodi bonorũ uenditiones ſimul & ſucæßiones, ex emptiõe proficiſcentes ſunt ſublatæ, & creditoribus conceſſum bona debitorũ officio tãtũmõ iudicis poſſidere, iuxta modũ qui eſt in* Pandectis, *de bon. auto. iud. poß. Itẽ, quibus ex cauſis in bo. poß. eatur.* Præterea Senatuſcõſulto *Claudiano antiquitus cauebatur, Mulierem liberam cum ſeruo conſuetudinem habentẽ, & ipſam libertatẽ, & cum libertate patrimoniũ amittere, & ſic aliũ nãciſci rerũ ſucceſſorem, quam ob id miſerabilem uocant adqſitionẽ ut quæ cum libertatis diſpendio contingit, mitius* Princi*pes, nam ijs tantum mulieribus infligi pœnã diſpoſuerunt qnando proprijs ſeruis ſeſe ſubſtrauerint, ut in l. j. C. de mulieribus quæ proprijs ſeruis ſe coniunxerũt. Sed iure quo poſteritas utitur, huiuſmodi mulier neque libertatem neque ſubſtantiam perdit, ſed magis cum ſeruo matrimonium contrahere permittitur, tantum abeſt ut puniatur, iuxta l. fin. C. de agrico. & cenſitis. lib. xj. & cap. ij. & c. iij. extra de coniugio ſeruorum & ſic tam adquiſitio quæ olim per bonorũ uenditiones fiebat, quàm quæ ex* Senatuſcõſulto Claudiano, *prorſus ẽ exautorata, atq; diſperijt.* Cuius Iuſtinianus *ĩter alia mõere uoluit, quare tracta*

Iudicia extraordinaria.

Senatuſconſultũ Claudianũ.

Libera cũ ſeruo contrahere poteſt nuptias.

tractatum inscripsit de successionibus sublatis, quæ fiebant per bonorum uenditiones, & ex Senatusconsulto Claudiano.

TITVLVS XIIII.

De obligationibus.



ERTIAM *Institutionum atque adeo iuris ciuilis partem, quæ in actionibus cõsistit, expositurus, de obligationibus (unde actiones ceu ex matre deriuantur) titulum generalem atque deinceps earum species, utut singulæ dispescuntur, præponit, eo modo fore ratus, ut prælibatis obligationibus, naturas actionum maturius adsequaris. Quod uero iureconsultus scribit, obligationem esse uinculum iuris, quo adstringimur ad aliquid soluẽdũ, de obligatione proprio modo accepta, uenit intelligendum, qua obligamur ad præstandum debitũ, cum obligatio generali appellatione sit uinculum iuris quo adstringimur ad præstãdũ id in quo sumus obligati. Et est aut ciuilis aut naturalis, aut simul ciuilis & naturalis. Ciuilis obligatio, est quã ciuilis tantũ ratio introduxit, propter fidem quã leges etiam scripturis adhiberi uolunt, planè si qs scripserit debere, etiam quod sibi numeratũ nõ est, ex ea scriptione obligatur, & nisi legitimis exceptiõibus se defendat, cõdictione quæ ex ea nascitur, subcũbet, uti inferius de litera. obligatiõibus uidere est. Naturalis obligatio, est quæ ex iure gentiũ per cõsensum oritur, etiã nudo pacto, ut est pactũ nõ petẽdi. l. si unus. §. pactus ne peteret. ff. de pactis. latius post deĩde, de obligat. quæ ex consẽ*

Obligatio.

Obligatio ciuilis.

Obligatio naturalis.

Ex ijs utranq; si cõiunxeris, resurget obligatio quã ciuilem & naturalem dicũt, puta ex scripta & partiũ consensu genita. Rursus obligationũ aliæ sunt ciuiles, quibus ex iure XII. tab aliјs'ue legibus obnoxij simus, qualis ẽ dãni dati, æris cõfeßi, & id genus innumeræ. Aliæ uero prætoriæ siue honorariæ, quibus ex edicto Prætoris obligamur, propterea actionem iudicium'ue pollicẽtis, ut ex dolo malo, Item an iurarit, Corrupti albi, atque huius generis plurimæ. Omnium autem naturas facile deprehẽderis, si species earũ ut locupletißime suis singulæ locis tractantur, diligenti animo aduertas.

Obligatio ciuilis & naturalis. Obligatio ciuilis. Obligationes prætoriæ.

TITVLVS XV.

Quibus modis re contrahitur obligatio.



AD enumeratas obligationum species descẽdens, eas primũ tractat, quas ex re cõtrahi monuit, quales sunt ex mutuo, indebito soluto, Cõmodato, deposito, atq; ex pignore dato, obligationẽ re cõtrahi, idẽ est quod rẽ ĩteruenisse, ob quã alter alteri obligamur, quẽadmodũ qui mille sestertium æris mutuo accepit, ad tantundẽ ex mutuo obnoxius redditur. Porrò mutuũ in ijs rebus maxime cõsistit, quæ in genere suo functionẽ uicißitudineq; recipiũt, idq; per solutionẽ potius, quàm speciẽ, sic res mutuo damus ut eorũ fiãt, à quibus recipiũtur, & ad nos nõ illæ ipsæ res, sed aliæ eiusdẽ naturæ in põdere, numero, aut mẽsura reuertãtur: qd' nisi fiat, actione iuuamur quæ certi condictio adpellatur, est etiã in l. j. §. re cõtrahitur. ff. de actio. & obliga.

Mutuum in quibus.

& obliga.& l.ij.ff.si certum petatur. Praeterea Caius *institutionum lib.x* I. *Quare* Paulus Iurisconsultus. Mu*tuum dici ait, quasi ex meo tuum fiat, nō ad originationē uerbi respiciens, sed potius ad significatum, quod sic describere placuit, unde mihi falli uidentur, qui ex hoc loco cōijciunt, ab etymo alicuius uerbi, licitum esse argumentari, cum haec* Mutui *etymos non sit, sed descriptio quaedam & relatio, quod eo uerbo denotatur.*

Is quoq; qui non debitum accepit.

H*Ic locus magis ad obligationes quae ex quasi contractu fiunt, pertinet, & uult quod quisquis per errorem alicui uel ignorans, soluit quod non debebat, aut id cuius perpetuam exceptionē habet, tunc perinde atque negocium ultro citroq; esset, solutum uti indebitum, condicere, uel proposita condictitia actione, repetere ualet. Quod si sciuerit se id nō debere, quod dissoluit, cessat repetitio.l.j.l. ij, & l.qui exceptionem.& l.sufficit.cū plerisq; alijs.ff.de condictione indebiti.ubi indebitum intelligo uel omni iure, uel naturali tantum, nam si ciuiliter sit indebitum, & naturaliter debitum, solutum non repetitur, cū supersit adhuc caussa naturalis quae inhibet repetitionem.l.sed qui.§.fi.ff.quod quisq; iuris.* Proinde *indebitum ex caussa iudicati solutum, non repetitur l. si fideiussor.§. in omnibus.ff.mandati,* Ex *caussa quoque* p *inficiationem crescit* .I*tem legati uenerabilibus locis relicti.C.eo.l.ea quae per.Sed et si ex pietate indebitū soluatur, sublata enim falsa opinione, relinquitur pietatis caussa, ex qua solutum repeti non potest.lege cum is.§.*

Condictio indebiti. Indebitum solutum quando repetitur.

x 5 mulier

Condicere.

Condictio.

mulier.ff.eō.Atqui ut obiter scias,Condicere prisca lingua,est denunciare,quod cum personæ fiat, non admodum distat ab eo quod dicimus agere.Inde est quod omnis in personam actio,nō absurde condictio uocetur,qua cum eo experimur qui nobis obligatus est ad aliquid uel faciendum uel præstandum.l.actionum.ff. de uerborum obliga.Inferius de actio.§.planè.Et dicimus Condictionem indebiti. Condictionem mutui, Si certum petatur, Condictionem furtiuam,atque id genus plurimas actiones personales, de quibus & in Codicis & Pandectarum libris singularibus fermè tractatibus differitur.

Sed & indebitum solutum dominio necdum translato uindicatur, ut cuius dominium adhuc penès soluentem est,si uero translatum sit,condicitur,atque in personam iudicium datur.l.dominus.ff.de condictione indebiti.

Item is cui res aliqua utenda datur.

Differunt commodari & rem utendam dari.

ELeuat differentiam illam quam Labeo inter commōdatum,& rem ad utendum datam, esse opinatur, qua rem mobilem solūmodo commodari,eam uero quæ soli esset utendum dari,id quod Vlpiano Caßij sententiam emulanti,non placet,unde quod Prætor in edicto commodatum protulit,Pacuuius utendum datū intelligit.l.j.§.huius edicti.ff.commodati.

Ad rem quòd attinet in commodato eam diligentiam adhibere quenq; oportet,qualē diligentißimus paterfamilias rebus suis præstaret,nisi iudicio cōmodati obnoxius fieri uelit,est etiam.l.in rebus.ff.commodati.& c.j. extra

extra eo. titu. Et si res commodata in eo usu, ad quem est utenda data, deterior sit reddita, absq; tamen culpa utentis, commodatario nihil uenit imputandum, sed ei tantũ qui utendam dedit, cum potuisset & hoc detrimẽti infitiatione effugere. l. fi. ff. eo. ti. Sin uero in longiorẽ usum fuerit protrusa, ueteres inter furti suspitionẽ illud habere, alibi adnotauimus.

Commodatum igitur uti datum est utendũ, restituere debemus, & in hoc differt à mutuo quod solutionem recipere iam nunc scripsimus.

Præterea & is apud quem &c.

Depositum.

Etiam ex deposito quis re obligatur: Est autem depositum (autore Vlpiano) quod custodiendũ alicui datum est, ad cuius restitutionem Prætor iudicium atque actionem pollicetur. Et ne facile damnum sentiat qui petenti ut rem deponendam recipiat, morem gerit, factum est ut talis nõ teneatur nisi de dolo malo, & lata culpa. Est autem dolus malus (secundum Labeonem) omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circũueniẽdum, fallendũ, decipiẽdum alterum, adhibita, l. j. §. dolũ malum. ff. de dolo. Cui & latam culpam ob id nõ omnino dissimilem Celsus putat, quia lata culpa est, non intelligere quod omnes intelligũt, quasi sapere quis nolit. l. cedere. §. lata. & l. latæ. ff. de uerborum signifi. & l. sed si pupillus. §. proscribere. ff. de instito. acti. l. quod Nerua. ff. depositi. & l. j. C. eodem. Quam ob rem si cuius opera, negligentia'ue maiori quàm in suis rebus committere solitus sit, depositum aut alicunde ablatum, aut peremptum fuerit, depositarius ad idipsum eius'ue pretium restituen-

Dolus malus.

Lata culpa.

restituendum obstringitur.l.j.§.fi.ff.eo. Sinuerò ad depositum sese quis obtulit,uel sui periculo rẽ deponi optauit:quia contractus ex cõuentione legem recipiũt:oẽm culpam,simul atq; fortuitos casus ex culpa proficiscẽtes in se recipit atq; præstat,in prædicta l.j.§. si conueniat. l.si in Asia.l.quod Nerua.ff.eo.tit.& l.ij.extra eo.titu. Proinde quisquis rem depositam sciens,& de industria ad usum suũ traducit,furti bonoxius fit.l. si depositi. C. eo.titu.Insuper depositarius nisi conuentus & antequã condemnetur,depositum restituat,infamia notatur,est in l.qui depositum.C.eo.ti.

Creditor quoq; &c.

Creditores. *Creditores(inquit Vlpianus)accipendos esse constat eos quibus debetur ex quacunq; actione,quorũ adpellatione non duo tantum ueniunt qui pecuniam credi derint,sed omnes quibus ex caussa debetur.In presentiarum Creditorem adcipimus,qui pro credito pignus recepit quo magis ei in tuto sit creditũ,qui soluto eo quod credidit,ad restituendũ pignus re obligatur.Vbi aduertendum.*

Pignus unde. *Pignus secundum Paulum iureconsf.à pugno dici,quia res quæ pignori dantur,manu tradi solent, unde fortè uerũ esse potest,qđ nõnulli dicũt, pignus proprie*

Pignus quid. *rei mobilis cõstitui.In summa,Pignus est res pro debito obligata ad securitatẽ creditoris.Eius possessio si ad cre*

Hypotheca. *ditorẽ tralata sit,pignus si penes debitorẽ manserit,Hypothecã adpellamus.l.si rem.§.proprie.ff.de pignoraticia actione.Et contrahitur pignus non solum traditiõe, sed etiã nuda cõuentione.l.j.ff.eo.Hinc manat actio,quã*

Pignoraticia actio. *pignoraticiã dicimus,que contra creditorem debito quo cunq;*

cunq; modo dissoluto ad restituendũ pignus debitori competit, ut etiam in magnis titulis est & Pandectarum & Codicis, de pignoraticia actione.

Rursus est actio pignoraticia, quam cõtrariã uocant, qua creditori aduersus debitorẽ, qualemcunq; ĩposturã in pignore committentẽ, experiri licet, l. si quis in pignore. §. fi. & l. si seruos. ff. de pign. actio. Et debitor qui rem uel alienam, uel alteri obligatam, dißimulata obligatiõe cui in pignus tradiderit, crimẽ Stellionatus cõmittit, atq; extra ordinẽ & ad iudicis arbitriũ plecti debet, iuxta l. tutor. §. contrariam. l. si quis. ff. de pigno. actio. l. stellionatus. §. ubicunq;. & §. fi. ff. de crimine stellionatus, & l. j. C. eo. Actio pignoraticia contraria. Stellionatus crimen.

Proinde in hac actiõne pignoraticia dolus tantũ malus uenit, & culpa leuis, quando eã diligentiam creditor pro pignoris conseruatione præstare debet, quã diligens paterfamilias adhibere consueuit. Vis autẽ atq; casus fortuiti, qui prouideri nõ poterũt, à creditore pignoris ergô non exiguntur. l. si cum uenderet. §. fi. cum. l. sequenti. C. eo. ti. l. prætor ait. §. est præterea. ff. de bo. auto. iudi. possi. & l. contractus. ff. de regu. iuris. Pignus ut conseruatur.

TITVLVS XVI.

De uerborum obligationibus.


ITVLVS est, qui ut negocium facesit, ita oppido frequẽtatur, de uerborum obligationibus, quæ uerbis inter præsentes contrahuntur ex interrogatione & responsione ultro citroq; interuenientibus, quam stipulationẽ adpel

la mus

Stipulatio.

lamus. Est autem Stipulatio uerborum conceptio quibus is qui interrogatur, daturũ, facturum'ue se id quod interrogatus est, respondet. l. stipulationum. §. stipulatio. ff. eo. titu. Iulius Paulus receptarum sententiarum lib. v. titu. viij. & Caius in ij. Institutionum libro. Ex qua definitiõe haud dubie adparet, Stipulatiões antiquitus certis uerbis conceptas fuisse, quando eodem quis uerbo respondere cõgebatur, quo esset interrogatus, sic, spondes, spondeo, fideiubes, fideiubeo, sed hac uerborum solennitate postmodum per Leonem principem explosa, ad sensum modo, & consonantem utriusque partis intellectum stipulationes sunt redactæ, cuius tamen Iustinianus monet, quare nihil interest, ijsdem uel diuersis uerborũ obligationes nominibus contrahãtur, dummodo uterq; quid alter uelit intelligat, de quo obligationis genere, in eum usque titulum differit, qui inscribitur, de literarum obligationibus. Nam uel unus uel plures simul stipulãtur, ut taceam seruos quibus idem licet. Sanè obuium est aduertisse quæ stipulationum subsistãt, si inutiles ab utilibus segregaris. Porrò stipulationũ aliæ puræ fiunt, ut mille

Stipulatio pura.

numum mihi dare spondes, & is ex quo stipulamur, respondet coràm, spondeo, seu promitto, quia uerbis quoque fidem adhiberi legibus placuit, tantũ abest, ut in republica bñ instructa aliud quis ore dicere, & aliud corde cælare debeat, ex hoc responso statim obligatur & mille numum quos sumstipulatus, debere incipit. Aliæ in diem, id est, diei adiectione, quo soluatur id quod in stipulatum est deductum, sic, Mille numum primis Ianuarij Calendis, mihi dare spondes.

Stipulatio in diem.

Aliæ

Aliæ uero stipulationũ sub conditione fiunt, obligatione in aliquem casum dilata: qui nisi contigerit, nihil prorsus debetur. uerbi gratia, Si Titius cõsul designatus fuerit mille numũ mihi dare spondes. Hoc modo, in stipulationibus pure factis, & certũ nominatum'ue tempus non habentibus, statim, hoc est, præsenti die deberi, eodemq; peti posse, manifesti iuris est. l. cũ qui. §. fina. ff. eo. tit. & l. promissor. §. si sine die. ff. de constituta pecunia. & l. in omnibus, ff. de regu. iuris. In ijs uero quæ in diem fiunt, statim qdem debetur, sed ante præstitutum diem peti non potest. Quod si sub conditione stipulatum fuerit: nulla statim nascitur obligatio: sed ĩ cõditiõis euẽtũ differtur. l. cedere diem. ff. de uerbo. signifi. unde & conditionalem stipulationem dicimus. Stipulatio sub conditione.

Nam conditio est, cũ quid in casum incertũ q potest tendere ad esse, & ad nõ esse cõfertur, per l. cum ad præsens. ff. si cer. peta. quamobrem Conditionales creditores Vlpiano, dicũtur ij quibus nondũ competit. actio, est autem cõpetitura, uel qui spem habent ut competat, cõditione. s. eueniẽte. Præterea quia spõdeo peculiare ad hoc genus obligationis uerbum etiam apud ueteres est habitum, Sponsionem Iureconsultus in l. sponsio. ff. de uerbo. signifi. non solũ quæ per sponsi interrogationem fit, sed omnem stipulationem, promissionemq; adpellat. Cicero in Verrem, Cũ eodem Apronio postea Scandilius eques Romanus eandem sponsionem de societate fecit, quam Rubrius facere uoluerat, institit, oppressit, facta est sponsio sestertiorum V. millibus, cœpit Scandilius recuperatores aut iudicem postulare. Et rursus in officijs. Conditio quid. Sponsio.

cijs. Fimbriam cõsularem audiebam de parte iudicẽ M. Luctatio fuisse equiti Romano sanè honesto, cum is sponsionem fecisset ni uir bonus esset. fiebat quoq; spõsio ex interdictis. Quintilianus in VII. Institutionũ oratoriarum, Quoties autem poterimus efficiendũ est, ut de re quoq; bene sentiat iudex, sic enim iuri nostro libentius indulgebit, ut in sponsionibus quæ ex interdictis fiũt, etiã si non proprietatis est quæstio, sed tantum possessionis. Hanc actionem ex sponso uocant. sic Tullius in oratione pro P. Quintio; Sponsionem Quintius facere maluit, fecit, te iudicem Cai Aquili sumpsit, ex spõso egit, in hoc summa iudicij caussaq; consistit. Alia quoq; ex sponsu actio erat antiquitus. Nam ut Seruius Sulpitius scriptũ reliquit, Qui uxorem in Italia ducturus erat, ab eo unde ducenda erat, stipulabatur eã in matrimoniũ ductũ iri, q̃ daturus erat, itidẽ spondebat, is cõtractus stipulationũ, spõsionumq;, dicebãtur sponsalia, tũc quæ promissa erat, sponsa adpellabatur, qui spopõderat ducturũ, sponsus: sed si post eas stipulationes uxor nõ dabatur, aut nõ ducebatur, qui stipulatus erat ex spõsu agebat. Reliqua apud Gellium inuenies, libro noctium iiij. capite iiij.

Ex sponsu actio.

Spõsalia unde.

TITVLVS XVII.

De duobus reis stipulandi & promittendi.

Reus.



EVS (à re deriuatũ nomẽ secundũ Aeliũ Gallũ librorũ significationũ uerborũ quos ad ius scripsit II.) est qui cum altero contestatam litem habet, siue is agat, siue cum eo agatur

agatur, testis est Antonius ille apud M. T. Ciceronem de oratore libro ij. Macrobius in iiij. Saturna. libro cap. j. aliò id uerbi transferens, ad hoc Vranij Hemistichion, Constituam ante aras uoti reus. Hæc uox (inquit) propria sacrorum est, ut reus uocetur, qui suscepto uoto se Numinibus obligat, damnatus autem qui promissa uota iam soluit. Præterea reus est qui dum accusatur, neq; damnatus, neque absolutus est, cuius status interim reatus adpellatur, in l. is qui. ff. ad l. iul. maiest. & l. uestem. ff. de iniurijs. Vnde ex reis eximere, & econtrario in reos referre dicimus. Cicero in iij. Verrinarum acti. Quo tempore omnis illa mea festinatio fuit, cum periculo capitis, ob eam caussam, ne tu ex reis eximere, si ego non adfuissem ad diem. Idem in ult. Verrin. Sthenij domum per hospitium exhausit, absentem in reos retulit. Pluria apud Latinos autores inter legendum ipse reperies. Reatus.

Nobis uero cum tam is qui agit, quàm quo agitur, Rei nomine censetur. Modestino, in l. j. ff. eo. tit. qui stipulatur reus stipulandi, qui uero promittit, reus promittendi habetur, & quia duo plures'ue eandem rem aut stipulãtur, id est rem sibi datum iri quempiam obnoxium faciunt, aut promittunt, aut simul stipulantur & promittunt, factum est, ut duo rei stipulandi & promittendi, uti titulus indicat, dicantur, inter quos obligatio quomodo oritur Iustinianus abunde exponit. Et quamuis inter huiusmodi plures stipulandi & promittendi reos, in solidũ singulis stipulatoribus olim fuerit debitum, & promissorum singuli in solidum quoque tenerentur, in nostro §. huiusmodi. & l. ij. & l. reos. §. cum in tabulis. ff. eod. & l. j. C. Duo rei stipulandi & promittendi.

eo. nouißimo tamen Autenticarum iure, secus est, nisi pactum sit inter eos, unumquenq; solidum daturũ, id quod tunc demum locum habet, si alter promissorum aut non sit soluendo, aut absens, ne commode dissoluat, iuxta constitutionem Autenticæ, hoc ita. C. eo. tit.

TITVLVS XVIII.
De stipulatione seruorum.

VERBORVM *obligationes introductas arbitramur, ut per eas quisque alterum sibi obstringat, atque rem faciat. Cæterum cum & personæ sint quibus nobis adquirimus, permissum est ex his seruum domino suo, & filium familias patri, in cuius potestate est stipulari posse. l. stipulatio. §. alteri. l. quodcunque. ff. de uerborum obligationibus. Infra, de inutilibus stipulatio. §. si quis. & §. alteri. l. quo tutela. §. fi. de reg. iuris. & l. fi. ff. de stipul. seru. Superius, per quas perso. nob. adqui. §. 1. & §. item uobis. profecto ius illud quod habent dum stipulantur, dum adquirũt cum seruus eandem personam cum domino suo repræsentet, non secus quàm filiusfamilias cum patre. l. si Pamphilo. ff. de adoptione leg. l. in suis. ff. de lib. & posthu. & l. fi. C. de impub. & alijs subst. hinc est, quòd seruus iure ciuili, quantũ ad propriam adtinet consecutionem (excepta peculij ratione) incognitus & quasi mortuus, qcquid adquirit, domino suo adquirat, etiam per stipulationẽ, quã inde stipulationẽ seruorũ adpellamus, qua serui aliquid stipulari possunt, sed dominis suis. Quod idem & in liberis*

Seruus eadẽ cũ domino persona.

Stipulatio seruorum.

beris seu filijsfamilias intelligimus, in ijs præsertim caus sis quibus parentibus suis adquirunt, nam perinde stipulantur, in quo & seruos filiorumfamilias conditionem se qui legibus placuit, quare etiam hic titulus de stipulatione seruorum tantum, & non etiam filiorumfamilias, uidetur inscriptus. Præterea seruus hæreditarius, siquid iacente hæreditate, hoc est, ea necdum adita, stipuletur, hæredi postea facto accedit, uti pars hæreditatis. l. seruus hæreditarius. & l. si ex re. §. illud quæsitum. ff. eo. quod uero consonum est, nisi nominatim futuro hæredi, puta Titio uel Seio fuerit stipulatus, illud enim stipulationis genus non ualet, cum sit extraneo factum, cui tunc cum fiebat, nihil cum Titio uel Seio commune erat, ut hinc stipulari ei potuisset. l. seruus hæreditarius. & l. seruus alienus. ff. eo. tit. Porrò stipulationes ut subsistant, id temporis consyderamus quo sunt factæ.

TITVLVS XIX.
De diuisione stipulationum.



Rincipium est. l. stipulationum. ff de uerb. obligatio. quem singularem tractatum esse uoluit, ne rebus cõfusanee expensis, iuueniles animi statim in prima iuris messe, aut rerũ indigesta multitudine, obruantur, aut cõfusos locos non bene percipiant, secus autẽ hoc loci Prætorias stipulationes tractamus, quàm in xlvj. Pandectarum libro de Prætorijs stipulationibus. Vbi eas cum ut genus, tum ut à Prætore adprobatas, hic uero ut species, & à solo Prætore introductas exponimus. Ceterũ ne obscurior locus

uideri poßit, monendi sumus Iudiciales stipulationes proprie dici, quæ uel à Iureconsulto uel Imperatorum sanctionibus sunt profectæ, atq; ad nobile Iudicis pertinentes officium, quando neceßum est ubi interponi debent, ut Iudex pro officio suo earum caussa præcipue interpelletur, neq; opus est ordinaria indagatione, qualis sit in cautione de dolo malo, uel non admisso, uel non admittendo, sic qui actione pignoraticia experitur, petit contenditq;, Iudex à Prætore cautionem recipiat, quod in re pignorata nihil fraudis doli'ue commiserit, seruitutem amittendo, & id genus alia iura, ex qua cautione, quia creditor promittit, & Iudex actoris nomine stipulatur, stipulatio surgit, quam ob id Iudicialem adpellant. Item usufructuarius cui res quæ usu perit legata est, cautionem præstat de utendo fruendo re illa, iuxta arbitriū boni uiri. Haud secus Prætorias stipulationes dicimus, quas Prætor ipse introduxit, uti in interdictorum ratione sæpius fieri Fab. Quītilianus monet. uerbi gratia, Titius qui interdicto unde ui egit, negat se ab Seio restitutum, Seius adfirmat edicto Prætoris satisfactum, interponitur stipulatio (quam latini sponsionem adpellant) ni Titius secundum edictum Prætoris restitutus esset, uel non deiectus, cuius exemplum etiam apud Ciceronem est in oratione pro Cecinna, in qua post multam uiolentiæ ab Ebatio Cecinnæ illatæ, apud sponsionis Iudices cōmemorationē facit, His rebus ita gestis, (inquit, P. Dolabella Prætor interdixit (ut est consuetudo) de ui hominibus armatis, sine ulla exceptione tantum ut unde deiecisset, restitueret, restituere se dicit, sponsione uobis iudicandū, & postea

Iudiciales stipulationes.

Prætoriæ stipulationes.

& postea: Negas deijci nisi qui possideat, ostendo, si sine armis, coactis'ue hominibus, deiectus quisquam sit, eũ qui fateatur se deiecisse, uincere sponsionem; si ostendat eum non possedisse. Quibus Aedilitias quoque connumeramus, eas uidelicet quæ ab Aedilibus curulib. ortum habent, qualis est stipulatio, ne morbosum aut uitiosum sit animal, quod aui uendo. Nam Aediles Curules quos ab ædium sacrarum cura, atque à Curuli sella qua utebantur, Fenestella cognominari sentit, inter celeberrimos Magistratus habiti sunt, autoribus Cicerone, Liuio, & Asconio Pædiano, nempè si quisquam seruum, iumentum'ue morbosum uitiosum'ue, pro integro sano'ue uendiderit, (præter hoc quod aquæductus, ædium mundicies, cloacarum situs, & reliqua urbis ornamenta, ad huiusmodi Magistratum referebantur) in summa, quidquid rerum uitiosarum pro synceris, fractarum pro integris, usquam uenisset, Aedilitio edicto redhibere iubetur, idq; VI. mensium spatio, quos ad hoc uenditor utiles habet. l. sciendum. ff. de Aedil. edicto. qui Magistratus si nostra ætate impostoribus illis mangonibus atque alijs ciuitatum dehonestatoribus, commode opponeretur, consultius'ne reipublicæ fore existimes? Cum uero Aedilitas Magistratus portio sit, qui ad Prætoris atque adeo propriam à ciuili ratione iuris dicendi autoritatem pertinet, in. §. proponebant. & Aediles, supra, de iure naturali, factum est ut stipulationes quas emptor iumenti, cum uenditore interposita ex edicto Aedilitio cautione contrahit, aut aliâs fiunt, Aedilitiæ dicantur, quas & ab hac cautione ferm: omnes Cautionales adpellamus: unde

Aedilitię stipulationes.

Aediles Curules.

Stipulatiões Aedilitiæ Cautionales.

actiones Aedilitiæ magno numero proueniunt, uti in l. j. ff. de præt. stip. & Codice de actionibus Aedilitijs. diffusissimo titulo deprehendis. Stipulationes conuentionales. *Stipulationes conuentionales inter contrahentes absq; uel iudicis uel prætoris interuentu fiunt, dictæ quòd sic inter parteis conuenit, & tot sunt numero, quot contractus. i. innumeræ. sic Actius stipulatur Titium aliquid uel daturum uel facturum, Titius hoc ipsum promittit, siue id, pure, siue in diem, siue conditione.* Stipulatio cõmunis. *Communem stipulationem intellige, quam Prætor introduxit, & iudex prosequitur, nam frustra esset leges atq; edicta promulgare, nisi etiam sint Magistratus qui ipsa exequentur, quemadmodũ fit in cautione quam Prætor ab actoris procuratore sufficiens mandatum non habente, de rato fieri iubet, & iudex ut præstetur efficit. l. non solum. §. qui alieno. ff. de procurat. & nonnunquàm extenditur ad eas stipulationes quas iureconsultus persuasit, ut in Cautione de rato, quam procurator rei præstat. l. pomponius. §. si is. & prædicta. l. non solum. §. si ff. de procuratoribus. Quibus adde cautiones, quæ ex ducum,* Stipulationes ex statutis sunt Prætoriæ. *principum, & reliquorum à Cæsare, magistratuum statutis inducuntur, et sic stipulationes pariunt, Prætorias esse, ex quibus actiones natæ habētur annales, si in pœnã constituũtur, nam à magistratu profluunt, reliqua apud Angelum adnotata reperies, omnia uero apud Ludoui. in Rubricam. C. qui admit. ad bon. poß.*

TITVLVS XX.

De inutilibus stipulationibus.

Inutiles


NVTILES *uocat stipulationes, quæ nullum habent robur, quibus cognitis facile est deprehendere, quæ nam stipulationes sint utiles, & iuris præceptis conformes, quando contrariorum eadem est ratio, & stipulationes intelliguntur permissæ quæ fieri minus prohibentur.* Inutiles *fiunt stipulationes aut ex re quam stipulamur, qualis est sacra quæ dominio priuati hominis non subijcitur. l. in tantum. §. sacræ. ff. de rerum diuis. & l. inter. §. sacram rem. ff. de uerb. obli. rem tamen sacram constitui, aut ædem sacram ædificatum iri, utilissime stipulamur. l. stipulatio. §. fi. ff. de uerb. oblig. Aut ex persona quæ stipulatur, uti est mutus, furiosus, pupillus, infans, & id genus personæ rerum suarum administrationem non habentes. Aut ex natura obligationis stipulatio uitiatur, qualis est cui conditio impossibilis, & cui natura impedimento est quo minus existat, adhibetur. l. impossibilis. ff. de uerb. oblig. similiter qui* x. *aureos à te dari stipulatur, & tu* v. *solum promittis, inutiliter stipulatur, nisi & hanc ipsam stipulationem in* v. *aureis aut minoris illico ualere uoluisset. l. j. §. si stipulanti. ff. de uerb. oblig. sin uero* x. *aut* v. *aureos alternatiuis modis in stipulatum duxeris, tunc* v. *aurei, puta minor summa, in obligationem uenit, & debetur, iuxta l. si ita. ff. de uerb. oblig. & l. in eo quod plus sit. ff. de reg. iuris.* Stipulationes inutiles.

Aut Hippocentaurum qui esse non possit.

C*Entauros, ut Diodorus Siculus libro* v. *scriptum reliquit, nonnulli uolunt in* Pelio Thes*saliæ monte* Centauri.

à Nymphis enutritos, primũ equos aut subegisse, aut ad equitandum domuisse. Palephatus *uero libro* Incredibilium.j.*dici putat, quod tauros quos abigere solebant stimulis pungentes feriebant,* ὰ κεντάω *.i.pungo, qui locus & à* Paulo Orosio *historiarũ lib.*j.*cap.*xiij.*refertur, sed breuius quàm res ipsa exigit.* Ex ijs *natos ferunt quos*

Hippocẽtauri. ἱπποκενταύρους *dicimus.i. stimulatores, ut qui primum equitare fuerint ausi, aut equis insidere.* Vnde *nata fabula* Poëtis, *partim eos homines, partim equos esse, nam uicini exteriq; nouo illo equitandi cursitandiq; genere decepti, inferiorẽ* Hippocentaurorũ *partem equinã, superiorem uero qua caput & pectus prominebãt, humanã credebant, id quod adeo fabulosum, & uero dissonũ* Iustinianus *arbitratur, ut etiã inutile sit, si quis* Hippocentaurũ *sibi dari stipuletur, rem magis in fabulis celebratã, quàm ut in rerũ natura esse poßit. Sed &* Plinius *naturalis historiæ lib.*viij.*cap.*iij.*Claudiũ Cæsarem scripsisse refert,* Hippocentaurũ *in* Thessalia *codẽ die & natũ, & extinctum, quem tum ex Aegypto sibi adlatum uidisset.*

Mutum neq; stipulari &c.

Mutus & surdus quomodo stipulantur.

MVtus *& surdus tametsi per se, neque stipulari aliquid, neq; promittere poterunt, in altero siquidem uerba desyderamus, quibus stipulatio consistit, in altero responsionis cognitionem, per seruum tamen proprium, aut publicum tabellionẽ qui ipsorum nomine interrogat, uel respondet utiq; & stipulantur & adquirunt in l.*j.*ff. de uerb.oblig.& l.non aliter.ff.de adoptio.*

Reliquos *contractus, præter stipulationem: quales sunt bonæ fidei, præsentibus amicis & notario celebrabunt,*

bunt, hoc modo, Mutus signis (sic enim cuncta designare atq; animi sententiã exprimere solet) indicato, se rem empturum uel uenditurum tanti, in quo si quando alter contrahentium adsentiatur, Amici dicant se signa illa muti atq; uerborum indicia planè intelligere, quibus constat, talem eum librum uel tanti emere uelle, uel diuẽdere, quẽ contractum ultro citroq; sic initum Tabellio, qui corâm est, scribat & contractus ualebit. Est in l. muti. ff. de legatis iij. & in prædict. l. j. §. atque ibidem iurisconsulti. ff. de uerb. oblig. & l. mutum. ff. de acq. hære. Mutum connubio iungi & matrimonium contrahere nihil prohibet modo consensum illum suum indiuiduæ cõsuetudinis indicijs demonstret, ut est in c. cum apud. extra de spon. & gloss. in l. cum notißimi. C. de præscript. xxx. annorum. Sed furiosus matrimonium contrahere non potest, ob mentis alienationem, quæ consensum prohibet, in l. patre furioso. ff. de ijs qui sunt sui uel alie. iur. glossa in c. ex eo. de electio. in vj. c. dilectus. de spon. & xxij. q. vj. c. ne furiosus.

Mutus & surdus quomodo contrahunt.

Mutus contrahit matrimonium.

Furiosus matrimonium nõ contrahit.

Si nauis ex Asia uenerit hodie &c.

INterpunctatio quam interpres facit, in præpostera illa conceptione, Si nauis ex Asia uenerit, hodie dare spondes, arguit interpretẽ loci scopũ non contigisse, nam illa uerborũ conceptio non dicitur præpostera, sed magis stipulatio sui natura & quasi inuicem contraria, nõ subsistens, illa enim, Si nauis ex Asia uenerit, est cõditionalis, & hodie dare spõdes, in diẽ, quæ simul coniungi, natura stipulationũ nõ patitur, cũ in altera cõditionis euentũ, in altera, hodierni tantũ diei terminũ expectare iubemur,

Errat Iterpres.

quæ ut in una eadẽq; stipulatione adcumulari queant, uiderit qui Accursio patrocinatur, quare in hunc modũ locus interpunctandus est, Si nauis ex Asia uenerit hodie, dare spondes: pro eo, Si nauis hodie ex Asia uenerit, dare spondes: ubi prior oratio præpostere concepta dicitur, eo quod, uerbum hodie, nõ suo natiuo loco, sed posteriori & minus consueto collocatur, & σχῆμα, *illud firmè facit, quod Diomedes* ὕστερον πρότερον *dici refert. Cuiusmodi uerborũ transpositio & præposteratio ut non testamenti conceptionem, ita neq; stipulationem nouo iure uitiare solet. Cum uerba transposita (ut dicitur) idem significent. l. cum pater. ff. de lega. ij. & in l. præposteri. C. de testa. Cæterum Constitutio Leonina, cuius Imperator mentionem facit, fortaßis non extat, nisi sit l. omnes. C. de contrah. & cõmit. stip. quam diui Leonis esse ferunt, siue ex ea caput quoddam intercisum, quæ de omnibus in uniuersum stipulationibus cauet. Nam l. mulier, id quod alicubi Accursius opinatur, ea esse non potest, cum non sit Leonis, neq;* πρὸς τὸν διόνυσον *admodum faciat.*

Præpostera ratio stipulatiõis conceptæ.

TITVLVS XXII.

De fideiussoribus.



QVANDOQVIDEM *is q̃ promittit, nõ tanti semper apud creditorẽ uel stipulatorẽ habetur, ut ei solũ credat, tutius est aliũ adsumere, q̃ obligationẽ illã qualemcunq;, etiam in se recipiat, promissore quoq; manẽte obligato, quẽ ab eo qđ fidẽ suã & rogatur & despondet, atq; sic uerbis obligatur, fideiussorẽ adpellamus,*

lamus, Græci ἐγγυητὴν *qui cũ per solã stipulationẽ cõsti tuitur, in l. blãditus. C. eo. tit. uisum est, de fideiussoribus, inter uerb. oblig. commodius explicare:* Fideiussor *autem est, qui & ipse ad maiorẽ creditoris cautelam obligatur, ut colligimus ex principio præsentis tituli, & l. ij. ff. de fideiussoribus.* Et *qui discrimen desyderat inter fideiusso rem, mandatorem, constitutorẽ, sponsorem, & expromis sorem, est in glossa* Auten. *de fideiuss. colla.* j. & Angelũ Aretinum, *in primo huius tit commentario.* Fideiussor.

Ratio *obligationis fideiussoriæ in hunc modum se ha bet, fideiussor utcunq; sit datus, conueniri tamen non po test, nisi principalis debitor, aut sit absens, in* Auten. *de fideiusso. §. si quis crediderit. coll. j. & in* Auten. *præsen ti. C. de fideiuss. aut prius conuentus & excussus, quàm ad fideiussorem sit peruentum.* Fideiussor quã do cõuenitur.

Est autem Excussio *diligens inquisitio ac detentio re rum bonorumq; principalis debitoris per iudicẽ usq; ad perã (ut uocant) & sacculum, hoc est, nouissimũ quadran tem effecta, id quod affatim colligitur ex. l. j. in fi. C. de de curio. lib. x. & l. ij C. quis ordo conue.* Iureconsultis. *in* Au tent. *hoc si debitor. C. de pigno. & in dict.* Autent. *præ sente. C. de fideiuss. & diffusissime apud* Iacobum Areti num, *in libro qui de* Excussione *inscribitur.* Quo *fit, ut fi deiussor quotiescunq; priusquàm principalis debitor con uenitur, exceptionem ipsam* Excussionis *lite necdum conte stata (cum sit dilatoria apud* Iasonem *in l. naturaliter. §. nihil commune. ff. de adqui. poss.) prætexere possit, nisi ei ex cõfesso sit renunciatũ qua facit se indemnem, aut testi bus, libro'ue rationario debitoris doceatur aut aliàs palã* Excussio qd.

fiat,

fiat principalem debitorem non esse soluendo.

Exceptio excussionis.

Prætcrea si plures sint fideiussores ueteri iure semper in solidũ tenebãtur singuli, atq; in arbitrio creditoris erat, ex quo fideiussorũ uellet totũ debitũ semel postulari, sed hoc epistola diui Hadriani *emẽdabit, qua cauetur alterũ fideiussorũ pro altero obligari, sed debitũ in uirileis partes diuidendũ, maxime si eo tempore quo lis est contestata, sint soluendo, quod sic obtinet, nisi fideiussores huiusmodi epistolæ* D. Hadriani *certis uerbis renunciarint, quo casu singuli in solidum absq; aufugio tenentur, est etiam. l. inter fideiussores. & l. si contẽdat. & l. inter eos. ff. eo. tit. in prædicta* Autcn. *de fideiussoribus.*

Epistola Diui Hadriani.

Sin uero unus fideiussorũ solidũ debitũ creditori neglecto D. Hadriani *beneficio, eiusq; exceptione, dissolue rit, & uiriles portiões, ex debito fideiussoribus repetere nititur, oportet actio per creditorem, cui obligatur, cedatur, quo fine, frustra experitur in eos quos nõ habet obnoxios. l. cum alter. C. eo. tit. & l. cum is. et l. fideiussoribus. in fi. & l. ut fideiussor. ff. eo. sed à principali debitore solutum, repetit actione mandati. l. si fideiussor. C. mãdati. l. si remunerãdi. §. si passus. & l. qui fide. cum similibus. ff. mandati.*

Vt fideiussori erga fideiussorẽ sit actio.

Postremo beneficia fideiussoribus concessa, etiam ijs subueniunt, qui se & fideiussores & principales debitores cõstituerunt, iuxta eà quæ habentur ad Autenticam, *de fideiusso. §. j. uersu* Fideiussorem.

Si quid autem fideiussor.

Fideiussor mãdati qñ agit.

QVi *pro altero fideiubet tacitum mãdatum habere intelligitur, eius soluendi. l. indebitã. ff. de condict. indebiti.*

indebiti. quod uti recuperet à debitore mandati, iudicium habet, cuius Imperator monet, suffragantibus l. si remunerandi. & l. qui fide. cum similibus. ff. mandati. et l. si fideiussor. C. mādati. quod in uniuersum uerum est, nisi pro absente fideiusserit, quo casu iudicium negociorum gestorum tantummodo habet, pro soluto recuperando, iuxta l. ex mandato. ff. mandati.

Proinde quod monet non solum in quantitate, sed etiā in tēpore aut minus aut plus intelligi, cū plus sit statim aliquid dare, minus uero post tempus, eò referendum est, ut cognoscas fideiussorem non posse obstringi ad aliquid prius exoluendum, quàm principalis debeat, cū qui citius dat, etiam plus dare intelligitur, quemadmodū minus, qui tardius iusto, in l. si cui. in fi. ff. de uerbo. obliga. & §. plus autē. Infra de actio. cui non est absonū quod Seneca prouerbiali figura dixit, Bis dat, qui cito dat. & Lucianus,

Ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι: ἢν δὲ βραδύνῃ
Πᾶσα χάρις κενὴ, μὴ δὲ λέγοιτο χάρις.

Quam sententiam Decius Ausonius in hunc modum expreßit:

Si bene sic facias, facias cito, nam cito factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

TITVLVS XXIII.
De literarum obligatione.

Plus etiam in tempore.



PRAETEREA *est obligatio quædam ciuilis tantum, neq; re, neq; uerbis, neq; consensu constans, quæ literarum dicitur, et fiebat antiquitus solenni nominum conceptione,*

Obligatio literarum.

ptione, sed nostro iure, per eũ qui confeßus est se debere, aut mutuũ recepisse, uel per publicũ tabellionẽ id ipsum scribẽtẽ contrahitur. Et huiusmodi obligatio primo post quinquenniũ ex constitutione corporis Theodosiani, nũc uero Iustiniani dispositione. l. in contractibus. C. de non nume. pecu. tamẽ post biennium actionẽ parit, condictione ex lege, quæ tũc competit, quando per legem actio adcommodatur & nõ est expressum qua actione quis debeat experiri. l. j. ff. de condict. ex lege. & Cynus in. l. in contractibus. C. de pec. nõ nume. ante siquidem bienniũ, exceptio pecuniæ non numeratæ obijci potest, quæ sic in tempore opposita, onus probandi pecuniam numeratam esse, creditori imponit, post uero biennium si quis pecuniã minus numeratã dixerit, id, ipse, per circunstantias, aliasq; id genus adiectiones, (cum difficilis sit negatiua probatu) doceat neceßum est. Cui exceptioni æque renunciari potest, sed ex interuallo tantum, & post obligationem contractam, atq; intra biennium, quæ renunciatio probandi onus in excipiẽtem solũ, etiam intra bienniũ, transfert. Quod si post biennium sit renunciatum, tunc nulla prorsus exceptioni occasio amplius datur, ut est apud Commẽtatores in. l. ex cautione. C. de pecu. non numerata.

Condictio ex lege.

Exceptio pecuniæ non numeratæ.

Renũciatio excep. pecun. non numera.

In reliquis contractibus ex literarum obligationibus non proficiscẽtibus, utpote, Emptionis, uẽditionis, alijsque consensu petitis, & debiti caussas præ se ferentibus, confeßio uel debiti, uel soluti, adeo est efficax, & (ut uocant) confitenti præiudicialis, ut nullã patiatur exceptionem, quare indocte faciũt illi legulei, qui omnem contractum hanc exceptionẽ pecuniæ non numeratæ competere opinantur,

opinantur eum in obligationibus literarum solummodo locum habeat l. generaliter. & l. in contractibus. Et Cy*nus in l. aduersus. C. de pecunia non numerata.* Nisi exci*piatur super rebus non solutis, id quod non intra biennium, sed* xxx. *dierum spatium fieri oportet.*

TITVLVS XXIII.
De obligationibus quæ consensu fiunt.



BLIGATIONES *ex consensu, dicuntur, ad quarum substantiam contrahentium consensus solum requiritur. At in reliquis obligationum generibus consensus ne interuenit: nã siue literis obligeris, siue uerbis, siue re, nisi consentiant quorum interest obstringi, inutilis erit obligatio, & hoc uerũ est, sed in reliquis obligationibus præter hanc nostram aliquid etiam ultra consensum desyderamus, porrò in literarum obligatione utcunq; inter partes conueniat, nisi scriptura interuenerit, unde substantiam capit, inanis est consensus.* Item *in stipulationibus nisi præsentes sint qui contrahunt, & in obligatione re cõtracta nisi detur aliquid. frustra est consensisse.* In obliga*tionibus uero quæ consensu fiunt, qualis est emptio, uenditio, locatio, conductio, societas & mandatum, neq; scriptura, neq; præsentia requiritur, sed sufficit in contractũ parteis consensisse, etiam absentes, quod fieri potest, modo per epistolã, modo per nuncium, præter hoc quod ex bono & æquo etiã quẽquam debere faciũt usuras ex mora, atq; interesse, etiã si de ijs nihil sit cõuentũ, bonũ tñ est &*

Obligatio ex consensu.

est, & aequum ob bonae fidei contractus naturam ea prae Contractus ex consensu sunt bonae fidei. *stari, in l. consensu. ff. de actio. & obli. l. cũ quid. ff. si certum petatur. l. j. & l. iulianus §. ex uendito. ff. de actio. empti & uen. l. mora. §. in bonae fidei. ff. de usu. Quamobrem Iustinianus uti certũ obligationum discrimen cognoscamus singularẽ hunc titulũ, de obligationibus quae consensu fiunt, nobis ob oculos ponere uoluit, de quarum natura, atq; ab alijs nonnullis, differentia disserit.*

TITVLVS XXIIII.

De emptione & uenditione.



D species obligationũ quae cõsensu generantur descẽdẽs de cõtractu emptionis et uẽditionis ut magis frequẽtato in primis exponit. Caeterũ emptio & uẽditio Emptio & uẽditio ab rerum permutatione. *ex rerũ permutatione originẽ sumpsit apud iurecõsultum, in l. j. ff. de cõtrah. empt. quãdo permutatione res pro re, dabatur uetustißima hominũ cõsuetudine, qualẽ & Germanis nostris fuisse Põponius Mela, & Cornelius Tacitus prodiderũt, & Plinius lib. xxxiij. cap. j. felicius illud aeuum praedicat, cũ rerũ ipsarũ inter se tantũ permutatio esset, sicut & Tro*ianis tẽporibus factitatũ Homero credi conuenit, ita enim Rerum permutatio apud ueteres. *cõmercia uictus gratia inuẽta opinamur, quando alij corijs boum, alij ferro, alij captiuis rebus emptitabãt, cuius cõsuetudinis & Palephatus de incredibilibus, in Ceto meminit, cui rei cũ Lycurgus minus auariciae maliq; irritamẽtorũ inesse uideret, data lege cõstituit singula apud Lacedaemonios non pecuniae, sed merciũ permutatione, comparanda,*

parãda, ubi uero numi usum passim apud exteros frequẽtari cognouisset, neq; aureũ neq; argenteũ numũ in republica sua esse uoluit, sed ferreũ tantũ, ut cui non tantopere studeretur, sed quia nõ semper, neq; facile cõcurrebãt res atq; merces, ut quod alter desideraret, alter non haberet, quare Plato in V. de legibus, numis opus esse publice, cõcẽdit electa materia est, cuius publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationũ, æqualitate quãtitatis subueniret, eaq; materia, forma publice notata, usum, dominiumq; non tam ex substantia, quàm ex quantitate præbet, nec ultra merx utrunq;, sed alterũ pretium, alterum merx uocatur. Vnde est quod Aristoteles numo omnia mensurari, in V. Ethicorũ differit, in quẽ cum nihil non conuerti poterit, nostri quoq; pecuniæ significatione omnes res significari uoluerũt, ut est in l. ij. de cõsti. pecu. & l. pecuniæ uerbũ. & l. pecuniæ adpellatione. ff. de uerbo. signi. Numum Lydos primo ad utendũ signasse percussisseq;, Herodotus in primo refert. Macrobius in j. Satur. Ianum primũ æs signasse putat. Plinius Seruium Regem: idq; pecudis nota, cum pecudis usus apud Italiam, (quam ab Italo, id est, boue dictam uolunt) inter summas opes sit habitus. Vnde & pecuniam adpellatam, Marcus Varro in ij. de re rustica. cap. j. scriptum reliquit. Sed & numum qui ferreum, argenteũ, aureum'ue fecerint, Polydorus in de rerum inuentoribus comportauit.

Pecunia quare inuenta.

Numus a quibus signatus.

Pecunia a pecude.

Habes iam, quomodo emptio & uenditio ex rerũ permutatione sit deriuata, ad cuius rationẽ oportebat pretiũ inueniri quod in pecuniæ adpellatione cõsistit. Cæterum quia emptio & uẽditio correlatiua sunt, sic quod alterũ

sine altero neque tractari, neq; intelligi poterit. l. j. ff. de acceptil. & l. fi. C. de indict. uiduit. tollend. uoluit de emptione & uẽditione uno contractu paucis referre. Est au*tem emptio & uenditio contractus bonæ fidei, ex cõsensu partium simul atq; de pretio inter eas conuenerit, redundans.* Eius *duplex genus est, aut enim sine scriptura contrahitur, aut cum scriptura.* Emptio *& uẽditio sine scriptura perficitur quãprimũ de pretio conuenit, etiam si nihil sit numeratũ, neq; arrha (quæ tamen uenditionis cõtractæ argumentũ esse solet, unde & græcis ἀῤῥαβὼν dicitur, id est pignus) interuenerit, ubi præterire non possum quod* Angelus Aretinus *de* Lombardis *refert, qui contractũ aliquem tunc absolutũ iudicãt, si contrahẽtes proxenetis atq; ijs quos adesse cupiũt, in argumentũ rei gestæ, egregie cõbibissent, quem morẽ & Hessis nostris esse uideo, qui etiã in leuiculæ rei emptione atq; uẽditione, nonnũquã plus compotando insumũt quàm pretium est, quod ex re comparatur.* In *his autẽ emptionibus & uenditionibus quæ scriptura cõficiuntur, nõ aliter perfectum esse contractũ placuit, nisi instrumẽta emptionis et uenditionis fuerint cõpleta atq; in mundũ recepta (quod uulgus scribarũ ingrossare uocat) & partibus prælecta, colligit* Bar. *diffuse satis in. l. cõtractus. C. de fide instru.* Quod *sic intellige, Instrumẽtũ emptionis & uẽditionis si fuerit priuatũ, id est, inter cõtrahentes solum cõfectũ, oportet (ut fidem mereatur) per ipsos aut scribi aut subscribi, eatenus unius sunt naturæ & scribere, & subscribere. l. testium. §. si quis. & ibidẽ interpretes. ff. de testi. & l. cũ antiquitas. C. de testa.* Sin *uero instrumentũ quod in con*

Emptio sine scriptura.

Arrha.

Hessi cõpotãt.

Emptio & uenditio per scripturam.

n contractus fidem conficitur, publicum sit, hoc est, per publicum tabellionem suis legibus ut conuenit scriptum, aut publici sigilli autoritate (id quod autenticum uocant) communitum iuxta gloss. in. l. generali. C. de tabella. libro x. & Specula. de instru. edit. §. breuiter. commemorenus. & Abba. in cap. ij. de fide instru. tunc satis est, quantum ad contractus stabilitatē adtinet, ut sit ex omni parte absolutum & in mundum receptum (quas Iustinianus completiones uocat) atque partibus scripta comprobaturis prælectum, tractatur hoc loci, & apud Commentatores præsertim Io. Fabri, in. l. contractus. C. de fide instru. Atque absoluta emptione statim periculum & commodum rei uenditæ, licet necdum sit tradita, ad emptorem pertinet, propter dominium quod in re empta ha bere cœpit. l. qui officij. §. res in aduersione. ff. eod. l. si uendita. cum plerisq; alijs. ff. de pericul. & commo. rei uend. l. j. & l. cum inter. C. eodem titu. Quod si custodiam rei uenditæ, is qui uenalem dedit recipit, eam præstare debet, quæ sit exactior quàm proprijs rebus adhibita, quare culpam utique luit. l. quod sæpe §. si res. ff. de contrahenda empt. & l. custodiam. ff. de pericu. & commodo rei uenditæ. Proinde emptionis contractus, (id quod est in §. donec enim aliquid deest) siue in scriptis, siue absq; scriptis celebretur, si minus sit absolutus alter contrahētiū & pœnitere & à contractu recedere potest. Sin autem contractus ex omni parte fuerit perfectus, & præterea res adhuc integra, id est, neq; solutio, neq; traditio ultro citroq; facta, tunc uterq; simul pœnitere potest, et cōtractus disperit, nā emptio perinde cōsensu utriusq; cōtrahē tium

Periculum rei uenditæ.

Emptionis & uēditionis pœnitentia.

tium generatur, ita per dissensum resoluitur.l.j. & l.ij. C.quando ab emptio.discedere liceat.l.ab emptione.ff.de pact.l.emptio.& l.cum emptor.C.de rescind.uend. Nisi alteruter in dimidio iusti pretij sit deceptus.l.rem maioris.C.de rescinden.uend. Aut contractus habeatur simulatus,qui nihil prorsus efficit,propter perpetui cõsensus defectum.l.nuda.ff.de contrah.empt.et.l.ij.C. plus uale. quod agitur,quàm quod simulatæ concipitur.

Nam & in cæteris rebus &c.

DOcet hoc loci permutationẽ alium esse contractum ab emptione & uenditione,cũ ille sit contractus innominatus,in quo res pro re datur, hic uero noĩatus, ad quem pretiũ requiritur,in pecunia numerata cõsistẽs, de qua re apud ueteres nõ modicũ disceptatũ est. Nam Cassius & Sabinus nõ pœnitendæ eruditionis uiri,Permutationẽ ab emptionis contractu nihil distare contendebãt, suffulti autoritate Hõmeri,cuius uerba vij.Ilia hæc sunt:

Cassij & Sabini opinio.

Ενθεν ἄρ᾽ οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ,
Ἄλλοι μὲν χαλκῷ,ἄλλοι δ᾽ αἴθωνι σιδήρῳ,
Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς,ἄλλοι δ᾽ αὐτοῖσι βόεσσιν,
Ἄλλοι δὲ ἀνδραπόδεσσι.

Hinc sibi uina parant insigneis crine Pelasgi,
Aere dato partim,partim fulgenteq; ferro,
Tergoribusq; alij,bubus illi in puppe relictis
Mancipijs alijs.

ubi οἰνίζοντο *quia uinum emebãt uel comparabãt significat,idq; nullo dato pretio,sed cõmutatis tantũ quibusdam rebus,puta ære,ferro &c.existimant emptionẽ etiã absq; pretio fieri posse,& cum eo cõtractu cõuenire quam per-*

mu

mutatione dicimus. Sed quia Proculus & Nerua diuersæ scholæ autores locum illũ Homeri nõ ad uenditionem, sed magis commutationem rerum referendum existimabant, alijs etiam locis Homeri adiuti, qualis est Iliados vj.

Ενθ' αὖτε Γλαύκῳ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς.
Ος πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβεν,
Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων,

Iuppiter hic mentem Glauco Saturnius aufert.
Quo cum Tydide mutauerit aurea demens
Arma subæratis, centum taurosq; nouenis.

Et id genus alijs ῥαψῳδίας *opitulamentis, quæ Homerum lecturienti, non semel occurrent. Quare emptionem aliã speciem à rerum cõmutatiõe esse placuit, cũ alius sit emptor alius uẽditor, sic aliud est pretiũ aliud merx, quod in pmutatione discerni nõ potest, uter emptor & uẽditor sit, quã Proculi sententiã ut superiorẽ, & uero magis consonã, etiã ante Iustinianũ, Principes adprobare non post habuerunt. l. j. ff. de cõtrah. empt. & l. j. ff. de re. permu.* Permutatio alia species est quam emptio.

Sanè quòd Accursius Homerum à Iureconsulto redargui somniat, more suo facit, ut qui de bonis autoribus in hunc fermè modum nusquam non pronũciare soleat, neq; aduertit Sabinum duntaxat à Proculo reprehendi, quod Homeri autoritate male usus, locum contra genuinũ sensum ad emptionis naturam torquere sit ausus, qui tantum de commutatione saltem ueniat intelligendus.

Aut arboribus turbine deiectis.

TVrbo, *cuius Imperator meminit, uentus est (autore Plin. lib. II. cap. L.) exhalante terra repentine ortus, cum fragore proxima quæq; prosternens, cuius impe-* Turbo.


tum & Lucretius in.j.de naturis lib.describit his uerbis:
Interdum rapido percurrens Turbine campos,
Arboribus magnos sternit, montesq; supremos
Syluifragis uexat flabris.

Vergilius pro uentorū uolubilitate sese in circuitū ro tante accipit, unde ludicrū illud puerile, apud Tibullum:
Nanq; agor ut per plana citus sola uerbere turbo,
Quem celer adsueta uersat ab arte puer.

Circius uētus. *A similitudine uenti atq; rotatione, Turbinem Græci* τροχὸν *uocant. Aulus Gellius libro ij. cap. xxij. Circium Galliæ Narbonensis uentum, similiter à turbine atq; eius uertigine adpellatum scribit.*

Vbi obiter notandum, aliter lōge Gellium, aliter Plinium uentos discriminare.

TITVLVS XXV.
De locatione & conductione.


OCATIO *& conductio similiter ex consensu fit, emptioni & uenditioni proxima, ut quæ ex ijsdem regulis constat, in hoc distans, quod in locatione dominium non transfertur, sed remanet penès locantem. l. non solet. ff. eo. & l. qui rem. C. eo. tit. Iurecon. in. l. si rem aliquam. ff. de adqui. poss. Et quia summā familiaritatem locatio & conductio cum emptione habet, ne inuicem confundantur, discriminat inter utranq;, docens quæ sit locationis ratio. Adde, quia contractus ex conuentione legem recipiūt, conductionis quoq; iuri id cōuenire, quo fit ut locator eum, qui con*

Conductor ædium quādo moueri potest. *ductas habet ædes & pensionem, ut conuenit soluere paratus*

ratus est, ante præfinitum tempus amouere nõ possit, nisi ipse inhabitare, aut ædes ruinosas restaurare uelit: rursus inquilinus & qui conduxit, non potest prohibere, quim finita locatione ædes alteri pro domini arbitrio locetur, nisi aliud sit pactum instrumentis roboratum. in l. legẽ. & l. ædem. & l. ne cui. C. de locato. ad quod in alijs quoque rerum locationibus obseruare conuenit.

Qua de caussa si Fulloni &c.

F*Vllones, latinis dicuntur, qui uestes aqua calida fouẽt, quas in hunc modum dealbant, atq; à maculis curant, unde iocum Fausti Syllæ filij facile intelliges, qui, cum soror eius duos eodẽ tempore mœchos haberet. Fuluium fullonis filium, & Pompeium cognomento Maculam, Miror (inquit) sororem meam habere maculam, cũ fullonẽ habeat, refertur à Macrobio satur. lib. II. cap. VI. apud Aesopum in* Μύθοις *quoque est quomodo fullo ad carbonarium cũ ut cohabitaret inuitantẽ dixerit, timeo ne quæ ego dealbo, tu atra facias. Verba Aesopi sic se habent:* Fullones. Fausti iocus.

Ανθρακεὺς ἐπί τινος οἰκῶν, οἰκίας ἠξίου κναφέα παραγενόμενον αὐτῷ συνοικῆσαι, ὁ δὲ κναφεὺς ὑπολαβὼν, ἔφη, ἀλλ' οὐκ ἂν τοῦτο δυναίμην ἔγωγε πρᾶξαι, δέδια γὰρ μήπως ἅπερ ἐγὼ λευκαίνω, αὐτὸς ἀσβόλης πληροῖς.

Fullonibus ueteres legẽ dixerunt Metellam, cuius capita apud Pliniũ inuenies, libro XXXV. cap. XVII. Fulloniam artem Nitias Megarensis primum reperit, teste Plinio libro. VII. cap. LVI. Fullonia inuenta.

Vt ecce de prædijs quæ perpetuo sinenda &c.

Conductores diuersis nominibus apud iurisperitos cẽsentur, quorum is qui prædium ab aliquo recepit, ut uel tertiã, uel quartam fructuũ partẽ singulis annis secũdum messem exhibeat, Colonus partiarius uocatur, & ad societatis rationẽ pertinere uidetur, iuxta l. si merces. §. uis maior. ff. locat. & l. emptorem. C. eo. tit. Si autem pro certa fructuũ quantitate prædiũ cõduxerit, colonus quidẽ est, sed ad contractus innominatos spectat. unde pro fructibus adipiscendis, aut alijs difficultatibus sese ingerentibus, actio datur ex præscriptis uerbis. l. naturalis. ff. de præscriptis uerbis. Locatio uero proprie est, quando pro annua certaq; pẽsione seu pecunia prædiũ obtinetur, idq; ob pretium constitutũ, quod locationibus interueniре cõuenit, & is qui recipit cõductor adpellatur. Vbi alter ex conducto, alter ex locato iudicium habet. l. locatio. ff. eo. & l. 1. §. item si quis seruũ. ff. depo. Vbi interim aduerte, Pensionẽ apud Pompeium dici quod graui ære cũ Romani uterentur, penso eo, nõ numerato, debitũ soluebant. Qua uoce & Cicero usus est ad Leptam, ijs uerbis: Me Romæ tenuit omnino Tulliæ meæ partus, sed cum ea, quẽadmodum spero, satis firma sit, teneor tamen, dum à Dolabellæ procuratoribus exigam primam pensionem.

Colonus partiarius. Colonus. Conductor. Pensio.

Præterea quãdo prædiũ perpetuo fruendũ cõceditur, Emphyteosim, seu ut quidã malunt Emphyteusim constituit, ab ἐμφυτεύω insero seu planto, eo quod huiusmodi bona ut deserta, et quasi pro derelicto habita, antiquitus excolenda fruendaq; collocabantur, cuius colonus Emphyteota dicitur, qui si tribus annis pensionem soluere neglexerit, à iure suo decidit, & per dominum moueri potest. Et hu

Emphyteosis.

Et huiusmodi Emphyteusis, neq; emptio neq; locatio est, sed propriã cõtractus speciẽ parit, cõstituente Principe Zenone, in l. j. C. de iure emphy. Quãuis uero Emphyteota ĩ talibus bonis melioramẽta, quæ uocãt, seu emphyteomata, (unde cõtractui nomen obuenit) sibi adquirat, eaq; alteri ĩ Emphyteosim rursus fruẽda cõferre poßit, apud Bar. in. l. si quis ui. §. differentia. ff. de acqui. pos. & l. ex asse. ff. ad trebellia. Vendere tamen ea clàm domino, non licet, uti uidere est in. l. fi. C. de iure emphy. Emphyteomata.

Proinde nisi res in Emphyteosim, data, aut tota perierit, aut bello per Principem indicto, intercepta atq; obruta fuerit, omne eius periculum atq; incommodum in Emphyteotam redundat, refert Cynus in prædicta l. fi. C. de iure Emphyteoti. Periculum Emphyteoseos.

Mortuo conductore

FIeri potest quod colonus uel inquilinus prius moriatur quàm conductionis sit finis: in quo ne temere aliquid statuas, aduertendum est quia hæres, eiusdem conditionis & iuris censetur cũ defuncto: si quando ius conductionis necdũ est præterlapsum, in defuncti locũ subrogatur, donec id ipsum defluat, neq; per dominũ ante moueri potest, quo casu oportet hæredẽ defuncti uestigijs inhærere, & cõductonẽ iuxta conuentionem implere, l. uiam. C. de locato. Præter hoc quod ad contractus per defunctum initos usque adeo obstringitur, ut etiã rem per ipsum alienatam, quia hæres neq; euincere, neq; uendicare permittitur, sed magis exceptione doli submouetur. l. siue possessio. C. de euict. & l. filium. ff. de liberali caussa. & l. cum à matre. C. de rei uendi. Hæres colono succedit. Hæres ad contractus defuncti obligatur.

TITVLVS XXVI.

Societas humana.

De societate.



OCIETATIS nō una inter eruditos cōsideratio est: altera siquidē humana, altera ciuilis habetur. Humanæ societatis ingens etiam apud philosophos cōmēdatio est, sine qua ut nulla cōstat ciuitas, ita nullus humanæ gētis fermè cōplexus erit, propter quā leges uetustas condidit propter quā tot periculis, tot laboribus, hominē hominis caussa exponi, etiā dulce fuit, ne dicā, uita iucundius. De hac societatis parte, in V. finiū libro, Piso Academicus apud Ciceronē in hæc uerba disserit, In omni autē honesto quod per se expetendum dicimus, nihil tam illustre, nec quod latius pateat, quàm cōiunctio inter homines, & quasi quædā societas, & cōmunicatio utilitatum, & ipsa charitas humani generis, quæ nata à primo satu, quo à procreatoribus nati diliguntur, & tota domus cōiugio & stirpe cōiungitur, serpit sensim foras, cognationibus primū, tum adfinitatibus, deinde amicicijs, post in ciuitatibus cū ciuibus, & ijs qui publice socij, atque amici sunt: deinde totius complexu gentis humanæ, quæ animi affectio suum cuique tribuens, atque hanc quam dico societatem coniunctionis humanæ, munifice & æque tuens, Iusticia dicitur, cui sunt adiunctæ pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quæq; sunt generis eiusdem, atq; hæc ita Iusticiæ propria sunt, ut sint uirtutum reliquarum cōmunia, nam cum sic hominis natura generata sit, ut habeat quoddam innatū

Iusticiæ comites.

quasi

quasi ciuice & populare, quod Græci πολιτικὸν adpellant, quidquid aget quæq; uirtus, id à communitate, & ea, quam exposui charitate, atque societate humana, non abhorrebit. Idem in V. de legibus, Omnium autem (inquit) quæ in hominum doctorum disputatione uersantur, nihil est profectò præstabilius, quàm planè intelligi nos ad iusticiam esse natos, neq; opinione, sed natura esse constitutum ius, etiam patebit, si hominum inter ipsos societatem coniunctionemq; perspexeris, nihil est enim unum uni tam simile, tā par, quàm omnes inter nosmetipsos sumus. Quod si deprauatio consuetudinem, si opinionum uanitas, non imbecillitatem animorum torqueret, & flecteret quocūq; cœpisset, sui nemo tam similis esset, quàm omnes sunt omnium. Hæc est societas in qua omnium rerum atque utilitatum, quas ad communem usum hominum, natura genuit, est seruanda communicatio, ut quæ descripta sunt legibus, hæc ita teneantur, ut sit constitutum, quæ facit ut sint φίλων πάντα κοινά. quæ deniq; facit, ut unus ex pluribus fiat, autore Pythagora, atq; amicus alter sit ego, uti Cicero doctißime, & non secus quàm in omnibus, officiorum libro differit. Altera societatis pars in priuatarum rerum communitate consistit, ob negociationes, atq; ut lucrum faciamus introducta, Græci κοινωνίαν uocant, quæ ex consensu hoc fœderis ineuntium originem ducit, siue is sit perpetuus, siue tēporarius, siue ad conditionē interpositus. l. j. ff. pro socio. & l. de societate. C. eo. & dicitur societas ciuilis, quā unicā Imperator tractat, docēs quibus modis cōstare posit, & deniq; dissolui. Porrò in cōtractu societatis omnia secundum

Ius natura constitutum.

Amicorū oia communia.

Societas ciuilis.

In societate qd spectandum.

secundum conuentionis pacta effici oportet, siue id lucrũ, siue damnum contingat, de quo si nihil sit cõuentum, aut nominibus pactum, & pecunia in societatem collata sit æqualis, æquas etiam partes & in lucro, & damno inuicẽ referre conuenit. l. si non fuerit. ff. pro socio. Pecunia uero non ex æquo collata, & socijs dissentientibus, iudex lucrum damnum'ue, pro pecuniæ quantitate æstimato. l. si societatem. et citata. l. si non fuerint. ff. eo. Atqui in hoc socij pacisci queunt, ut alteri plus lucri, alteri plus damnu obueniat, sed quod alter damnum, alter duntaxat lucrum sentiat, societatis leges non patiuntur, cum iniquißimum esset, hunc damnum, illum uero lucrum tantum experiri, quam societatem Caßius (ut Vlpianus ex

Societas leonina.

Aristone refert) leoninam adpellare consueuit, forte ex Apologo, cuius & ERASMVS ROTERODAmus monet, ubi Leo, communem ex uenatu prædam sic diuidendam, ut sibi omnis ferme cedat, Vulpi minimam peßimo societatis exemplo proponit. Verba eius apologi sic se habent:

Λέων καὶ ὄνος καὶ ἀλώπηξ κοινωνίαν ποιησάμενοι, ἐξῆλθον πρὸς ἄγραν, πολλῆς οὖν θήρας συλληφθείσης, προσέταξεν ὁ λέων τῷ ὄνῳ διελεῖν αὐτοῖς, ὁ δὲ, τρεῖς μοιρίδας ποιησάμενος ἐκ τῶν ἴσων, ἐκλέξασθαι τούτους προὐτρέπετο, καὶ ὁ λέων θυμωθεὶς, τὸν ὄνον κατέφαγεν, εἶτα τῇ ἀλώπεκι μοιρίζειν ἐκέλευσεν, ἡ δ᾽ εἰς μίαν μοιρίδα, πάντα σωρεύσασα, ἑαυτῇ βραχύ τι κατέλιπεν, καὶ ὁ λέων πρὸς αὐτὴν, τίς σε ὦ βελτίστη διαιρεῖν οὕτως ἐδίδαξεν, ἡ δ᾽ εἶπεν, ἡ τοῦ ὄνου συμφορά.

In societate culpa abesto.

In societate, quæ bonam fidem non abhorret, & dolum & culpam luimus, nam eam diligentiam atq; operam desyderat, quam socij, tempore

pore

pore initæ societatis, unusquisq; rebus priuatis impendere solebant. l. socius socio. & l. cum duobus. §. uenit autem. ff. mandati. & l. cum mandato. ff. de mino. Vnde quicquid damni socij culpa interuenerit, cum ipso lucro non compensatur, sed in socium cuius culpa fuit, tantum redũdat, iuxta. l. non ob eam rem. ff. eo. Dissoluitur autem societas & euanescit, dissensu, renunciatione, morte, capitis diminutione, & egestate. Est in. l. si conuenit. l. sed & socius. & l. societatem. ff. eo. Postremo in societatis iudicio, is qui societatem initam esse non detrectat, neq; inficias it, non pluris debet, neq; arctius cogitur, quàm pro facultatibus suis præstare potest. l. si unus. ff. eo. l. sed hoc ita. et l. inter eos. ff. de re iudi. §. sed & si quis. infra de actio. Societas dissoluitur.

TITVLVS XXVII.
De mandato.


MANDATVM *quoq; ad eas obligationes pertinet, quæ consensu contrahuntur, & perficitur simulatq; mandatarius se ut mandatum est, facturum adsenserit, usqueadeo è republica est quenquam illud quod conficiendum adsumpsit, etiam præstare, idq; gratis mandatum siquidem nisi gratuitum sit, in aliam negocij formã transfunditur, locationem puto, conductionem, aut alios contractus innominatos, in. l. ex mandato. ff. eo. quod uti magis ob oculos habeas, sic intelligendum est, Quispiam sarcinatori sarcienda uestimenta tradit, certo ad hoc constituto nominatoq; pretio, hanc locationem & conductionem* Mandatũ gratuito fit.

nem proprie dicimus, alteri ex locato, alteri uero ex conducto actione competente, supra de loca. & conduct. & in.l.locatio.ff.locati. Sin uero nulla merces, neq; constituta, neq; promissa est, & sarcinator uestimenta sarcienda acceperit, mandati obligatio contrahitur, atque mandati actionem alterutri parit. Quod si nihil de mercede sit cōstitutum, sed postea forte tantum daturus, quāti inter eos cōuenerit, queadmodū frequens hominū usus argumento est, cōtractus innominatus erit, & utriq; ex præscriptis uerbis agendū, quod fit ex do ut facias, supra de locatio. & conduct.§.& quæ.& .l.naturalis. ff.de prescrip. uerbis. Præterea quādo Iustinianus mandatū cōstitui ait, tua gratia & mandātis, ueluti si uolente te agere cū fideiussore, ex fideiussoria caussa, mādet tibi, ut cū principali debitore atq; adeo reo, agas periculo mādātis, ad ea magis tempora spectare uidetur, monente etiam Angel. quibus debitori, liberū erat, uel fideiussorē ipsum, uel principalē reum conuenire, iuxta l.recte. ff. de fideiussoribus. Nunc uero, quia caussa fideiussoria locum non habet, nisi debitor sit uel absens, uel excussus, ut iam dudum adnotauimus, exemplum potius, ut locum enucleet, quàm quòd in forum produci queat, habendum est. Cæterum mandatum quomodo contrahitur aut perficitur, & deniq; finit, tam dilucide exponit, ut ne uerbū quidē amplius addi, quantū ad primordia iuris pertinet, sit admodum opus. Hoc præter, quod rem integram post mandatum adpellamus, si quando nihil, quod ad mandati consummationem adtinet, est uel factum, uel inchoatum, uerbi gratia, Mandatum tibi est, Titij domum pro centum aureorum pretio compa

Aduertēdus locus. (margin, beside "reum conuenire")

Res itegra post mandatum. (margin, beside "ter, quod rem integram")

cōparare, id quod iuxta mādatum ad arrhabonem usq; fecisti, quoniam mandati negocijs tete immiscuisti, res amplius integra non est, quam ob id inuito mandatori alteri committendam referre non poteris, apud iureconsultos in l. inter caussas. ff. eo. l. ante litem contest. ff. de procu. & Pau. de cast. l. pe. ff. de solu. uersi. secundo & principaliter quaero, qualiter dicatur res integra.

TITVLVS XXVIII.

De obligationibus quae ex quasi contractu nascuntur.



ECVNDA *species obligationum est, quae ex quasi contractu proficiscitur, tūc quando inter partes super aliquo neq; cōuenit, neq; cōtractū est, sed alter alterius nomine uel absentis uel ignorantis aliquid fecit, tā naturalis enim quàm ciuilis ratio, persuasum habent, alienā conditionem meliorem etiā ignorantis & inuiti nos facere posse, deteriorem non posse. l. soluendo. ff. de nego. gest. ubi utilitatis causa receptum est, eum qui negocia gessit, de eo quod impendit habere actionem, quae non ex uero sed ex quasi contractu atq; adeo ex bono & aequo processu.* Obligatio ex quasi contractu unde. *Neq; tantū ex quasi cōtractu quis ob negocia gesta solum obstringitur, sed etiam ex tutela, & legatorum nomine, & in summa, quaecunq; obligationes, neq; ex contractu, neq; ex maleficio, uel quasi originē ducunt, ex quasi contractu deriuari existimantur.*

Proinde ī negocijs gestis, quidquid eorū gratia utiliter impēderis, uel obligatū feceris, actiōe negociorū gestorū contra

cōtraria,repetere datur,nā perinde iustū est,gestorū eorū reddere rationē,quæ uel minus ut oportebat gessit,uel ex negocijs retinuit,ita ex diuerso recepti iuris est,si utiliter gessit,quidquid ei eo noīe uel abest,uel absuturū est, solutū iri,aliâs stupido stupidior esset,qui sua sponte & absq; mandato ullis negocijs sese implicaret,è quibus præter labores,etiam incōmoda sæpiusule spectaturus esset.

Ex quibus caussis inficiando lis crescit.

Litem inficiando crescere.

Litem inficiando crescere, intelligitur quando is qui negat,& conuincitur, pluris condemnatur, præsertim in duplo,ubi nō cōuictus simplum dedisset, quod fit in actione iudicati, depositi,legati,damni iniuriarum,& de modo agri apud Iulium Paulum,quemadmodum actiōnes per inficiationem duplentur,ut l.ij.§.& infra. & l. inde Neratius.§.hæc actio.ff. ad legem Aquiliam. & l. contrà negantem.C.de lege Aquilia.& tunc proprie duplantur lites,atq; inficiando crescunt,si reus in negando perseueret,donec per testes conuincatur,in l.alia caussa. & ibidem Alex.C.de ijs quibus ut indignis.In quo caussarum genere,indebitum solutum non repetitur, ob fictam illam transactionem quā aut pœnæ,aut dupli metu interuenire passus est,nisi constet damnum nullum prorsus illatum,quia calumniose non debitum recepisse creditur qui litem est molitus.l.ij.& l.ea quæ.ff. de condictione indebi.Reliquum ueteres Iureconsulti illud legati genus quod per damnationem constitui scripsimus, indebite solutum repeti nolebant,sed Iustinianus quando omnibus & legatis & fideicommissis, eandem rationem

tionem esse uoluit.l.ij.C.communia de legatis.id duntaxat legatum non debitum solutum repeti uetuit, qđ religiõis & pietatis intuitu, sacrosanctis ecclesijs uenerabilibus'ue locis sit expensum,partim quod optimus Princeps Ecclesiarũ bona Pontificum monitu,& hoc modo iuuare est conatus,partim quia collatio illa atque indebiti solutio,in pium usum facta sit,cuius prætextu repetitio non debeatur,quasi uero usus ille pius existimari debeat,qui admittit atque id deuorat, cuius nullũ non fœneratorem pœniteret.uideas quæ sunt in l.cũ ijs.§. mulier.ff.de condictione indebiti.& prædicta l.ij. C. communia de legatis.

Legatũ quãdo indebitũ solutũ nõ repetitur.

TITVLVS XXIX.

Per quas personas nobis adquiritur.

IN superioribus Institutionũ nostrarum locis expositum est,per quas personas rerũ dominia nobis adquirantur, præterea quæ personæ ius stipulandi habeant, cum uero de obligationibus pari diligentia hactenus sit tractatũ, ne & in hoc aliquid desyderare possis,docet Iustinianus non modo rerum dominia,& uerborum obligationes,uerumetiam quascunque obligationes, quæ ex contractu uel quasi originem ducunt,per alias personas contrahi nobisq; adquiri,puta per liberos quos in potestate habemus,itẽ seruos nostros,similiter per liberos homines, atque alienos seruos quos bona fide possideamus,quo fit ut hic locus quasi κολοφῶν censeri debeat, eius qui est per quas personas nobis adquiritur.& l.adquiritur.

A ff.de

ff.de adqui.rerum dominio.

Tamen post nostram constitutionem.

QVæ sit illa Iustiniani constitutio non planè uideó, nisi locum putes, qui est retro, in.§.fin.de stipula. seruorũ.quem fermè intelligere uidetur, tametsi & ante Iustinianũ Vlpianus seruum cõmunem ei soli ex dominis adquirere respondit, cuius iussu fuerit stipulatus, quã & Cabij atq; Sabini sententiam fuisse, argumẽto sunt l.ser uus.§.fina & duæ sequentes.ff.de stipula.seruo.quo fit, ut magis sententiam illam Cassium & Sabinum sequentium adprobando, ueterum ambiguitates definijsse intel ligi Iustinianus debeat, quàm propriam in hac constitutione promulgasse. Enimuero lex finalis, C.per quas per sonas nobis adquir.tametsi ab hoc loco primum intuẽti abhorrere non uideatur, (id quod nonnulli uolunt) aliò tamen peregre eam is cognoscet, qui oculis non conniuẽtibus ipsam dispexerit, nempe seruum communem ab al tero ex dominis stipulari iussum, si alterum inter stipulãdum nominarit, ei quoque adquirere quem nominarit, quod si nullum dũ stipularetur nominarit, ei adquirere cuius iussu est stipulatus, id quod indicasse tantum in animo fuit, & quasi per transennam demõstrasse, donec adolescens pleno iuris ciuilis robore accepto, etiã ad iudiciũ usque leges introspicere, atque in hac parte q͛d uero sit propius, consulto pronunciare poterit.

TITVLVS XXX.

Quibus modis tollitur obligatio.



ONSTITVTAE iam sunt omnis generis obligationes ex contractu uel quasi proficiscētes, quas qui diligenti animo cōplectitur, non facile in actionibus instituēdis impinget: quia uero nihil fermè tam fixū est, quī aliqua ex parte conuelli, & in praecipitium dari possit, non abs re fuit, exponere quibus deniq; modis obligatio tollitur, & euanescit, ad hoc longe utilissimum, ut cognoscamus opportune locū illum, Tibi nō competit actio, non secus quàm scutum aliquod, in aduersarium praetendere, porrò obligatione deficiente, nullus actioni locus est. Tibi non competit actio.

Et quod hunc titulum obligationibus quae ex maleficio, uel quasi oboriuntur praetulit, id forte in caussa esse poterit, quod nō iisdem modis obligationes ex contractibus quae priuatorū sunt hominū, atque ex maleficio enascentis, tollūtur: Illae enim per utriusq; partis dissensum, hae uero nō sic dispereūt, etenim qui delicti insimulatur non modo in priuatum hominem qui nocuit, sed etiam in communem hominum societatem peccauit: quo fit, ut quāuis ab aduersario mittatur, Magistratui tamen obnoxius maneat, cum reipublicae intersit ne crimina maneāt īpunita. l. ita uulneratus, ff. ad legem aquil. l. si lōgius. ff. de iudi. l. si à reo. §. fin. C. de poenis. & l. per omnes. C. de defensoribus ciuitat. Ad rem quod pertinet. Obligatio tollitur solutiōe eius quod debetur, cū nihil sit tā naturale (ut Vlpianus inquit) quàm eodem genere unumquodq; dissolui, quo colligatum est: Ideoq; uerborum obligationem uerbis perimi, nudi uero consensus obligationē, e contrario, dissensu tolli, iuris est manifesti, l. prout quisque. Interest reip. ne crimia maneāt impunita.

ff.de solutio.& l.nihil tam naturale.ff.de regul.iur. Vbi *per solutionem qua Iustinianus obligationem tolli præcipit, omnem liberationem quoquo modo factam intelligimus, quæ magis ad substantiam obligationis est referēda quàm ad certæ rei solutionem præstationemq́;, iuxta l.solutionis.ff.de solut.& liberatio.& l.solutio.ff.de uerb. signifi.* Sic qui ex nudo consensu obnoxius est, contrario consensu liberatur, qui uerbis, itidē cōtrarijs uerbis soluitur, cui id quod spopondit, adcepto refertur. Item qui re obligatur siue pecuniam, siue rem quandam dederit, obligationem illam solutione eius quod debitum fuit, perimi dicimus, quam solutionē facere potest, nedū is qui debet, seu obstrictus est, sed etiā extraneus, siue sciat, qui liberatur, siue ignoret, cum è republica sit, alterū, alterius conditionē meliorē reddere posse, non item deteriorem *l.soluere.ff.de solu.& l.soluēdo.ff.de nego.gest.* Potest tamen fieri ut quis ex parte liberetur, & ex parte debitor maneat, ut sunt qui integrum, atque ex asse non statim soluunt, sed aliquid soluendo reliquū habēt, quos ob id reliquatores adpellant, cū reliquari sit aliquid adhuc soluēdum reliquum facere, cuius uerbi nō infrequēs est usus in libris Pandectarum. Sic Scæuola, Ea quæ mala ratione reliquatus est, quasi furatus reposuerat.

Solutio est omnis liberatio.

Reliquatores.

Vbi aduertendum arbitror, eum, qui uel pecuniā, uel rem quandam debet, & non habet unde soluat, sed paratus est, aliam rem etiam pro pecunia in solutū dare, non audiendum esse, nisi creditor in hoc consentiat, atque adstipuletur *l.manifeste.C.de solutionibus.* Sin uero creditor consentire nolit, & debitor neque pecuniam, neque rem

Quomodo res in solutū dari possit.

rem mobilem habeat, quam ad boni uiri arbitrium in solutũ dare poterit, tunc rem quampiam ex immobilibus optimam creditori offerre fas est, quam ex iudicis, id est, boni uiri estimato in solutũ adceptare cogitur, aut eius alium ostendere emptorem, ex quo ipse posthac pecuniã emptiõis numeratam recipiat, debitoremq; mittat, iuxta constitutionem autenticæ, hoc nisi. C. de solut.

Item per acceptilationem.

ACceptũ accepto'ue ferre, uel referre, latina prorsus significatione pro eo dicimus quod est, adscribere quasi'ue receptũ habere. Cicero in oratione pro Deiotaro rege ad Cæsarem: Verũ omnẽ, inquit, tranquillitatem & quietẽ senectutis refert acceptã clemẽtiæ tuæ. Idẽ in Antonium, Omnia deniq; quæ postea uidimus, quid autẽ mali nõ uidimus, si recte ratiocinabimur; uni accepta referemus Antonio. & Suetonius ĩ Tiberio, Nã neq; donauit quicquã, neq; manumisit, neq; hæreditatẽ qdẽ, aut legata percepit ulla, aliter quã ut peculio referret accepta, id est, peculio adscriberet. Vlpianus & cũ eo iurecõsulti pro remittere, & quasi solutũ acceptũq; habere, etiam si nulla intercesserit solutio, dicũt, ut in illo, Si ex pluribus obligatis uni accepto feratur, ipse non solus liberatur, sed & ij q secum obligantur. Græci fermé πρόσδεσιν ἔχω. Et sicuti acceptum ferre pro acceptorũ numero habere, aut receptorũ libro inscribere dicimus, ita expẽsum ferre, ex altera parte, utpote debitoris, autore Asconio Pediano, est, expensorum numero habere, atq; scribere se de pecunia dedisse. utrunq; uerbum est apud

Acceptum referre.

Expensum ferre.

Cicerónem in iij. Verrina. sic inquientem. Nunc ad socio rũ tabulas accepti, & impensi reuertemur, in l. si prior. ff. qui potio. in pigno. habe. sic scriptum est, Vt primam tantum pecuniam expensam ferat, non etiam quã postea credidit. Verba quæ à nostræ ætatis iurisperitis, etiã ijs qui postremi esse haud uolũt, nisi ex cõmentario ægre intelliguntur. Hinc est, quod ab accepto ferre, Acceptilationem ex corrupto & integro usurpamus, pro ea solutione quæ magis imaginaria est, quàm quod reuera sit facta. Quæ est (ut Modestinus definit) liberatio p mutuã interrogationem, qua utrisq; contingit, ab eodem nexu absolutio, l. j. ff. de acceptil. Et est solutio tantum ciuilis, qua obligatio per stipulationem & ciuiliter uerbis contracta, dissoluitur, in hunc modum, Quod tibi promisi fers'ne acceptum, & alter respondeat, Acceptum fero, siue Græcis id fiat uerbis, quemadmodum in ratione stipulationum monuimus, ὑπὲρ ὑπόσχέσθην σοὶ, ἔχεις πρόσδεκτον, ἔχω. ἢ ἔχεις λαβὼν δηνάρια πόσα, ἔχω λαβὼν uti habetur ĩ fine l. an ĩutilis. ff. de acceptilat. Præter hãc autem reliquæ obligationes, ex re, consensu, aut aliàs cõtractæ, acceptilatione non antea tollũtur, quàm in stipulationem sint deductæ, & tum accepto ferantur in quem finem stipulatio, quam à Gallo Aquilio, Aquilianã uocamus, introducta est, qua omnes in uniuersum obligationes quibus ultro citroq; obstrĩgimur, in stipulationẽ & uerborum obligationem perducuntur, ut sic acceptilatione sopiri queant, id quod Imperator satis explicat, & habetur ĩ l. & uno. §. eius rei. ff. de acceptilat. & l. si donationis. C. eodem.

Acceptilatio quid.

Stipulatio Aquiliana.

Præter

Præterea nouatione &c.

NOuare est aliquid noui inducere, seu mutare atque in aliam faciem transfundere. Tranquillus in Domitiano, Multa (inquit) etiam in communi rerum usu, nouauit, sportulas publicas sustulit, reuocata cœnarum rectarum consuetudine, Hinc est quod noua, quæ fama oborta, circunferri consueuerunt, quibus inania nōnūquā adspersa, insunt, cōmenticia quoque dicamus, id est, fissmentis plena: Cum simili ratione, cōmenticium dicimus quod nouum est, & sine alio antiquiori exemplo recens editum, quemadmodum iureconsultus, in l. si pœna. ff. de pœnis. Ius commenticiū adpellauit, cuius & Budæus monuit, cōtra Acursium, pro eo quod nouum & recens factum est. Et Suetonius in Claudio spectacula complura, magnificaq; edidit, non usitata modo, ac solitis locis, sed etiam commenticia, ex antiquitate repetita. Ita nouare est obligationem nouam inducere. Et nouatio apud Vlpianum, est prioris debiti in aliam obligationem uel ciuilē uel naturalem transfusio, atque trāsmissio, quo fit ut anteriori obligatione extīcta, noua constituatur, in l. j. & l. si stichum. ff. de nouat. Proinde ueteri digestorū iure fiebat nouatio quoties obligatio, uel qualisqualis, ī formā stipulationis ducta esset, siue id per uerba nouationē importantia, siue non. l. ij. ff. eodem. qua de re iuris commētatores alijs alia opinantibus, digladiari cœperunt, & quisque sententiæ suæ caussam tueri, quibus opinionum uarietatibus tandem sublatis Imperator promulgata lege constituit, Nullam omnino nouationem obtinere, nisi priori obligatione expreßis (ut uocant)

Nouare. Commenticia Ius cōmēticiū. Nouatio quid. Nouatio iure principali.

uerbis remißa, posterior per contrahentes sit electa atq; receptata: sic ut uoluntas nouare cupientiū amplius nō sit inuoluta, sed magis inter cōtrahentes perspecta, aliàs anterior obligatio, firma manet, & posterior incremēti loco adcedit, utraq; deinceps ualitura, uidere est in l. fin. C. de noua. quare nouatio principalis ut constet, uidetur adceptilationi succedere, qua præmissa, in hunc modum nouamus. Sempronius qđ mihi debebat eiq; adceptū tuli mihi dare spondes, quo respondentē, spōdeo, èn tibi nouam obligationē quam nouationē dicimus.

Delegare. *Postremo per delegationem perimitur obligatio. Est autē delegare uice sua alium dare reū creditori, uel ei,*

Delegatio. *cui creditor iusserit. l. delegare. ff. de noua. & deleg. Debiti delegatio fit, quoties uice mea aliū reum forte mihi obnoxiū creditori offero, qui id quod ego debeo, dissoluat, & tunc demum perficitur, si creditor eum & consentiētem, & promittentem mei loco adceptarit, quo facto, obligatio, qua ego detinebar, disperit, & is quē ego delegaui, obligatur, in l. j. C. de noua. & de lega. ex quibus nemo non deprehenderit, in quibus nouatio, à delegatione dissidet, quorū eam ob rem monere uolebam, quòd in Pandectarum & Codicis libris Nouationes & delegationes ijsdē tractantur locis.*

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QVARTVS.

TITVLVS I.

De obligationibus quæ ex delicto nascuntur.



ETVS verbum est (inquit Macrobius) bonas leges ex malis moribus procreari, quamobrem non minimam nostræ prudentiæ partem existimato in eos legitime animaduertere, qui cõmunem hominum societatẽ atq; adeo pacem conuellunt, itaq; operæpretium est in hac institutionum parte, maleficia prosequi, haud obscuras obligationum caussas, unde similiter actiones proficiscuntur. Dicimus aũt maleficia, ea delicta, quibus qs dolo malo interueniente læditur, Græci Ἀμπλακίας uocant: Cuiusmodi sunt furtum, rapina, damnum iniuria datum, & iniuriæ, ut hic & l. ex maleficijs. ff. de actio. & obliga. Proinde singulorum singula capita, Iustinianus proposuit. Cũprimis de furto qđ M. Varro rerũ diuinarũ lib. xiiij. ut Marcellus refert, à furuo, hoc est, atro, dici mauult, eò quòd fures p obscuras noctes atque atras cõmodius faciliusq; rebus nostris isidiãtur. Massurius Sabinus à fraude, sed remotius deriuat, sunt qui à ferendo, ob id forte quia & Græci φῶρας ἀπὸ τοῦ φέρειν dicunt. Maleficia. Furtum unde.

Furtum quid.

Furtum (ut Iul. Pau. describit) est cõtrectatio rei alienæ, inuito domino, Fraudulosa, lucri faciendi gratia, uel ipsius rei, uel etiã usus eius, uel possessionis eius, quod lege naturali prohibitum est admittere. Vnde uidetur esse quod Labeo scribit, Brutũ dicere solitũ, Furti apud ueteres dãnatũ, qui iumentũ aliorsum duxisset, quàm in quẽ locum petierat, & est apud iurisconsultũ, in l. q iumẽta. ff. de furtis. Itaq; Q. Scæuola lib. iuris ciuilis xvj. in hæc uerba scribit: Quod cui seruandum datum est, si in id nõ usus est, siue quod utendũ adceperit, in aliã rẽ atq; adcæpit usus est, furti se obligauit. Proĩde furtũ quia publicæ paci aduersatur, suam pœnã aut legibus, aut moribus cõstitutam habet, usqueadeo alter alteri facere non debet, quod sibi ipsi fieri noluerit, apud Nazianzenum:

Οἷα πρὸς ἄλλομ μὴ παθεῖμ ὅλως θέλεις,
Τοιαῦτα καὶ σὺ μὴ δὲ δρᾶμ ἄλλῳ θέλε.

Furti uariæ pœnæ.

Factum est ut ueterũ alij seuerius, alij mitius id delictũ uindicarint, atq; sint ulti, Nã Athenienses cuiuscũq; furti reum, ex Draconis sanctione capitis supplicio adficiebant, quam pœnã ut nimis acerbã post deinde Solonis psuasu mitigantes, furta duplione ulciscenda statuerũt. id quod Plato in IX. de legib. imitatus esse uidetur, quorũ alterum in puniendis omnium generum furibus, nimis seuerum, alterũ nimis remissum xuiris uisum est, q lege XII. tabul. furem manifesto furto deprehẽsum, tunc demum occidi permiserunt, si aut (cum faceret furtum) nox esset, aut interdiu, cum deprehenderetur, se telo defensaret, cuiusmodi etiam sententia est in l. si pignore. §. furem. ff. de fur. sed impuberes Prætoris arbitratu uerberari

berari uoluerunt, noxamq; ab ijs factam farciri, frugem quoq; aratro quæsitā, furtim nocte parauisse ac secuisse carmine'ue excantasse, puberi ex iure xuirali capitale erat, nā suspensum Cereri, necari iubebāt, grauius quàm homicidio conuictum, Impubem uerberari noxam'ue duplionem'ue decerni. In tabulis xuiralib. sic scriptū serūt, Ne pelliciunto alienas segetes excantando, Ne imputanto, ne agrum defraudanto, ne frugem aratro quæsitam noctu furtim depascunto: Puberes si secanto, Cereri eos suspendūto, Impubes arbitratu Prætoris uerberāto, ac noxam duplionem'ue decernunto: sed à lege illa xuirali paulatim discessum est, & furti manifesti pœna quadrupli, nec manifesti dupli constituta, idq; siue in seruo, siue in libero sit homine, est in nostro ti. §. pœna. Inferius, de actio. §. ex maleficijs. §. dupli. & §. quadrupli. l. in furti actione. ff. de furt.

Ita quòd tam duplum quàm quadruplū ad pœnæ solum persecutionē spectare cognoscas, cum præterea, res ipsa furto subtracta, per dominum aut uendicari, aut cōdici poterit, ceu in fine huius loci uidere est, & l. si pro fure. ff. de condict. furt. Moses quoq; ut diuinus, ita oīum antiqssimus legislator, Exod. XXII. bouis furto ablati & occisi, uenundati'ue quintupli, inuenti autem penes furem atq; uiuentis dupli, multam esse uoluit. Sed diuus Fridericus, eius nominis primus, in ea constitutione quæ est in usibus feudorum. §. si quis quinque solidos, de pace tenenda. statuit, ut qui solidos quīque, plures'ue, furatus fuerit, laqueo suspendatur, si minus scopis excorietur, & for-

& forpicibus tondatur, id quod ignominiosum erat, à quo similiter discessum est, siue per aliam eiusdẽ Friderici constitutionem, de pace tenenda & iura. firman. §. iniuria seu furtum. siue per dissuetudinẽ (quod nõnulli uolunt) id sit emendatum atq; interim exautoratũ, & ad ius commune perductum (tametsi alijs alijsq; prouincijs, aliæ in uindicandis furtis, obseruationes habeantur, utinam tam æque, quàm ad inhumanos pœnarũ modos expositæ) obseruatur autem fermè constitutio, sed nouo iure. C. de seruis fugitiuis. quæ est in Autent. ut nulli iudicum. §. pro furto autem. colla. ix. qua cautum est, Ne cui pro furto membrũ abscindatur (id quod iure Longobardorum fiebat, quibus ob primum furtum, alterius oculi amißio erat, pro secũdo, manus amputatio, at qui tertio furti conuictum, extremo supplicio adficiebãt) sed illi q subinde furari, & quasi latrones paßim grassari consueuerunt, nõ secus atque communis reipublicæ pestis, legitimis modis è medio tollantur, iuxta l. capitalium. §. famosos. ff. de pœnis. Minores uerò nec tã insignes fures fustibus & scopis castigentur, nisi & ipsorum furtum sit grande, multisq; alijs conferendũ, quod uel ob id suspendium atq; furcas meretur, tradunt iurecõsulti, in Autẽ. Sed nouo iure. Ang. Aretinus, in de maleficijs. uer. Et cæleste uestẽ abstulit. Proĩde furta quãuis impune fieri nõ debeant, inueniuntur tamẽ qui ea sibi licere psuasum habuere. Ex quibus Lacedæmones alioqui magni nominis uiri adulescẽtibus suis, ut est apud Xenophõtẽ, ubi fame premerentur, alimẽta furari, & p industriam quærere, ex Lycurgi instituto pmittebãt, rati ijs artibus ad prædam,

Furũ supplicia.

Qui furta admittunt.

dam,reiq; bellicæ disciplinam exercitatiores fore. Aegyptij quoq;,autore Aristone iurecōsulto,furta impunita habebāt,maxime ad eū modū quē Diodorus Siculus lib. ij.tradit. Iubebant eos qui furari constituerāt, nomē suū apud Principem sacerdotum edere atque in album deferre,tum e uestigio furtum cōmissum uti erat,similiter qui bus res furto sublata esset,ad eundē & rei sublatæ tempus,diē puto & horam,depromere tenebantur,hoc modo facile inuento furto,qui rem amisisset, quarta parte eius propter socordiam multabatur,quæ furi cedebat. Satius lator legis fore ducēs,cū haud possibile sit, furta è medio tollere,potius alicuius portiōis,quàm totius rei amissæ,homines iacturam pati. Aegiptiorum mos in furtis.

Erant antiquitus furta per lancem & liciū cōcepta, quæ lege XII.*tabu.perinde atque manifesta uindicabantur,sic nūcupata,ut Pompeius autor est,quod qui furtū ibat quærere in domo aliena,licio cinctus intrabat,lancemq; ante oculos habebat,propter matrū familias aut uirginum præsentiam,quas sic territas aufugere potius, quàm insidiatorem cognouisse laborabat.* Furta per lancē & licium.

Rursus furti actiōe tenetur,maxime nec manifesti,nō modo is qui furatur,uerumetiam qui opem aut consiliū ad id committendum præstat, eadem pœna qua fur ipse plectendus.l.nec manifesti.l.in furti actione.§.consiliū. & l.is qui opem. atque ibidem interpretes.ff. de furtis. Ang.in de maleficijs,cap.dicto autem maleficio semper adstitit.uer.ij.præstat opem. Quod si tātum consilium dederit,neque ad delictum sit processum, furti non tenetur,in.§.certè qui.& l. qui seruo ab exordio.ff. de fur. Opē præstās.


Verum

verum ut receptui canam, utcunq; in furta sanctiones fiant, utcunq; obseruatiões, pœnarum modos admittãt, timeo, ne (quod Xenocrates dicere solebat) magnos fures excolamus, minores aũt morti demus. cui nõ absimile est quod M. Cato apud Gellium in oratione de præda militibus diuidẽda scripsit. Fures, inquit, priuatorũ furtorũ in neruo atq; in cõpedibus ætatẽ agũt, fures publici ĩ auro atq; in purpura. Cui malo facilius obstaculũ posueris, si fontes illi nobis forent, quos Iulius Solinus ĩ Sardinia esse scribit, qui oculis medentur, & coarguendis ualent furibus, nã quisquis sacramento raptum negat, lumina aquis obtrectat, ubi periurium non est, cernitur clarius, si perfidia abnuit, detegitur facinus cæcitate, & captus oculis, admissum tenebris fatetur.

Fontes qui fures produnt.

TITVLVS II.

De ui bonorum raptorum.



QVISQVIS *rem alienam solo nõ hæretem, ui rapit, ui bonorum raptorũ tenetur: Nam detrahere aliquid alteri, apud Ciceronem in* III. *de officijs libro, & hominis incommodum, suum augere cõmodũ, magis est cõtra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, si enim sic erimus adfecti, ut propter suũ quisq; emolumẽtũ spoliet. aut uiolet alterũ, disrũpi necesse est eã, quæ maxime est secũdũ naturã humani generis societatẽ, huc enĩ spectant leges, hoc uolũt, incolumẽ esse ciuiũ coniũctionem, quã qui dirimunt, eos morte, exilijs, uinculis, dãno coercẽt, quod malũ & Hesiodus uitandũ monet, in libro qui*

inscri

inscribitur Ἔργα καὶ ἡμέραι, *cuius uerba hæc sunt:*

Δὼς ἀγαθή, ἅρπαξ δὲ κακή, θανάτοιο δότειρα,
Ὃς μὲν γάρ κεν ἀνὴρ ἐθέλων, ὅ γε κἂν μέγα δώῃ,
Χαίρει τῷ δώρῳ, καὶ τέρπεται ὃν κατὰ θυμόν,
Ὃς δέ κεν αὐτὸς ἕληται, ἀναιδείηφι πιθήσας,
Καί τε σμικρὸν ἐόν, τό τ' ἐπάχνωσε φίλον ἦτορ.

Quod datur est melius, scelus est mortale rapina,
Nam quicunq; uolens aliquid donarit, in ipso
Lætior est dono, mentemq; oblectat amici,
At qui posthabito quidquam rapuisse pudore
Ausit, utut modicum, charum contristat amicum.

In raptores ex edicto Prætoris, ui bonorũ raptorum datur, intra annũ à commissa rapina, in quadruplũ, post uero in simplũ, ita quod in quadruplo etiã rei psecutionem comprehendat, eius enim triplum, in pœnã, simplũ uero in rem computatur. l. j. & l. ij. ff. ui bo. rap. & l. j. C. eo. ubi Prætor uisus est raptorẽ mitiori modo perstringere quàm furem etiam manifestũ, qui ultra quadruplionem & rem ipsam, eius'ue æstimationem restituere cogebatur, eò fortaßis, quia raptor non tam nocens atque infestus uidetur, ut qui palàm grassatur, & quasi facinoris sui index, modo repelli, modo deuitari poterit, præter hoc uiribus suis confisus, sæpe maximis se periculis exponit, & dum rapinæ anhelat, ex arbore suspẽsus, lõgã illam literam facit. Quare Saluius quoque Iulianus, fures raptoribus improbiores dicit. Nec qui rapuit ui bonorum raptorun tantum obnoxius est, sed etiam furti nec manifesti accusari potest, si in rapina non sit prehensus, l. j. ff. eo. & l. si quis domo. ff. de furtis. sin uero prehen

Pœnã raptorũ.

Fures raptoribus improbiores.

prehensus. & excitato clamore monitus, cœpto non desistat, furti manifesti tenetur, l. si uendidero. §. cũ raptor. l. ij. & l. si quis in seruitute. ff. de furtis.

Itaq; liberum esse leges permiserunt, hoc casu, aut ui bonorum raptorum, aut furti iudicium instituere, sic, ut Præses id quod accusator ex priori iudicio est cõsecutus, in postremum conferat, atq; ex reliquo impeditũ cõdẽnet. l. j. ff. de ui bo. rap. l. j. in fi. ff. arborũ furtim cæsa. l. q ex uno. & l. quoties. ff. de actio. & obliga. Postremo, & illa ui bonorum raptorum pœna ex Prætoris edicto constituta, fermè in dissuetudinem abijt, quando Rapones illi omnium perniciosißimi, ut publicæ pacis præuaricatores, modo gladio ultore, modo rota tormentali: alicubi etiam furca atq; laqueo dignis pœnis ulciscũtur, iuxta l. capitalium. §. famosos. ff. de pœnis. & Auten. ut nulli iudicum. §. quia uero nos. colla. ix. est repetitũ, in Auten. sed nouo iure. C. de seruis fugitiuis.

TITVLVS III.

De lege Aquilia.



ANC *legem aquilius tribunus plebis rogauit, quare Vlpianus Plebiscitũ adpellat in l. j. ff. ad legem Aquiliam. doli mali quoque formulæ Aquilio (quisquis ille fuit) adscribuntur, cuius & Cicero meminit in* III. *de officijs inquiens: Nondum enim Aquilius protulit de dolo malo formulas. Ea damnum iniuria sine culpa datum ulciscimur. Et in duo capita diducitur, ut quorum usus nobis est. Primo capite illud damnum uenit, quod quisq; ob ser*

L. Aqui. Primum cap.

uum,

uum, pecudem'ue, occisum, occisam'ue per iniuriam, patitur, nam quanti ea res eo anno retrorsum plurimi fuerit, tantum domino dare hac lege cōdemnatur, ut est etiā in l. ij. & l. ait lex. ff. eo. Quod damnum acceptum non affectione animi, hoc est, quamplurimi quisq; interesse suum depretiari ausit, sed pro communi atq; adeo iusta æstimatione illius loci ubi reus conuenitur, sarcire oportet, iuxta l. si seruum. & ibi iureconsultos. ff. eo. Rursus pecudem in hac lege, non omnem quadrupedem quæ in rebus nostris esse potest, intelligit, sed eam tantum quæ gregatim pasci consueuit, quales sunt equi, muli, asini, oues, boues, & capræ, quibus labeo sues quoq; adnumerat, nec immerito, ut quas M. Varro inter minores pecudes colloat, carmen uero cuius hic mentio habetur, in uulgatis Homeri codicibus, non extat scriptum, & Caius Elephantes atq; Camelos qui ipsi quoq; agmen faciunt. Plinius viij. naturalis historiæ libro. cap. v. sic scribit de Elephantis, Sexto persunduntur amne, non ante reduces ad agmen. Et c. xviij. Camelos inter armenta pascit oriens. M. Varro, de re rustica aliam pecudum diuisionem facit, quam in ij. libro, cap. j. lector bonis litteris natus inuestigare potest. In altero huius legis capite, reliqua rebus nostris siue animatis, siue non animatis, damna sine iure illata ueniunt quæ præter occisionem censemus, exceptis quadrupedibus quæ pecudum numero non sunt, (nam illæ tantum occisæ hoc capite uindicantur) quapropter, quisquis alteri urēdo. frangēdo, depascēdo, secando, rūpendo, & id genus modis, damnū fecerit, quanti ea res in diebus xxx. retro proximis fuerit, tantū domino dare

Pecudes quæ.

Alterū caput l. Aquiliæ.

damnatus esto, iuxta l. si seruus seruũ. §. tertio autem capite. & l. quemadmodum. ff. eo. tit.

Actio L. Aquiliæ, inficiando crescit.

Proinde natura actionis Aquilianæ est quod is qui dãnum à se datũ nõ statim it inficias, simplũ, qui uero abnuit, donec cõuincatur, in mendacij pœnã, duplũ soluere cõpellitur, l. inde Neratius. §. hæc actio. ff. ad legẽ Aquiliam. & l. cõtra negantẽ. C. eo. tit. & hoc est, quod superius, de oblig. quæ ex quasi cõtractu nascuntur. §. ex quibusdam. caussas esse ait ex quibus lis inficiando crescit.

Item si ex pari mularum.

Mulus ex equa & asina. Hinnus.

HIc locus eò referri non debet, quod ex pari mularũ, semen aliquod atq; geniturã spectamus, unde damnum licitari queas, cũ ex equa & asino, mulus mula'ue generetur, nam qui ex equo & asina producitur, Hinnus est apud M. Varro. rei rusticæ lib. ij. c. vj. Columellã, & Plin. sed in hanc sententiam intelligitur, Si ex pari mularum alteram quis occiderit, non illud modo damnũ quod perempti corporis est, æstimari, sed eo amplius quicquid perempto eo corpore damni patimur, puta ob uecturas quas interim negligere oportet, nam quod eius nostra interest, uenit sarciendum, non secus atq; si ex quadrigis (hoc est secundum Columellam) equis quadrigam ducentibus, unus aut alter fuerit peremptus. si quidem mulis uehicula perinde atq; equis simul iunctis, ducũtur, teste M. Varrone cuius uerba hæc sunt: In grege mulorum parando, spectanda ætas & forma, alterum ut uecturis sufferre labores possint, alterum ut oculos adspectu delectare queant, hisce enim binis coniunctis, omnia uehicula in uijs ducuntur.

Mulis vehicula ducuntur.

Titulus

TITVLVS IIII.
De iniurijs.



INIVRIARVM Vlpianus generali significatione omne illud adpellat, quod nō iure fit, Cicero iniustitiam, Eā inferre Socrates, apud Platonem in Gorgia maximum omniū malorum esse putat, sed Hesiodus suo seculo modis omnibus increbuisse conqueritur, quid facturus si hanc nostram ætatem lōge corruptißimam uel parum reuisere olim, fuerit datum, ubi, quo quisque superior, eo petulantior ad nocendum habetur, ita siquidem fieri debet si quando nullæ nobis leges, nullæ mortalium societates amplius curæ sunt. sed nec tamen inultum isthoc malum Hesiodicus ille Iuppiter esse permittit: Iniuria quid.

Οἷς δὲ ὕβρις τε μέμηλε κακὴ καὶ σχέτλια ἔργα,
Τοῖς δὲ δίκην κρονίδης τεκμαίρεται εὐρύοπα Ζεύς.
Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.
At qui corde malum spirat, cui iniuria facti est,
Iuppiter huic pœnam uindictæ destinat æquus,
Quam tulit unius plebs sæpe uniuersa delicto.

Porrò Ἄτην atq; ultricē deam, celerē comitē inuenit, quā λιτὰς seu preces, Iouis filias, claudis pedibus & longo interuallo cōsequi Homerus fingit, indicās hoc symbolo offensas ultiones'ue citas quidē esse, facileq; committi, reconciliationes uero tardas, ita enim inquit Iliados ix.

Καὶ γάρ τε λιταί εἰσι διὸς κοῦραι μεγάλοιο
Χωλάι τε, ῥυσάι τε, παραβλῶπές τ' ὀφθαλμώ,
Αἵ ῥά τε καὶ μετόπισθ' ἄτης ἀλέγουσι κιοῦσαι
Ἡ δ' ἄτη, σθεναρή τε, καὶ ἀρτίπος οὕνεκα πάσας

Πολλὸν ὑπεκπροθέει, φθάνει δέ τε πᾶσαν ἐπ' αἶαν
Βλάπτουσ' ἀνθρώπους, αἱ δ' ἐξακέονται ὀπίσσω.

Certe hanc iniuriam cõmittimus, modo ambitione secundum Ciceronem, atq; habendi cupiditate, cuius, temeritas C. Cæsaris apud Romanos exemplum est, haud obscurum ut qui omnia iura diuina & humana peruertit, propter eum quem sibi ipse opinionis errore finxerat magistratum, modo ex nimis callida, atq; adeo maliciosa iuris interpretatione iniuria surgit, ex quo illud, summum ius summa iniuria. Item, qui nimium mungit, elicit sanguinẽ. Cuius bonam partem ueteratores ne teneant, qui à litibus fori sunt, uiderint: quorũ interest prouidere, ne respublica pessum eat, ei siquidem melius fore, non est quod dubitemus, ubi bonus quispiam Hercules hydram illam, hoc est, allegationes plusquam superstitiosas, & improbe solers iuris suffugium è medio tulerit, & sic ansam traducendi magnam orbis partem rabulis hominum ærusca toribus, atq; Harpyijs eripiat, ut qui perpetuo protelandi lites, atque interim emulgendi numos occasionem nõ item obuiam haberent.

Suumum ius summa iuria.

Rabulæ ærusca tores.

Rursus iniuria significatione speciali (quemadmodum in præsentiarũ accipitur) contumelia est, quam ὕβριν uocant, & datur (secundum Iul. Paulum) in corpus, ut uerberibus, atq; illato stupro, uel extra corpus, ut conuitijs, famosis'ue libellis, de omnibus enim bene loqui etiã si mali sunt pulchrum est, atq; è republica iuxta illud δίστιχον,

Iniuria pro cõ tumelia

Ἐσθλὰ λέγειν αἰεὶ πάντες, καλὸν, αἰσχρὰ δὲ δεινὸν,
Κἂν ὦσιν τούτων ἄξιοι ὧν λέγομεν.

Neq; ulla ciuitas recte constabit præsertim legibus instructa,

ftructa, nisi aut iniurijs quoque uacet, aut illatæ ultro citroq; condonentur, cuius exemplum esse potest quod Thrasibulus Atheniensis post reconciliatam ciuitatem legē tulit, quam hinc Ἀμνηστίαν uocāt, ne quis retro iniuriarum meminisse uelit. Eam & Romæ inducere Iulio Cæsare interfecto Senatus Cicerone suadente tentauerat, sed Octauio & Antonio irrumpentibus in irritum cesserat, quam post deinde Claudius firmauit atq; itē alij, sic Vopiscus in Aureliano, Amnistia etiam sub eo delictorum publicorum decreta est, de exemplo Atheniensium, cuius rei etiā Tullius in Philippicis meminit. Quod etiam iurisconsultus considerasse uidetur, qui, licet Ἀμνηστίαν illam atq; iniuriarum obliuionem in uniuersum esse non uoluerit, ne tamen actiones iniuriarū perpetuæ essent, sed annuo spatio, à die quo illatæ forent, aut cognitæ, expirarent, constituit, præsertim ex ijs quæ prætoriæ sunt, nisi lis interim contestata eas protelari atq; comperendinari effecerit. l. si non conuitij. & iuxta eam interpretes. C. de iniurijs. Eam uero iniuriarum actionem quæ ex. l. cornelia est, perpetuam esse dicunt. Præter hoc quòd dissimulatione quoque tollitur iniuria, atq; consuetudine eius qui ipsam intulisse dicitur. l. non solum. §. iniuriarum. ff. eo. tit. Iniuriarum obliuio. Iniuriarū actio annalis est.

Aut prætextatum prætextatam'ue.

P*Rætexta toga est cui purpura in oris & circuitu prætexitur, quam Græci περιπόρφυρον adpellant. Plutarchus in Sertorio: οἱ δὲ πατέρες ἥδοντο θαυμασίως τοὺς παῖδας ἐν περιπορφύροις ὁρῶντες. & inter alia insigne erat ingenuorum puerorum apud Romanos, quemadmodum & aurea bulla, cuius originem apud Hetru*- Prætexta.

scos fuisse Pli. *lib. naturalis historiæ* VIII. *cap.* XLVIII. *autor est, nam toga prætexta, & latiore clauo* Tullũ Hostilium III. Ro*manorum regem primo usum deuictis* Hetruscis *historiæ produnt, unde prætextatos ex ingenuis pueris eos dicimus, qui prætexta induebantur, quod in sextumdecimum usq; annum permissum erat, quæ ætas prætextata dicebatur, post deinde uirilem togam sumere solebant, cuius Suetonius* Tranquillus *in Augusto argumentum præbet, his uerbis, Quadrimus patrem amisit,* XII. *annum agens auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit, quadriennio post uirili toga sumpta, militaribus donis, triumpho Cæsaris Affricano donatus est, quanquàm expers belli propter ætatem. Quis uero Papyrius Prætextatus fuerit quæ'ue illius cognomẽti caussa, apud Aul. Gellium est lib. noctiũ* Attica. I. *cap.* XXIII. *&* Macrobium, *lib.* I. *saturnaliorum, cap.* IIII.

Aurea bulla.

Prætextati.

Ad rem quod spectat, Iniuria est prætextatũ, prætextatam'ue insectari, hoc est, contra bonos mores publicamq; honestatẽ, eò loci ubi minus licuit, tacite et frequẽter insequi, propter ignominiã sæpißime hoc modo partã. l. item apud Labeonem. §. aliud est ff. eo. titu. quo fit ut prorsus sint ἀπροσδιόνυσα, *quæ Accursius in hunc locũ hallucinatur, cum de ueste in alterius contumeliam adsumpta, adeóq; mentito habitu, hic nihil tractetur, sed magis in §. hæc autem. citatæ. l. item apud Labeonem. l. mimæ.* C. de Episco. audien. Et *in autentica, de sanctis.* Episcopis. §. *omnibus itaq;. coll.* IX. *ubi pro scemate, falsa uoce, schemate, reponẽdum obiter monemus,* σχῆμα *enim habitus est inter alia atque uestitus cuius apud* Plautum *Comicum*

σχῆμα.

alicubi

alicubi usus est, aliàs figuram dicimus. Plutarchus in Romulo, φορεῖν δὲ καὶ παῖδες αὐτῶν τὴν καλουμένην βοῦλλαν ἀπὸ τοῦ σχήματος. Proinde quãdo prætextatum adsectari iniuriã dicit Iustinianus, ad masculinam & Cinædicã uenerẽ referendũ est, toties à Iuuenale taxatam, de qua in uniuersum tacuisse, quã uel pauca dixisse præstat.

Pœna autem iniuriarum.

IVs Talionis *nonnulli ad Rhadamantũ antiquissimum apud Cretenses, ut Plato scribit, legum interpretem retulerunt, Pytagoreis non improbatum, ut qui uerbum illud Græcum subinde dictitare solebant,* εἴκε πάθοι τὰ κ' ἔρεξε, δίκη τ' ἰθεῖα γένοιτο. *Meminit eius Aristot. in V. moralium magnorum Solon Athenienses de iure retaliandi impendio acerbius constituisse uideri potest. Nempe, qui alterum alicui oculum eruisset, ipse utroque priuaretur. Melius xuiri, In eum qui membrum alteri rupisset, è pacto talio esto. Quam pœnam ad coërcendos magis homines ab iniurioso insultu, non solum iure xuirali, sed etiam diuino, receptam multi uolunt quando oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu uindicatur.* Rhadamantus

Ratio uero Talionis secundum Legem xij. tabularũ, ut Sextus Cæcilius iureconsultus apud Aulum Gellium, libro noctiũ xx. cap. j. disserit, huiusmodi erat, Reus qui membrum alicui rupisset, poterat super rupto membro cũ læso depacisci, quod si nolebat, quia tantũ fortè in bonis non haberet ut damnum sarciret, tunc iudex talionẽ imperabat, quam ob id quasi in magna ueterum paupertate Iustinianus inductã scribit, quod si & pactio grauis Talionis pœna.

& talio acerba reo uisa fuisset, æstimata demũ lite iudex hominem pecuniæ damnabat, unde seueritas legis ad pecuniæ multam conuertebatur. Iniuria. XXV. assibus redẽpta. *Præter hoc aliter de iniuria ulciscẽda* XII. *tabulis, & post (nisi me fallat opinio) legem talionis, in hũc modum scriptum est: Si iniuriã alteri faxit* XXV. *æris pœna sunto, id quod mollius uisum est, quàm ut malos ab iniuriarum petulantia represserit, quis enim tam inops, quem ab iniuria faciũda* XXV. *asses deterreant.* Porro L. *Næratius homo egregie improbus, atq; inani uecordia, pro delectamento habebat, os liberi hominis manus suæ palma uerberare, quẽ seruus sequebatur, crumenã aßium plenã portitans, & quemcuq; depalmauerat dominus, numerari ei statim secũdũ* XII. *tabulas* V. *&* XX. *asses iubebat.* Pœna iniuriarum. Propterea *(inquit Labeo)* Prætores *hanc pœnã ut nimis mollẽ & dilutam abolescere, & relinqui censuerunt, permittebantq; ipsis qui iniuriam paßi sunt, eam æstimare: ut tanti iudex reum cõdemnet, quanti iniuriam paßus æstimarit, minoris'ue, prout iudici uisum fuerit, id quod in iudicijs quoq; frequentamus.* Iniuriarũ ratio. *Sic iniuria adfectus obtestetur oportet, se malle ex rebus quas tenet, quingentos deperdere aureos, proinde plus, minus'ue (nam in æstimatione consistit) quàm illatæ illi iniuriæ subiacere, quantiq; iudex oblato actori iureiurando eam æstimauerit, reum dare conuenit, apud iureconsultos, l. iniuriarum. ff. de iniurijs.*

Vt aliud in seruo actore &c.

Seruus actor. SEruos *officiorum quoq; gradu distinguimus, ita seruum actorem adpellant, qui uillicis rebus ut magis industriis præfectus est, qualẽ* L. *Columella rei rusticæ libro j.*

bro j.cap.viij.describit.Medij autẽ actus seruus est Mediastinus à medio & stando,uel tenendo ut refert Priscianus,quia mediũ statũ tenet ille atrijs, focis, balneis, & id genus alijs operis ex imperio prospicit.Sic Vlpianus l.j.ff.nautæ,caupo.stabularij.Cæterũ si quis opera mediastini fungitur,non continetur, utputa atriarij, & focarij,& ijs similes.Et Columella ubi docet,quibus operibus quisq; seruorum sit contribuendus : Propter quod (inquit)separandi sunt aratores à uinitoribus,& uinitores ab aratoribus,ijq; à mediastinis.Infimas seruorũ illi habent,qui ergastulis atque compedibus emancipati, durißimum opus faciunt. In hunc quippe modum iniurias seruis nostris illatas,pro officiorum gradu,pluris minoris'ue reputamus usq; adeo iniuria actori seruo facta,maior est multo atque atrocior,quàm quæ mediastino, rursus mediastino iniuriari, plus est quàm compedito atq; infimæ sortis abiecto homini,ad imitationem illius iniuriæ quæ libero homini infertur, quam itidem pro illius cui infertur dignitate, modo atrocem, modo leuem dicimus. Mediastinus.

In summa &c.

INdicat *Iustinianus eum qui iniuriam ulcisci uult,posse agere aut ciuiliter, quando sibi ipsi multam adiudicari petit,aut criminaliter,si quando reum Iudici extra ordinem plectendum in corpus.siue pecunia in ærarium referenda,committit.Extra ordinem autem pœna est quæ iure expresso non definitur,sed iudicis de crimine cognoscentis arbitrio relinquitur, ita tamen ne modum excedat l.j.ff.de iure delibe.l.j* §. *expilatores.ff.* Pœna extra ordinem.

 de effra

de effracto. & l. hodie. ff. de pœnis. Præterea *pœna etiam legibus definita, si per iudicem alterari, hoc est, augeri uel minui potest, extraordinaria dicitur, l. ij. C. ut intra certum temp. l. & si seuerior. C. ex quibus caussis.* Rursus *de iniuria conuictus siue hoc sit ciuiliter, siue criminaliter redditur infamis, l. athletas. §. fi. ff. de ijs qui no. infamia, & c. cum te. de sen. & re iud. id euitare potest qui ab initio per procuratorem iudicium suscepit, l. furti. §. si quis alieno nomine. ff. de ijs qui no. infa.* His *adde, quòd quicunque de iniurijs ciuili ratione experiri uolet, uel per se, uel per alium id facere possit, l. non solum. §. agere. ff. eo. tit.*

Infamia quomodo deriuat.

In *criminali uero actione non admittitur procurator, nisi persona quæ iniurias uel persequi, uel suscipere uelit sit illustris, superillustris'ue, ut ex constitutione Zenoniana l. fi. C. eo. tit. & in* Autentica, *ut ab illustribus. §. sancimus. coll. v. quem locum, ut obiter indicemus,* Interpres *non tenuit, cum illustres personæ non tantum nomine censeantur, quod ipse putat, sed quæ & dignitatem, & administrationem æque habent atq; superillustres,* in Autentica *de adpellat. & intra quæ tempora. §. illud etiam. nisi respexerit ad l. quisquis. C. ad legem* Iuliam *maiest. ubi illustres uocantur, qui consilijs & consistorio* Principis *intersunt.*

Procurator in criminalibus nō admittitur.

TITVLVS V.

De obligationibus quæ ex quasi delicto nascuntur.

Quasi



VASI delictum dicimus quando non ex dolo malo sed magis imperitia quadā et minus ꝓuide peccatur, quo pacto & iudex si p imprudētiā pperā ꝓnūciarit, utcūq; habeat aut legē non sanè intellectā, aut Iurecōsultū ducē, si à cōmuni legum tramite, aut recepta cōsuetudine, sit aberratū, litē suā facit, hoc est damnū eius litis ut maxime interest, & Iudicis religioni uidetur læso restaurare cōpellitur, est etiā in. l. ex maleficijs. §. si Iudex. ff. de actio. & oblig. l. si expreßim. ff. de adpel. copiosius colligit Bar. in quæstione sua. Si Iudex per imperitiam, à qua demū pœna, quia securi hodie uiuimus, atq; in utrāuis (ut dici solet) aurē dormitur, audacius multi atque nihil pœnā timentes, in pronūciando peccamus. Vbi monuisse conuenit, ne acturus contra huiusmodi imprudentem Iudicem, certam dāni, aut eius quod tua interest, quantitatem petas, sed Iudicis religioni committas, acceptum interim damnū ex æquo æstimare. Sūt etiā qui muneribus corrupti, sententias uenales habent, homines qui nulli rei minus atq; sacrosanctis fūctionibus præfici deberent, eos Hesiodus δωροφάγους, nos donuoros, recto atque conuenienti uocabulo adpellamus, dum sic infit: Iudex quando litem suā facit,

Αὐτίκα γὰρ τρέχει ὅρκος ἅμα σκολιῇσι δίκῃσιν,
Τῆς δὲ δίκης ῥόθος ἑλκομένης ᾗ κ᾽ ἄνδρες ἄγωσι
Δωροφάγοι, σκολιαῖς δὲ δίκαις κρίνωσι θέμιστας.

Et hoc est quod Erasmus Roterodamus in mu sa Dorica δωροδοκεῖσθαι, atq; apud Pythagorā, κυάμους ἐσθίειν, dici scribit, unā à fabis & Pythagoras, ut incorrupti iudicij Philosophus, abstinuisse uideri queat, tametsi Aul. Gel. Δωροφάγοι Iudices.

Gell.lib.IIII.noctiũ,cap.XI.in aliam sententiam,prodentibus ijs qui ab ætate Pythagoræ haud multum aberant, id factitatũ memoriæ prodiderit.Proĩde Pythagorã nullo unquã legumẽto sæpius usum quàm fabis, & nõ tantũ

Pythagoras quare fabis abstinuit.

Iudices qui doricam musam canunt,& se muneribus corrumpi sinũt,uerumetiam corruptores ipsi pœnã ex principalibus constitutionibus inueniunt, utinam tam obseruatam quàm prouide recteq; cõstitutam:quisquis enim de caussa sua diffidens, Iudicem corrumpere & sacrosanctum tribunal contaminare ausit,ipse litẽ caussamq; perdit.Iudex autem ubi caussa ciuilis fuerit,ignominia notatus,triplũ litis rependit,in quæstione uero criminali confiscatis omnibus bonis in exiliũ mittitur,in magno tractatu Codicis,de pœna iudicis qui male iudicauit. Alexander Imperator huiusmodi iudices,autore Lãpridio,non secus atq; fures insectabatur.Seuerius Cambyses Persarũ rex, qui dũ iudicem Doricæ musæ cantorẽ reperisset, ipsi pellem detraxit,quã et pro tribunali suspẽdi iussit,cæteris, ne talia auderẽt,in terriculamentũ.In summa manus iudicantium puræ sunto,atq; à muneribus & corruptelis illibatæ,nisi eius iudex cõditiõis sit,qui iustam laboris sui mercedẽ à partibus exigere poßit,cui consultum erit, ne & tunc aliquid recipiat,nisi Tabellione & testibus tanquàm fidei suæ arbitris præsentibus,quibus coram testetur id se nõ muneris,sed mercedis nomine receptare. Colligũt Bal.c.fi.de adpel.et Archidia.XI.q.III.c.qui recte.

Pœna iudicẽ corrumpentis.

Pœna iudicis corrupti.

Iudicis pellis detracta.

Item is ex cuius cœnaculo.

A*D eum titulum locus refertur,qui est in Pandectis, de ijs qui deiecerunt uel effuderũt. summa enim utilitate*

litate reipublicæ Prætorem edixisse constat, ut sine metu & periculo per publica itinera commeari liceat, usqueadeo loca siue publica fuerint, siue priuata, per quæ uulgo iter fieri consueuit, securitatem habere debent, quo tamē iter facientibus prospicitur, non uijs publicis studetur. Quod si in eū locū quo uulgo iter fieret, uel in quo consisteretur, deiectū effusum'ue quid erit, quamuī ex ea re dānū datū, factū'ue erit, in eū qui ibi habitauerit in duplio nem iudiciū Prætor pollicetur, neq; solum ob deiectū effusum'ue pœna irrogatur, sed etiam, is qui in suggrundijs, proiecto'ue, uel supra locum qua uulgo iter fieret, uel in quo cōsisteretur, id positū suspēsum'ue habeat, quo decedēte noxia noceri poterit, x. solidorū iudicium Prætoris edicto sustīebit. l. j. l. si uero plures. §. prætor ait. ff. de ijs, qui deiecerūt uel effuderunt. Vbi obiter monemus locum in allegato. §. prætor ait. Nequis in suggrundia, protecto'ue mendosum esse, neq; Accursio cognitū, qui & Baptistæ Pio, uiro de bonis literis nō male merito, in primo Lucretij cōmētario imposuisse uideri queat, nō enim pro tecto, sed magis proiecto, esse debet, quod haud obscure cognoscet, quisquis Iabolenum, in l. malū. ff. de uerb. sig. expēderit, in hæc uerba scribētem, Inter proiectū & immissum hoc interesse Labeo ait, quòd proiectū esset id, quod ita proueheretur, ut & nusquā requiesceret, qualia Mœniana & suggrundia essent: immissum autem, quod ita fieret, ut in aliquo loco requiesceret, ueluti tigna, trabes, quæ immitterentur. Et quòd aliud sit protectum ex. l. j. ff. de serui. urba. prædiorum. facile patet. Illud nempè quod suppositis fulcris ultra iustum tectum deducimus.

Pœna eius qui deiecit.

Proiectum.

Immissum.

Protectum.

Porrò

Porrò ſuggrundia, ſeu quo M. Varro utitur, ſuggrundæ ſunt tecti partes prominentiores, etiam Mario autore, Græci Υἔίσα uocāt, unde ὑποΥείσόμ hærbæ genus quod in ſuggrundijs naſcitur. Plinius XXV. cap. XIII. Aizoi duo genera, maius &c. alij hypogeiſon, quod in ſuggrundijs ferè naſcitur. Hinc ſuggrundatio apud Vitruuium Pollionem in IIII. architecturarum libro, ubi uulgatus codex ſuppoſititia quædam habere uidetur, libuit integrum locum ex antiquiſsimo & fideli codice adſcribere in hunc modum: Trabes enim ſupra paraſtaticas et antas ponuntur, in contignationibus tigna & axes ſub tectis, ſi maiora ſpatia ſunt & tranſtra, & capreoli, ſi commoda columnæ & cantherij prominentes, ad extremam ſuggrundationem, ſupra cantherios templa, inſuper ſub tegulis feres, ita prominentes, uti parietes proiecturis eorum tegantur. Hinc ſuggrundia apud Fulgentium dicebantur infantium ſepulchra eorum qui needum XL. dies haberent, gentibus enim hominem ante enatos dentes cremare non erat mos. Rutilius in Aſtyanactis, Melius ſuggrundarium miſer quæreres, quàm ſepulchrum. Tigna uero quando extra columnas & parietes extenduntur proijciuntur, Mœnianum facium, quo genere ſtructuræ ſuperiora ædificia ampliamus, à Mœnio inuentore, ſeu ut Aſconius & Marcellus uolunt, cenſore, qui primus in foro tigna proiecit, ut ampliora rederentur ſpectacula, eſt in. l. ſeruitutes. §. idem euenict. ff. de ſerui urb. præ. Atqui cœnaculum ſuperiorem ædium partem adpellamus, eò ſecundum M. Varronem I. de lingua latina, quòd in ſuperiori domus atque ædium parte cœni

Suggrundia. Suggrundatio. Vitruuij locus Suggrundaria. Mœnianum. Cœnaculum.

te cœnitare olim consueuerunt, unde si quid deiectum ef-fusum'ue sit is cuius est, ex quasi delicto obligatus intelligitur, l.j.& l.hoc edictum. ff. de ijs qui deiecerunt uel effuderunt.

Item exercitor nauis &c.

DOcet illas quoque obligationes, ex quibus Prætor iustißima inductus ratione iudicium statuit, expositum in titulo qui est in IIII. Pandectarum libro. Nautæ, caupones, stabularij, ut recepta restituant, ex quasi maleficio proficisci. Sanè æquum Prætori uisum est & republica dignum, uniuscuiusque rem siue in naui, siue caupona, siue stabulo receptam, integram atque saluam remanere, usqueadeo oportet exercitorem omnium suorũ siue fuerint liberi, siue serui fructũ præstare, nec immerito, cum ipse suo eos periculo adhibuerit, operaq; eorum utatur, l.j.& l.debet.ff.nautæ, caupones. Exercitorem dicimus, secundum Vlpianum, ad quem obuentiones & redditus omnes proueniunt, siue is dominus sit nauis, cauponæ'ue, aut stabuli, siue à domino conduxerit, uidere est in l.j.§.exercitorem.ff.de exercitoria actione. Instit. Quod cũ eo qui in alie.po.§. ideo autem. Postremo licet stabulũ Apuleio, pro hospitio accipi soleat, quo uiatores diuertuntur, dato pretio: Iurisconsulto tamen, ut Caius scribit, dicitur ubi iumenta stabulari solent: & Caupona diuersorium quo uiatores recipiuntur, iuxta l. nauta.ff.nautæ, caupones & c.unde facile liquet, q sint Caupones stabularij, & nautæ, qui ex quasi delicto obstringuntur atque hinc actioni exercitoriæ subiacent, olim expendendæ.

Exercitor. Stabulum. Caupona.

Titulus

TITVLVS VI.

De actionibus.



ON *multi facio quæ pleriq; interpretum in hūc tractatū præfantur, magis enim solertiā illā suam ostentasse uidētur, quàm ut animos pueriles recta instituendo promouerēt, sanè in reliquis iuris ciuilis libris Soritas illos Chrysippeos licet nusquā non* δὶς κράμβη *sint, atq; ad nauseam congesti, æquiori semper animo tulerim, quàm in* Iustinianeis Institutionibus *quibus optima quæque iuris principia statim proposuisse conueniet (ad hoc enim sunt natæ) & nō ita adulescentiā in primis statim annis per transuersum diuerticulis illis atq; argumentorum syluis traduxisse, profectò fieri nō potest, ut arbusculū quod dū sæpius transplantatur facile conualescat, radicesq; agat. De actionibus itaq; bona iuris parte tractat, sine qua nullus eius nobis usus cōtinget, nā omne ius quod modo ad personas, modo ad res pertinet licet adsequamur, parū proderit, nisi & acquirendi rationē habeamus.* Vnde *actio apud* Celsum, *nihil aliud est, quā ius persequēdi in iudicio quod uerbis debetur usque adeo sine actione nihil fermè quod nostrū iure esse poterit adqrere licet, sed præscripto iuris ordine p eo agēdū, quare iurecōsultus, actionis uerbo, etiā persecutionē cōtineri ait, l. actionē. ff. de uerb. sig. & l. quoties. §. itē si tēporali. ff. de adm. tut. Rursus omnis actio præcedentē, imo matrē, habet obligationē unde originē ducit atq; deriuatur, l. licet. §. da. ff. de pcu. ob id recta procedēs* Imperator

Actio quid.

Actio ex obligatione.

Imperator post tractatā obligationis rationē, de Actionibus disserit, quapropter nō admodū ad rem facere edepol, uideri potest, quod interpretū aliqui etiā magni nominis dum cornicum oculos se configere putant, hic adsuere non uerentur, ius scilicet quo utimur, personas, uel res, uel actiones respicere. Superius, de iure nat. gent. & ciuili. §. fi. & l. 1. de sta. homi. & hanc esse caussam huius tractatus tandē post obligationes subiūxit, cū id potius ad titulum de obligationibus sit referendū, nam eatenus de iure quod rebus conuenit expositum est, neq; tanti est diutius digladiari, quare inscriptio præsentis tractatus (quam Rubricam uocāt) sit de actionibus, cum actio numero tantū singulari describatnr, quasi uero non quiuis etiā mediocriter in iure uersatus statim uideat, Actionē ut genus per iureconsultū exponi, cuius singulas species (suo quanq; loco,) posthac perstringit, quamobrem, titulum, de actionibus, tam genus, quàm eius species cōplectentem inscribere, conuenientissimum erat. Actio vt genus

Omnium autem actionum &c.

Actionum ratio quāuis nō omnibus sit statim obuia, sed ea, de qua facile illud frequēs uerbū dici queat, οὐ παντὸς ἀνδρὸς εἰς κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς, *tamen si ordine quodā excipiatur, laborē quamlibet molestum deuorabit pretium operæ allatura, Certe ego quod ad exactam rationem pertinet Iustiniano superaddā nihil, nam hoc esset iustos cōmentarios consarcinare, & nō collectanea adnotationum, quod præsentis instituti est, scribere. Tu prius actionem quàm instituas, omnia diligenti animo expende, præsertim qualis sit, cui & aduersus quem detur* Actio vt cōstet

idq; donec cōstiterit in qua nam iuris parte uerseris,quō cognito,promptum erit ad eos recurrere qui formulas actionū libellorumq; ob oculos ponunt,quod si primum actionis genus imprudēs,et nimiū temerarius arripere, atq; in forum producere sis ausus,& postmodū considerare quod ius tibi competat,eueniet tibi,quod actionē lōge ab instituto abhorrentē,non sine multorū risu sæpenumero emendare cogaris.Porrò summa diuisio actionū est,aut in personā quam proprie actionē,aliquando condictionē adpellamus, aut in rem quam rei uendicationē.

Actio in personam. In personā omnes actiones dantur,quibus cum eo experimur,qui nobis obligatus est,aut ex contractu,& quasi, aut ex delicto & quasi quorsum & interdicta.& reliquæ cuiuscunq; generis cōditiones referri poterunt,sic adpellata,quia aduersus eādem semper personam nobis obnoxiā,eius'ue hæredem persequēdæ rei gratia adcōmodatur.l.actionem.§.in personam.ff.de actio.& oblig.In

Actio in rem. rē uero actio,licet improprie hoc nomine habeatur,cōpetit,quādo cui de re quam possidet controuersiā mouemus,locū habēs quotiescūq; rem quam postulamus iure dominij,uel quasi ad nos spectare dicimus,et datur in eū qui possidet,cū ex sola possessione nasci uideatur.l.officium.ff.de rei uend.& l.1.C.de alienatione iud.mu. cau.

Actio seruitutis confessoria. facta.Incorporalium quoque rerum,hoc est,in iure duntaxat cōsistētiū quas quasi possidemus,in rem actio est, in quarum numero sunt,ius utendi fruendi,ius prædiorū urbanorū & rusticorum: quas seruitutes uocāt.in.viij. Pandectarum lib.Si seruitus uendicetur,sed bifariā.Aut enim pro seruitute iam constituta,uindicanda,siue cōseruanda

uanda experimur, & competit actio seruitutis confessoria, eam si instituat, qui dominium in fundo cui seruitutẽ deberi ait, habet, Directa dicitur: sin uero superficiarius, fructuarius, aut uectigalis fundi possessor, Vtilis erit. l. ei qui. ff. de seruit. Aut pro libertate uindicanda contra uicinum agimus, cui ius seruitutis in re nostra, quam in hoc grauare intendit, esse negamus, quo casu actio seruitutis negatoria exposita est, in eos & eis, in quos & quibus confessoria, hoc speciale habens, quod negatiue concipi solet, tum quòd possessori iuxta atque petitori idem ex ea iuris est, in. l. loci. §. competit. ff. si serui. uen. Cæterum in negatoria fructuum nomine computatur quod interest intendentis, non esse usum seruitute, uel nõ amplius uti. l. de seruitutibus. ff. si serui. Postremo ne illotis, quod aiũt, pedibus rem aggrediaris, nempè eam quæ sedulitatem quandam desiderat, operæpretium feceris, si utriusq; actionis, tam personalis, quàm realis, formam quandam ceu archetypum (nam omniũ fermè aliarum faciem habent) apud Interpretes, Angelum, Iasonem, & omnium ut antiquissimum, ita facile principem Placentinum, Gymnasij Mõtispessulani antiquitus instauratorẽ, in uestiges, unde non modo defunctoriã iuris rationem, uerũ etiam usum quendam tibi comparare poteris. Actio seruitutis negatoria.

Vel proijciendi aliquid &c.

SEruitus proijciendi non ad aquam effundendã pertinet, ut Cæpolla & pleriq; interpretũ hallucinantur. Cum proijcere ĩter alia latinis scriptoribus idẽ sit quod extẽdere aut prominere. Pacuuius, Id promontoriũ cuius lingua in altũ proijcit. Quẽadmodũ & iuriscõsultus: cui Cæpollæ lapsus.

summum circa uerborum proprietatē laborem esse:Fab. Quintilianus V. institutionum lib.autor est.

Servitus proiiciendi quid. *Idē eueniet (inquit) et si Mœnianū in tuum immißum habuero, aut stillicidiū in tuum proiecero, hinc proiiciēdi seruitus, est ius quo ædes suas quispiam in superiori parte prominentiores amplioresq; facere, & aliquando in uicinas extendere potest, ut indubitato innuitur in.l. si quando.ff. si serui.uendi. quo fit ut Proiectum Iabolenus illam ædium partem uocet, quæ ita prouehitur, ut & nusquam requiescat, qualia sunt Mœniana & suggrundia, quorū paulò ante mentionē fecimus, ex.l. malū.ff. de uerbo.signi. uerba Venulei in.l. fin.ff. quod ui aut clàm. hæc sunt, Si quis proiectum aut stillicidiū in sepulchris miserit, etiam si ipsum monumentū non tangeret, rectè cū eo agi, quod in sepulchro ui aut clàm factum sit, quia sepulchri sit nō solum is locus, qui recipiat humationē, sed omne etiam supra id cælum.* Servitus protegendi. *Protegēdi autem ius est, quando deducto tecto, tigna tua, & id genus aliam materiam, etiā supra uicini areā fundum'ue suppositis fulcris, protegere licet.l. fi.§. fi.ff. de serui. urb. prædio. adtinent ad l.j.& l. fi.ff. de seruitutibus. Meminit Cicero in Topicis. Quoniam P. Scæuola (inquiens) id solum esse ambitus ædium dixit, quantum parietis communis tegendi caussa tectum proiiceretur, ex quo tecto in eius ædes qui protexisset, aqua deflueret, id ius tibi uideri.*

Sane uno casu &c.

Excipiens fit actor. *ACtio seruitutis negatoria licet in rem sit, tamen contra naturam, fermè actiōis realis, illi datur qui rem poßidet, quādoquidem inficias it, rem suam seruituti obnoxiam*

noxiam esse, quod genus actionis in alijs cõtrouersijs rerum corporalium cognitum non est, præterquam si impetitus aut in ius uocatus, de iure eius rei pro qua interpellatur, excipit, nam excipiens actoris uices sustinere intelligitur, cum quod factum opponit, ex quo liberari se, atq; in rei possesśione relictũ iri petit, tum quia periculo probationis se exponit, enimuero exceptio actioni cuiusq; rei opponi solet, ad excludendum id quod in intentionem cõdemnationem'ue deductum est. l. 1. & l. ij. ff. de except. sed nec hoc ad præsentẽ locum referri potest, utcũq; sint qui id arbitrentur, cum exceptoris in eo nulla fiat mẽtio, nec in eo casu is habeatur, ut directo actoris partes sustineat, sed magis per obliquum. sunt qui ad tria illa iudicia familiæ erciscundæ, communi diuidundo, & finium regundorũ. iuxta. l. in tribus. ff. de iudic. alij ad interdicta uti possidetis. & utrobiq; iudicia duplicia uocantur. Inferius de interdictis. §. duplicia. locum referunt, id quod non admodum quadrare uidetur, in illis siquidẽ iudicijs uterq; est in possesśiõe rei etiam corporalis, præter hoc quod treis quoq; casus non unum efficiunt, in his uero uterq; est in possessione rei incorporalis, imò iuris tantum, modo Iustinianus uult uno casu eum qui posśidet rem corporalẽ, in rem actionem habere sed negatiuam, seruitutis uidelicet, est in. l. de seruitutibus. ff. si seruitus uendicetur. cũ aliâs possessores non habeant aliquam actionem proditam per quam rectà negent rem petitoris esse. Locus Iustiniani expensus.

Sed istæ quidem actiones &c.

Actiones quarum hactenus mentio est habita ex iure ciuili descendũt. Sũt preterea actiones quas Prætor

Actiones Prætoriæ in rē partim in ꝑsonā.

sua iurisdictiōe comparauit, partim in rem, qualis est Publiciana, rescissoria, reuocatoria, Paulia, seu Fabiana, Seruiana, quam & Hypothecariam uocant, partim in personam, ut de pecunia constituta, de peculio seruorum, filiorumq; familias, & pœnales, ueluti in eum qui albū Prætoris corrupisset. Qui parentem patronum'ue in ius uenia nō impetrata uocasset, & id genus aliæ actiones, de quarum singulis suis locis tractabimus.

Publiciana actio unde.

Prima earum quæ in rem sunt, Est publiciana à Publicio Prætore proposita, subsidiaria rei uēdicationis, quare & rei uendicationē utilem uocant, cui quidem locus est, si quis ex iusta caussa emptionis, donationis, dotis, iudicatum solui, noxæ deditionis, atque ijs simili, & sic bona fide rem mobilem à non domino, quem tamen dominum credebat, traditam adcepit, & prius usu quàm cœperit eam, ab alio etiam non iusto domino intercipitur, ex quo uindicare eam ciuili & legitimo iure non licet, cum necdum sit eius rei effectus dominus, propter interruptam usucapionem, neq; à uero domino traditam habeat, æquū Prætori uisum est, ne alius non dominus & aliquando etiam dominus rem illam potius occupet, quàm is qui ex iusta caussa traditam accepit, ut Publiciana in rem agere poßit, qua dicat, quasi dominum eius rei ad se spectare atque hinc sibi rem iure quasi dominij restituendam, ut l. j. cum aliquot subiunctis, & l. eum qui. §. ut igitur. ff. de publicia.

Publicianæ usus.

Porrò si rem usuceperit priusquam in alterius uenisset manus, non Publiciana sed actio ciuilis, puta rei uendicatio competit, propter dominium usucapione partum. l. in ser

in seruorum. C. in quibus causs. cess. longi &c. & est glossa notabilis, in l. j. C. si aduersus creditorem. Atque in hoc distant rei uēdicatio in qua opus est actor probet se dominū rei, ad quod tum fides requiritur eius autoris à quo rem accepit, & publiciana quā ob id proposuisse tutius est, quod sufficit specialē titulum puta emptionis, donationis, aut id genus similem indicasse, quo dicit actor rem quasi dominio ad se spectare, quod probare non admodū negociū fecerit. Nec ideo comparatam existimes publicianā quæ ex æquitate caussam habet, ut res à iusto domino auferatur, nam is exceptionē proprietatis habet, sed ut is qui bona fide traditam habuit, possessionemq; eius ex ea caussa accepit, potius rem teneat, quàm is qui neq; dominus, neq; bonæ fidei possessor est. habetur in l. paulus. & l. ultima. ff. de publiciana.

Rursus &c.

QVemadmodum publiciana pro re nōdum usucapta recuperanda, accommodatur, ita ex diuerso actio rescissoria, in rem quæ etiā usu est capta similiter edicto Prætoris exposita est, cuius uerba referuntur per Vlpianum in l. j. ff. ex quibus caussis maiores XXV. annis in integrū restituūtur. Actionis rescissoriæ rationē sic habe. Si quis cum non sui commodi, sed coactus, hoc est, uel reipublicæ, uel aliàs legitima caussa abesset, rem alicuius præsertim mobilem usuceperit, permittitur domino, si possessor sit reuersus, intra quadriennium eius temporis quo rediit, adire iudicem, atque petere, ex quo taciturnitatis suæ caussam habet, unde periclitari ī iure suo, quod absentem interim non potuerit cōuenire, minus debeat,

Actio rescissoria.

 ut ex

ut ex officio usucapionem illam rescindat, & perinde ad agendum se admittat, ac si res usucapta non fuisset, porrò usucapione sic rescissa, statim intra annũ à die restitutionis factæ actionẽ rescissoriã instaurare potest, qua petit quia usucapionis obstaculum sit amotum atque sublatum, decerni rem illam ac si usu nõ esset capta, iure dominij uel quasi ad se spectare, eamq; sibi restitui, ut colligitur ex l. in honorarijs. §. sed cum rescissa. ff. de actio. & oblig. & l. fi. C. quibus ex causs. ma. & c. in integ. restitu. Proinde rescissoriæ actionis beneficium habet & is cuius absentis res interim sunt usucaptæ, præscriptæ'ue, quod rursus haud dißimiliter implorare poterit. l. 1. cum multis alijs. ff. ex quib. caus. in integ. rest. ubi cũprimis notandum rescissoriam non cõmodari nisi ex præcedenti rescißione, unde rescißio est quando iudex officio suo usucapionem uel alterius generis læsionem rescindit & pristinum ius restituit, ueluti usucapio uel læsio non interuenisset: Rescissoria uero est actio, in rem usucaptã directa ex rescissione nata, quibus adde rescißionẽ hoc est, restitutionem intra quadrienniũ (quod tempus qualicũq; datur restitutioni. l. ulti. C. de temp. in integ. restit.) ab eò statim tempore quo absens est reuersus, petẽdã, quo facto intra annum à die restitutionis, qui ad hoc utilis datur, rescissoria propõni debet, quæ ubi fuerit cõtestata, exinde perpetuatur apud Iureconsultos. l. in honorarijs. §. sed cum rescissa. ff. de actio. & oblig. l. 1. ff. ex quib. causs. maio. XXV. annis. & l. fina. C. de temp. in integ. rest. quo fit ut locus præsens (intra annũ sit) neq; exautoratus, neq; correctus ceu Interpres diuinare non ueretur.

Actio rescissoria quando incipit.

Rescißio quid.

Rescissoria qd.

Annus instituendæ actionis.

Item si

Item si quis in fraudem creditorum.

BReuibus modis complectitur actionem reuocatoriã æque per Prætorem expositam, quam ego Paulinam dixerim, pleriq; omnes Paulianam, ad imitationẽ fortassis Fabianæ, aut Seruianæ ut cũ quibus mediotenus similitudinem quandam syllabarum habere uideatur, cum tamen deriuandi ratio sit diuersa, neq; præiudicabit locus ille in l. uideamus. ij. ff. de usuris. ubi Pauliana scribitur, nam totus mendis uel puerilibus oppletur, à nemine alio quàm descriptore admissis, uulgo sic legitur, In Fabiana quoq; actione, & de Pauliana, per quem in fraudem creditorũ, ubi non minus in orthographia, quàm συντάξει peccatum est, quare in hunc modum restituitur, In Fabiana quoq; actione & Paulina, per quam quæ in fraudem &c. quod defunctoriè solum indicasse satis putauimus, Cæterum Paulina, tu Paulianam uoces, nam in hoc tecum non digladiabor, πρὸς Διόνυσον quod pertinet, actio reuocatoria est, qua creditores à debitore rem fraudulenter alienatam, quasi non fuerit alienata, reuocare possunt. l. j. C. de reuocandis ijs quæ in frau. credito. alie. sunt. l. j. & l. ait Prætor. ff. quæ in fraudem creditorum facta sunt, ut restituantur. quod sic intellige, debitor qui norit se non esse soluendo. si rem quæ in pignus: atq; in hypothecam data est, alienauit, quia in fraudem creditorum id factum esse putamus, poterit per creditorẽ conueniri actione personali, usq; ad bonorum exaußionem, quo facto. si necdum ex bonis repertum fuerit, unde æs alienum soluat, quia legitimum ex iure ciuili auxilium hactenus finit, nec ulterius ꝓgredi sinit, Prætoris beneficium

Actio paulina.

Actio Paulina qd, & eius ratio.

ficium incipiat oportet, quo licet creditori rem illam perinde atq; tradita non esset, sed in bonis debitoris mansisset, actione reuocatoria Paulina, intra annũ, à tempore rei alienatæ atque per alterum possessæ, rescissa traditione, petere atq; reuocare. Et *est actio in factum quæ cõpetit tã pro rebus corporalibus, quàm incorporalibus, utpote iuribus atq; ut actiones cedantur. l. ait prætor. §. annus. l. hac in factum actione. ff. quæ in fraudẽ creditorum, interpretes ad. l. ij. C. si in fraudem patroni. ideo falluntur qui tradunt aliam esse* Paulinam *in res corporales, aliam in factum pro rebus incorporalibus persequendis.* Præter *hanc duæ adhuc sunt actiones reuocatoriæ æquæ ex* Prætoris *iurisdictione descendentes.* Fabiana *scilicet &* Caluisiana, *quæ licet proprie in personam sint datæ. l. j. §. hæc actio. ff. si quid in fraudem patroni factũ sit. tamen in rem scriptas* Azo *inter recẽtiores antiquissimus iuris interpres, tradit, quarũ utralibet, tunc patrono competit, quãdo libertus catenus bona sua alienauit, ut nec debita portio, hoc est, legitima (quam in tertia omniũ bonorũ liberti parte consistere* Iustinianus Insti. *de succes. liber. §. sed nostra, autor est) patrono remanserit, nam hoc casu per* Fabianam *uel caluisianam ad legitimæ & debitæ portionis supplementum agere, & rem alienatam in patroni fraudem reuocare potest, ut in. l. j. C. si in fraudem patroni à liberto alienatio facta sit. l. j. & l. quodcunq;. & l si patronus. §. ulti. ff. si qd in frau. creditorũ.* Quo *fit ut actionum reuocatoriarũ tria sint tantũ genera,* Paulina, Fabiana, & Caluisiana: *nã quod interpres ad l. ultimam. uer. reuocare.* C. *si in fraudem credi.*

Fabiana aut caluisiana actio.

Reuocatoriarum iij. genera.

creditorum.& l.j.ff eo.uerb.Caluisiana quatuor earum genera facit, ex hoc fit, quod alteram Paulinã in res corporales, alteram reuocatoriam in factum pro rebus incorporalibus esse dicit, cum reuera una sit Paulina reuocatoria in factum tam pro rebus corporalibus quàm incorporalibus: cui sententiæ & ipse tandem accedit.

Item seruiana & quasi seruiana.

SEruiana actio non à seruando ceu Accursius putat, sed à Seruio Prætore qui eam aut primo per edictum exposuit, aut iure ciuili datam adprobauit, deriuata, cõmpetit locatori in res inquilini aut conductoris ædibus locatis inuectas, pro annua mercede uel pẽsione locationis, & nõnũquàm pro eo quod deteriorem fecit habitationẽ, cum huiusmodi res (etiam si nihil de eo conuenerit) tacitum sint pignus pro mercede nõ soluta, atq; eo quod deterius est redditum, iuxta l.certi iuris. & l.debitor.ff. de pigno.& hypothe.& l.ij.ff.in quibus causs. pignus uel hypothe.tacite contrahi. Quo actionis genere locator petit possessionem rerũ inuectarum sibi retinendam adiudicari, donec super pensione & mercede, aut ruptis, fuerit per reum satisfactum. Sanè in prædijs rusticis fructus tacite obligantur, & actione Seruiana aduocari possunt. l. in prædijs.ff.in quibus cau.pignus uel hypothe.tacite cõtrahitur. l.si in lege.§.si colonus.ff.locati. Seruiana actio.

Altera uero actio, cuius hic est mẽtio, quasi Seruiana, Hypothecaria dicitur, in foro passim frequẽtata, qua creditores pignora hypothecas'ue persequũtur, quæ expressis uerbis in hoc sunt data, ut siue pignoris noĩe uel hypothe Quasi seruiana & hypothecaria.

thecæ obnoxia. Vnde petit creditor rem sibi in pignus hypothecam'ue pro eo quod mutuo dedit, exhibitam, secũdum possessionem tradi, donec fuerit à debitore satisfactum, uel debitorem cogi ut satisfaciat, & credita persoluat, colligitur ex.l.j.§. si unus ex pluribus.l. paulus.§.j. ff. quibus modis pignus uel hypothe. solui. Iureconsulti *in.l.rem alienam.ff.de pigno. actio.l.si fundus.§. in uenditi.ff.de pigno.*Et *c.ex literis.de pigno.actio.*Nec *refert quantum ad naturam actionis hypothecariæ pertinet,*

Pignus. Hypotheca.

quod pignus est proprie in re mobili & tradita, Hypo*theca uero rerum soli hærentium, atq; in manibus debitoris remanentium, ut est in.l.plebs.§.pignus.ff. de uerbo. signi.l.si rem.§.proprie pignus. ff. de pigno. actio. profecto siue sit pignus, siue hypotheca cuius nomine experimur, semper* Hypothecariæ *locus est.*

Proinde *quod* Prætor *huiusmodi actiones commodat post eas quæ iure ciuili in personam dãtur, eo factum credimus, quod expedit potius pignori incumbere, quàm aduersus personam actionem instituere.§.fi.* Institu. *quibus modis're contra.obligatio.&.§.furti autem actio.de obliga.quæ ex delicto nascuntur.*

Tutius est pignori inhærere

Obiter *tamen monẽdi sumus, consultius esse in hoc casu* Interdictum Saluianum *intentare, quod est solum possessorium, ut.*C.*de interdicto Saluiano plenius uidere est, quam* Seruianam, *in hac enim doceas oportet, etiam debitorẽ rei illius quam in pignus dedit, eodẽ tempore dominum fuisse:*In *illa uero sufficit de pignore demonstrasse.*

Interdictũ Saluianum.

Quibus *adde* Hypothecariam *non sic perpetuam (est enim perpetua) quin præscriptione sopiatur, nam*

Hypothecaria sopitur.

Extra

Extraneus qui rem tibi impignoratam ex iusta caussa x. *annis inter præsentes*, xx. *uero annis inter absentes possederit, exinde tutus erit. Sin autem ex caussa non iusta annis*, xxx. *extraneus rem habuerit, itidem securus est præscriptionis beneficio, & creditor debitorem conueniat oportet.* Debitoris *autẽ eiusdem hæres, aut alter creditor longiori tẽpore annorũ fulciatur necessum est* xl. *siquidem iugi annorum intercapedine præscriptionẽ aduersus creditorem sibi comparabit.l.j.& .l.ij.C.si aduersus creditorem* xxx. *& in.l.cum notißimi.atq; ibi glossemata.C.de præscrip.*xxx.*uel* xl.*annorum.*

In personam quoq; actiones &c.

A*Lterum actionum prætoriarum genus in personam propositum est, qualis est actio de pecunia constituta. Item de peculio seruorum, filiorumq; familias. Item an actor iurauerit. Præterea pœnales actiones æque ex prætoria iurisdictione introducũtur, ut est, aduersus eum qui quid ex albo* Prætoris *corrupisset. Qui'ue patronum uel parentem in ius absq; uenia impetrata uocasset, & id genus innumeræ. At prius negocium quàm aggrediar, in primo statim limine docet,* Recepticiã *actionẽ (cui quondam locus erat, si quis debitum rei alicuius immobilis, uel eius quæ mensura, pondere, aut numero non prehenderetur, se soluturum constituisset) antiquatam, atque in actionem pecuniæ constitutæ transfusam, cum nulla non res sit, quæ in pecuniam non poßit conuerti, ut abunde in.l.ij.C.de constituta pecunia.per* Imperatorem *cautum.* Actio recepticia.

De pecunia autem constituta &c.

Consti

Constituta pecunia.

Constitutam pecuniã dicimus, quando pro se, uel prò alio quis constituit se soluturum, ad similitudinem fermè fideiußionis, quare constituere hoc loci est debitorem se facere. Actio autem pecuniæ constitutæ, quæ ex nudo pacto sine stipulatione interposita oboritur, hodie omnibus rebus quæ per stipulationem obstringi nobis poterunt, accommodatur, siue enim sit pecunia, siue ea res quæ pondere, mensura aut numero censetur, siue certa domus, certus ager, uel homo, in summa mobilis uel quæ soli hæreat, quam quis se soluturum constituit, hoc iudicio continetur, usqueadeo etiam ueteres pecuniæ appellatione omnes res patrimonio nostro prehensas significari statuerunt. l. talis. ff. de legatis. j. & l. ij. §. item mutuum. ff. si certum petatur. l. pecuniæ uerbum. & l. pecuniæ adpellatione. ff. de uerborum significa. quæ & caussa fuit recepticiæ transfundendæ in actionem pecuniæ constitutæ, ut est in. l. ij. §. si enim certa. C. de pecunia constitu. Ad rem quod propius adtinet, de pecunia constituta cum eo agimus qui uel pro se, uel pro alio, se soluturum, nulla stipulatione interposita, constituit, atq; pollicitus est, id quod fieri potest, modo inter præsentes, modo inter absentes per epistolam, uel nuncium. l. qui autem. §. fin. l. quidam. cum. l. sequenti. ff. de constitu. pecunia. & petimus quia debitum illud naturale constituit se daturum, ut ad soluendum id prout constituit condemnetur. Ex quo apparet bifariam constitui posse. Aut enim debitor pro se constituit, & erit utile, si quando debitum quod exceptione fuit elisum, uel conditionale, pure, purum'ue sub conditione rursus constituatur, in. l. id quod. ff. de constitu. pecunia.

Actio pecuniæ constitutæ.

Pecuniæ adpellatio.

Bifariam cõstituitur.

pecunia. Aut *alius quispiam constituit se daturũ pro debitore,& tunc utilis erit actio atq; necessaria, siquidem is pro quo constituit, adhuc obligatus manet, nisi aliquo modo ab eo sit discessum, l. ubi quis. ff. co. ti. & l. penul. ff. de præto. stipu.* Et *datur hæc actio non modo in eum qui constituit, sed etiam aduersus hæredem eius. l. j. C. co. ti. quia tamen ex nudo pacto oritur, puta obligatione prætoria, cõsultius est ordinariam adeoq; ciuilem actionem ut magis perpetuam intentare, quàm ad extraordinariam. &* Pretoris *beneficium confugere, & præstat ex iure ciuili quem obligatum habere quàm honorario. l. in caussæ. ff. de minoribus. & l. in prouinciali. §. j. & ibi interpretes. ff. de noui ope. nuncia.* Melius est ex iure ciuili aliquid persequi.

Actiones autem de peculio &c.

P*Eculium dicitur, secundum Domitium Vlpianum, quasi pusilla pecunia, siue patrimonium pusillum, nempe à pecore, cum omnis pecuniæ pecus sit fundamentum, apud M. Varronem rei rusticæ libro. ij. ca. j. & Pli. libro. xxxiij. cap. iij. Vnde & peculatus, furtum publicum dici ceptum Varroni & Pompeio, à pecore, quia ab eo initium eius fraudis esse cœpit, quippe ante æs & argentum signatum multa grauissima erat duarum ouium & xxx. boum, sancientibus L. Menenio Lenato, & P. Septio Capitolino, COSS. at postquam ære signato P.R. uti cœpisset, Tarpeia uel ut Aulus Gellius scribit Aterina lege cautum est, ut bos centußis, ouis decußis æstimaretur. Vbi rursus aduerte: Multam ut M. Varro lib. j. quæstionum Epistolarium scriptum reliquit, Oscum uocabulum esse, pœnamq; pecuniariam dici*

Peculium.

Peculatus.

Bos centussis.

Multa. Peculiũ quid. *dici. Vnde quidã multare notæ significationis uerbũ deriuarunt.* Peculium ut Tubero apud Celsum definit, *est quod seruus domini permissu separatum à rationibus dominicis habet, deducto inde si quid domino debetur, & ex eo consistit, quod parsimonia sua quisq; comparauit, uel officio meruit à quolibet sibi donari, idq; uelut proprium, seruum suum habere quis uoluerit.* Enimuero pecunia utpote solidum & satis splendidum patrimonium, ad heros pertinet, placuit peculium quasi modicum patrimonium, seruis tenuioribus adcommodari, permittentibus id (quod est) non adimentibus dominus, ceu Vlpianus interpretatur, in l. quam Tuberonis. §. sunt quidam ff. de peculio.

Peculij aliud est Castrense, aliud quasi Castrẽse, ut in superioribus expositum est, titulo, Per quas personas nobis adquiritur. Aliud profectitiũ, quibusdã paganicũ cognominatum, quod de rebus paternis seu dominicis proficiscitur, ĩ quo dominus uel pater olim dominiũ, seruus autem filius'ue usumfructum habebat.

Peculiũ profectitium.

Peculium aduẽticium. Aliud aduẽtitium est, quod cui ab auo paterno uel materno aduenit, uel cognatorum testamento, uel aliàs forte fortuna, in quo filiusfamilias dominiũ, pater usumfructũ retinet. Proinde peculium uniuersitatis nomen est, non secus, atq; pecunia, complectens corporalia & incorporalia, etiam uestimenta quæ pater filio peculiũ habenti, perpetuo utenda dedit, nam solẽnia ad peculium nõ spectãt, l. id uestimentũ. ff. de peculio. & quia iure ciuili quisq; ex proprio cõtractu, nõ alieno obligatur, eatenus ut nec pater pro filio, nec è regione filius pro patre obligari

queat in multis locis.C. ne filius pro patre.& l.dominiũ.atq; ibidem commentatores,C.quod cum eo q in alie. Prætor æquum existimauit,ne prorsus uerba reciperent, qui uel cũ filiofamilias negocium etiã delicti habuissent, dominũ patrem'ue ex serui filij' ue familias obligatione eatenus obnoxiũ fieri,quatenus peculij uires essent,quare in dominũ patrẽ'ue iudiciũ non immerito pollicetur. est etiam in l.ei qui,& l.dominium.C. quod cum eo qui in.& l.in bonæ fidei.ff.de pecu.Institu.quod cum eo qui in aliena.§.cum autem,Cuius uis est,ut actor petat dominum patrem'ue,cõdemnari ad soluendum ea,quæ seruus ex delicto filius'ue ei debet,iuxta uires peculij, qd' interim habet atq; possidet,& datur hoc iudiciũ de peculio tantum profectitio,nam ex peculio castrẽsi,& quasi castrensi ut filius obligari,ita etiam cõueniri potest,l. ij. ff.ad macedonianum.Aduenticij autem nomine pro filio patrem & agere,& litem suscipere prohibet nihil.l.fi. §.ubi autem.C.de bonis quæ li.His adde siue pater,siue dominus sit,qui de peculio impetitur,illud qd' filius uel seruus ei,illi'ue quem in tutela uel cura habet,debet,ante omnia deducere,& quod reliquum est in peculiũ computari,l.depositi.§.fina.& l.peculium.l. præterea. & l.si noxali.§.quod autem.ff.de pecu.ita tamen ut debitum illud prius legitime fuerit uel probatum,uel ex libris rationarijs inserta iusta debendi caussa liquidum, l. non solum.§.an debitor.ff.de peculio. Postremo sunt duæ aliæ actiões Prætoriæ,quibus similiter dominus,pater'ue,serui,filij'ue nomine tenetur,ut de in rem uerso,& actio quod iussu. de quibus,in titulo,Quod cum eo qui in alie.

Actio de peculio profectitio datur.

Ex peculio quod subtrahitur.

D po.ut

po.ut suo loco differemus.

Item si quis postulante aduersario.

Iusiurandum. *IVsiurandum, ut Cicero libro* III. *Officioru͂ descri bit, est affirmatio religiosa, aliàs sacramentu͂ adpellatum, & pertinet ad iusticiam publicamq́; fidem. q igitur Iusiurandum uiolat, is fidem uiolat, quam in Capitolio uicinam Iouis Optimi Maximi ueteres Romanos statuiße Cato autor est. Sa͂cte itaque & inuiolate iusiurandum semper habitum esse, argumento est, quod Cornelius Nepos* V. *exemplorum libro scribit, ut refert Aulus Gellius in* VII. *noctiu͂ cap.* XVIII. *Plures ex ijs quos Annibal post cladem Canne͂sem pro permutandis captiuis Roma͂ tra͂smisit, adactos prius iureiura͂do si Romani captiuos permutare nolle͂t, in Punica castra reuertere͂tur, qui cum non redijssent tam detestabiles inuisosq́; omnibus fuisse, ut uitæ tædio contempto, mortem sibi consciuerint. Iusiurandum quod Cornelius Pont. Max. à ieiunis præstari uoluit, nostri utinam ebrios non admitterent, primæua hominum ætate summam rationem dabat qua lites humanæ definirentur. Tunc enim principes (ut Fabij pictoris uerbis utar) nunquam ab æquo, neque populus à iure innato discedebant, nullo tunc uindice, nullo metu, sed sua sponte retinebant fidem & rectum. Pudor ipse regebat populos & ius principes. Quam iudicioru͂ consuetudinem & Rhadama͂tu͂ apud Cretenses habuisse ferunt, maioribus quoque nostris in Hessia fuit, eo argumento quod in præsentiarum si co͂uentus debitum abneget, oblato iureiurando id faciat necesse est, nisi & caussam perdere & nominis ignominiam incurrere uelit, sed*

Fides iuxta Iouem Capitolinum.

Iusiurandum a ieiunis.

Caussæ oli iureiura͂do definiebantur.

nostro

nostro seculo quod nulla non libidine satur est, quo omnis fermè iusticia, omnis fides ad supos conuolauit, quàm non conueniet simplex illa rusticitas atque sacramentorum fides, docent periuria illa ut impunita ita etiam à nemine non commissa, cuius caussam Plato in xij. de legibus ratiocinatur, quòd multi sunt qui more Epicuri Deũ uel negent esse, uel si sit, humana nõ curare, ut hac ducti persuasiõe audacius peierent, quod temeritatis malum in ultimam Hesiodus ætatem abũde cecidisse cõqueritur, quid si nostram seculum longe corruptissimum cõsyderare aut quasi per nebulam inspicere fuerit concessum? verba Hesiodi hæc sunt:

Δίκη δ' ἐμ χερσὶ καὶ αἰδώς.
Ουκ ἔσται· βλάψει δ' ὁ κακὸς τῶμ ἀρείονα φῶτα
Μύτοισι σκολιοῖς ἐνέτωμ, ἐπὶ δ' ὅρκομ ὀμεῖται.

Cæterum Iouem lapidem iurasse, Romanis sanctissimũ erat, autore Phauorino apud Gellium libro j. cap. xxj. quod in hunc modum factum Pompeius scribit: Lapidẽ silicem tenebant iuraturi per Iouem, hæc uerba dicẽtes, Si sciẽs fallo, me diespiter salua urbe, arceq́;, bonis eijciat ut ego hunc lapidem. Cicero ad Trebatium: Quoad tibi placebit Iouem lapidem iurare, quũ scias iratũ esse Iouẽ nemini posse, notãs Trebatiũ Epicureæ factiõis esse quæ deũ humana neq; curare, neq; uindicare persuasum sibi habuit. Ne'ue longius digrediar, Iurisiurandi religionẽ Prætor tã sacrosanctã esse uoluit, ut si actor delato sibi per reum sacramento debitum adstruxisset, non amplius querendũ si reus debeat, & ex qua caussa, sed tãtum ut de sacramento cõstet, hoc est, si actor iurauerit. l. actori.

Iouem lapidē iurare.

Actio si iurauerit.

D 2 C. de

C.de rebus creditis.l.non erit.§.dato.l.nam posteaquam. §.actor.& l.duobus.ff.de iureiurando.nam iusiurandũ hoc modo præstitum,plenam facit fidẽ,actionẽq; parit in factum,qua actor petit reum ad præstandũ illud,condemnari,quod delato per eum sacramento,& per iudicem comprobato sibi deberi iurauit,Sed quomodo actio si iurauerit formetur(ut dicũt)seu expressa debẽdi caussa,uel iformiter,id est,caussa nõ expreßa,sed tãtũ quia debet,sit instituenda,similiter quando res ultra sacramẽtum possit uindicari,uel publiciana ob datã possessiõis ex iureiurãdo causam experiri apud Angelũ Aretinũ& reliquos iterpretes operæpretiũ est hoc loci cognouisse.

Iusiurandum Cõuentionale. Præterea iusiurandum modò est conuentionale,quod ex simplici partium cõuentione præstatur,sæpißime ad confirmandum cõtractus.ff.de iureiuran.l. iusiurandum quod ex conuentione.& in autentica,sacramẽta.C.si aduersus creditorem.Modo iudiciale,quod iudex uel aduersarius iudice approbãte alteri defert,quo tum cõtrouersiæ deciduntur,unde decisoriũ adpellatur.l.j.in fi.ff. de iureiur.tractatur apud Fab.Quintilianũ lib.Institutionum v.cap.vj.& alicui deferri,& ut Iustinianus inquit, postulari debet,cum ultro suum offerre iusiurãdũ ferè improbum habeatur.Est etiam necessarium sacramentũ ad caussæ cognitionem spectans,quòd aliquãdo defertur in supplementũ deficientis probationis,iuxta l.admonẽdi.ff.de iureiur.aliquando in purgationem. l. præsenti. C.de ijs qui ad eccles.confugiunt.Præterea est sacramẽtum ueritatis,& in litem quod affectionis censetur. ff. de in litem iurando. Sed in præsenti loco de eo solum iureiu-

Iuramentũ iudiciale uel decisorium.

Iusiurandũ necessarium.

iureiurãdo disputatio est, quod reus actori iudice cõprobante defert, ex quo actio proficiscitur honoraria. An actor iurauerit, quàm ut iusiurãdum petere ualeat, oportet ut delatũ statim uel suscipiatur, præsteturq;, aut per deferentem remittatur. Vsqueadeo comperendinationem atque dilationem non patitur. l. non erit. §. si neque. ff. de iureiur. susceptũ autem ut nec pœnitẽtiã admittit, ita nec reuocationem, l. si quis iusiurãdũ. C. eo. tit. Rursus sacramentum conforme esse debet rei super qua iuratur, quod spectare uidetur ad iusiurandũ concipiẽdũ, hoc est certa formula præferendum ut sic mens iurantis dictatum cõcipiat & nõ secus iuret quàm uerbis instruatur, quod Cornelius Tacitus in ij. Historiarum indicare uidetur, Senatus (inquiens) inchoantibus primoribus iusiurandũ concepit, quo certatim omnes magistratus, cæteri ut sentẽtiã rogabantur, deos testes aduocabant nihil ope sua factũ, quo cuiuspiẽ salus læderetur, neq; se præmiũ, aut honorẽ ex calamitate ciuium cœpisse. Luculentius autem Cicero, Quod enim iuratum est, ut mens conciperet, fieri oportere, id obseruandum est, quod aliter, id si nõ fecerit, nullum piuriũ est. & rursus. Non enim falsum iurare peierare est, sed quod ex animi tui sentẽtia iuraueris, sicut uerbis concipitur (more nostro) id nõ facere periurium est, scite enim Euripides, iuraui lingua, mẽtem iniuratã gero. Atque hæc est qualitas iuramenti, cuius Vlpianus in l. iusiurãdum. §. si de qualitate. ff. de iureiuran. mentionẽ facit his uerbis:

Iusiurandum conceptum.

Si de qualitate iuramẽti fuerit inter partes dubitatũ, conceptio eius in arbitrio iudicantis est, hoc est, penes iu

Qualitas iuramenti.

dicantem est iuramentum cõcipere atque uerbis effigiare partimq; præferre, ut sic rei de qua iuratur magis cõueniat, & hoc est. Cõceptis uerbis iurare, etiã apud Plautum in Pseudolo. Vti & Budæus refert, q.d cum Accursius nõ ĩtellexisset, modo ĩ præsentiã iudicis, modo ĩ aliũ locum, hanc enim qualitatem putat, ineptissime torq̃t. Periurationes quoq; facere dicuntur (inquit pompeius) q ante alios conceptis uerbis iurant, post quos in eadem uerba iurantes dicunt, Idem in me.

Qui quid ex albo eius &c.

Album. *ALbum Græcis λεύκωμα, nonnullis Matricula uocatur. Modestus ad Tacitum Augustum, Producendi uero Tyrones semper ad cãpum, & secundum matriculæ ordinem in aciem dirigendi. Et est tabula gypsata seu dealbata, in quam aliqd depingi aut scribi potest. Aelius*

Pyctatium. *Lampridius Pyctatium dixiße uidetur in Alexandro Seuero his uerbis, De promouendis etiam sibi adnotabat, & prælegebat cũcta pyctatia, & sic faciebat diebus ẽt pariter adnotatis, & q̃s, & qualis eẽt, & quo ĩsinuãte*

Album Prætoris. *promotus. Quamobrem Album Prætoris quo edicta sua edita ꝓponebat, ut scirent ciues quod ius de quaq; req́; dicturus eßet, seq́; præmunirent, in auten. de litigiosis §. iubemus. coll. viij, & l. ij. §. eodem tempore. ff. de origi. iuris. Item, Album Decurionum in quod nomina eorum pro cuiusq; dignitate ex ordine eduntur, ut est locus in qnquagesimo Pandectarum lib. de albo scribendo.*

Album Decurionum.

Albũ iudicũ. *Est & album iudicum secundũ qd' Decuriæ iudicum ut inscriptæ essent unoquoq; tempore & nonnunquam ceu sors dedit, iudicarent. Tranqllus in Claudio, splẽdidum uirum*

uirum, inquit, Græciæq; prouinciæ principem, uerũ latini sermonis ignarum non modo Albo iudicum erasit, sed etiam in peregrinitatẽ redegit. Idem in Augusto Octauiano: Itaq; festinãti necdum perfecta Martis æde publicatũ est, tantumq; ut separatim in eo publica iudicia, & sortiones iudicũ fierent. Vnde prouerbij uice usurpatum est, In albo esse, id est, eo numero &c. uel inter eos qui quid sint facturi aut dijudicaturi, quorsum et Plinius in præfatiõe historiæ naturalis adlusit: Cum hanc operã condicerẽ nõ eras in hoc albo. Proinde Album Citharœdorum Sueton. in Nerone protulit, eius uerba hæc sunt: Ac sine mora nomen suũ in albũ profitentiũ citharœdorũ iussit adscribi, sorticulaq; in urnam cum cæteris demissa, intrauit ordine suo.: Cæterum æquum & è repub. est, ut Magistratus sit sanctus, & autoritatis inuiolatæ cuius maiestatem uiolat, quisquis eius iussa cõtemnit, aduersus eũ Prætor iudicium pollicetur, qui id quod perpetuæ iurisdictionis caussa, in albo, uel charta, uel alia materia ꝓpositũ erit, dolo malo tulerit, corruperit, uel ut alter id faciat mandauerit, pœnamq; in eum L. aureorũ dedit, fisco inferendã, nisi is qui actionẽ ĩstituit, sit læsus, in l. si quis id. ff. de iuris. om. iu. ubi codices aliqui pro quinquagita, quingentorũ scriptũ habent, sed falso. Præterea lege Cornelia de falso contra eum qui album Prætoris corruperit, agi potest, cuius pœna est deportatio, atq; ex ueteri iure omnium bonorũ publicatio, l. j. in fi. & l. pen. ff. ad legem corn. de fals.

In Albo esse.

Album Citharœdorum.

Pœna eius qui albũ Prætoris corruperit.

Et in eum qui patronum &c.

ET *hæc actio pœnalis est, ex Prætoris iurisdictione introducta, aduersus eũ qui parẽtẽ cuiuscuq; sexus,*

 hoc

hoc est, ascendentis sursum uersus lineæ personam, in cuius potestate non est (aliàs enim nec uenia impetrata uocabitur, l. fin. C. de in ius uoc.) aut patronum, alium'ue id genus ueneratione excipiendũ hominẽ, in ius prius uocauerit, quàm ueniam eius à iudice impetrasset, ut lătius habetur in l. quiq; litigandi. §. prætor ait. ff. de in ius uocãdo. & infrà, de pœna temere litigantium. §. omnium autem actionũ. Pietas in parẽtes. *Edicto caussam dedit pietas illa naturalis, qua quisque parentes suos, & eos qui parentũ loco sunt prosequi debet, l. ij. C. de in ius uoc. & l. parentes. ff. eo. ti. imò* Hesiodus in Εργοις:

Ὥς τε γονῆα γέροντα κακῷ ἐπὶ γήραος οὐδῷ
Νεικείῃ, χαλεποῖσι καθαπτόμενος ἐπέεσσι,
τῷ δήτοι Ζεὺς αὐτὸς ἀγαίεται, ἐς δὲ τελευτὴν
Εργων ἀντ' ἀδίκων, χαλεπὴν ἐπέθηκεν ἀμοιβήν.
Αλλὰ σὺ τῶν μὲν πάμπαν ἔργ' ἀεσίφρονα θυμόν.

Pœna uocãtis in ius parentes. *Sanè pœna uocantis in ius parentem patronũ'ue ex edicto est quinquaginta aureorũ, quos si non habet unde soluat, quasi inofficiosus ab urbis* Præfecto *castigari debet, l. in eũ. & l. si. ff. de in ius uoc. & l. ij. ff. in ius uoc. qua pœna parens patronus'ue, filium suum libertũ'ue adfici, sibiq; eum condemnari, postulare solet.*

Item aduersus eum qui ui exemerit.

Iudicium aduersus eum qui in ius, hoc est, iuris experiundi gratia uocatum, ui exemerit, æque à Prætore *est, ut pœnarum formidine compescantur, quibus iudiciorum ordo contemptui esse solet, l. j. ff. ne quis eum qui in ius uocatus est, ui eximat. ubi uerbũ eximere generale* Eximere. *est pro*

est pro quoquo modo, sed uiolenter, impedire, utpote, si quis non tantum exemerit quem, sed etiam si remoram fecerit, quo minus in ius ierit, donec uel actionis dies elabatur, uel res interĩ sit amißa, utique exemisse uidetur, tametsi corpus non exemerit, sed et si eo loco detinuerit, quo uocatus esset, & non abduxerit, his uerbis tenetur, l. sed eximendi. ff. ne quis eũ &c. In eum qui hoc fecerit pœna irrogatur, quãti ea res ab actore æstimatur, de qua controuersia est, l. si per alium. §. in eum. ff. eodem titu. quare petit actor reum, quia eum quem pro tali debito in ius atq; ad tribunal iudicis competentis uocauit, ui exemit atq; impediuit, quo minus præsens fuerit, quanti litem illam iureiurando æstimauerit, cõdemnari. Quĩmo si in ius uocatus (modo legitimã absentiæ atq; subtrahendi se caussam non habeat) nihil actori debeat, tamen eximens propter dolum malum quem in magistratum committit, tenetur actori pro cõtrouersia æstimata, & si plures sunt qui exemerint, in solidum singuli tenentur, prætereaq; is qui eximitur, manet obligatus in eo qđ debet, quæ actio neque hæredibus actoris nisi eorum interſit, neq; post annum datur, cum sit Prætoria. Est in citata l. si per alium. & l. fin. atq; ibidem iureconsulti. ff. de in ius uocando. Est etiam actio pœnalis à Prætore introducta aduersus eum, qui dolo facit, ne quis in iudicio sistat, hoc est, compareat, nam uerbum sisto hoc apud iureconsultum in edicto ualet, & non solum, teste Valla, eò pertinet ut quis se corpore repræsentet, sed etiam ut perseueret, donec iudicium ad quod uocatur finiat. Cic. ad Atticum, Des operam (id quod mihi affirmasti) ut

Pœna in eximentem.

Sisto quid.

te ante calendas Ianuarias ubicunq; erimus sistas, quorsum locus spectat in 11. Pandectarũ libro, de satisdatio. iudicio sistendi caussa fact. Et si quis cautio. iudicio sistẽdi causs. fact. nõ obtẽperauerit. vnde facillimũ est cognoscere differentiam inter edictum, Ne quis in ius uocatum ui eximat. & in eum per quem factum erit, qno minus quis iudicio sistat. Illò siquidem punitur, qni ui prohibet ne uocatus ueniat, hoc uero coercetur non uis eximentis, sed dolus eius qui impedit aliquem iudicio sisti, hoc est, qui dolo malo facit, ne quis iudicio compareat, uel si cõparuerit ne perseueret, donec per iudicem rite mittatur. Quisquis ergo uel suis manibus, uel per alium etiam rogatum ad hoc, quem retinuerit ne iudicio sistat, uel triste aliquid denũciarit, propter quod is necessum habuit, ad iudicium non uenire, ne'ue in eo sistere, quia dolo malo id fecisse intelligitur, hoc edicto tenetur, eius pœna est quanti actoris uel rei interfuit aliquẽ sisti, in quo iudicio Vlpianus etiam deducit id quod actor uel reus interĩ dũ non sistit, amisit, uerbi gratia. si reus dominium rei ĩterĩ adquirat, aut actione fuerit liberatus, l. fi. ff. in eum p̄ quem factum.

Pœna eius q̄ facit ne q̄s iudicio sistat.

Præiudiciales actiones &c.

Præiudicium. Exempla. Actiones præiudiciales.

PRæiudicium, ut scribit Asconius Pædianus, dicitur res quæ cũ statuta fuerit affert iudicaturis exemplũ quod sequãtur, atq; ex rebus constat, autore Fabio, quæ aliquãdo ex paribus sunt iudicatæ, & exẽpla rectius dicũtur, quamobrẽ nõnulli præiudiciũ quasi ante iudiciũ sentẽtiã esse existimãt, ita quòd eo obiecto ulterius p̄gredi in iudicio nõ sit permissum. Hinc actiones præiudiciales

les, quia agentibus præiudicant, atq; in aliquo præferun tur, dicimus, quarum Prætor III prodidit in rē datas. Prima est qua quæritur an aliquis liber sit. Secūda, si libertus. Tertia an filius uel ingenuus, atque ex diuerso an non filius uel seruus. Caussa ipsarum hæc est. Iure ciuili atq; legitimo cautū est, ut cui ex seruitute ad quam imme rito prorsus esset, in libertatem ante omnia proclamare liceret, rursusq; ex mentita libertate in seruitutē quē redigere, in l. j. in fi. & l. liberis. §. fi. & l. q ex libertate. ff. de liberali caussa. l. j. in fi. & l. ij. C. eod. tit. similiter ut libertum libertā'ue sibi quis uindicet, aut uice uersa patronum falsum excutiat. l. amplius. in fi. ff. eo. Proinde est Sena. consul. Plautianum, quo de eo partu agnoscēdo cauetur, qui post diuortium est editus. Alterum quoque sena. consul. temporibus D. Hadriani factum est, ut etiā si constante matrimonio partus edatur, de agnoscēdo eo agi possit. l. j. & l. siue. & fi. ff. de lib. agn. l. j. §. per hanc ff. de rei uendicatione. apud Iuliū Paulū sentētiarū li. ij. Sed quæstione status needū mota, si is te conuenire cœperit, quē seruum tuum, aut libertū, aut filiū tuū adseris, nō est qd' stati hoc ludificatiōis prætextu liberatū conijcias, sed Prætor hoc casu edixit, prius quærendum excutiendumq;, liber, uel libertus, uel filius sit qui iudiciū mouet, quàm ulterior in lite fiat progressus, quo deducto tā dē frustra es ĩpetitus, & in hoc actiões præiudiciales ad pellamus, cum aliàs de hominū statu aut agnoscēdo partu agere, nonnihil præiudicij habeat, quare & huiusmodi actiões præiudiciales uocantur, licet nō cōcurrāt aliæ quibus præferantur. l. j. §. iulianus. ff. de liberis agnoscen.

Sena. consul. Plautianum.

Vsus actionū præiudicialiū.

sce n. Vlpianus sic infit, grande præiudiciũ affert pro filio confessio patris. Item ad libertatẽ si proclamauerit is cuius nomine noxale iudiciũ susceptũ est, sustineri atq; differri debet hoc iudiciũ, quoad de statu eius iudicetur, & si quidem seruus fuerit pronunciatus, noxale iudiciũ exercebitur, si liber, inutile uidebitur. Ex quibus statim intelligere poteris quàm frigide multi hunc locum persitarint, dũmodo actiones præiudiciales sursum deorsumq; uersantes, nebula potius obducant, quàm quod luce irradient, nouissime in eo confidentes quod ad originẽ quantum adtinet, honorariæ, confirmatione autem ciuiles sint habẽdæ, cum tamen duæ prorsus ad prætoriã iurisdictionem ptineant, nec aliquid cõmune cum legitimo iure habeant, præter solam adpellationem, qua nòn secus sub iure ciuili comprehenduntur, atq; reliquæ eius partes, unã uero per quam quæritur, aliquis liber sit, an seruus, ex iure ciuili profectam ipse Iustinianus testetur.

Actiões præiudiciales unde.

Sic itaq; discretis actionibus &c.

NOn satis est cognouisse, actionũ aliam esse in rem, aliam in personam, nisi & utriusque naturam sanè consideremus, ne sub altera præsumamus id, quod in alteram foret conijciẽdum, cuius summopere Iustinianus ipse monet, nihil omittens quod ad cunabula (ut dici solet) iuris prudentiæ necessariũ esse queat. Certe actio personalis locũ habet, quando dicimus psonã aduersus quã actionem intendimus, obligatã, ad dandũ aliquid uel faciendum maxime id q\[?]d nostrũ pleno iure non est. In rẽ uero actio tũc datur, quãdo rẽ eam pro qua agimus pleno iure ad nos pertinere adserimus, quod nisi liqueat, cõsultũ est aliud

Actio personalis.

In rẽ actio.

est aliud iuris subsidium perquirere, puta Publicianã. In summa rem eam quae nostra est, actione personali nõ adsequimur, propter dominiũ eius quod iam olim nostrum est, quare amplius nostrum fieri non potest. l. proprias. C. de legatis. l. cum quis. ff. de legatis iij. & superius, de legatis. §. sed si rem. Excepta condictione furtiua, quae licet sit personalis, tamen rem nostram furto nobis ablatam ea persequimur contra furem, supra de obliga. quae ex delicto nascun. & hoc titu. §. ex maleficijs. & . ff. de condictione furtiua. Item actio rerum amotarum excipitur, quae & ipsa est personalis, daturq; aduersus uxorem aut maritũ, pro ijs quae per alterutrum alteri sunt ablata, idq; matrimonio dissoluto. l. j. & l. contra nurum. §. item cũ. & l. marcellus. & l. si concubina. ff. de actio. rerum amotarum. Ex diuerso rem quae nostra non est actione reali non adquirimus, in hoc exposita ut rem nostrã uindicare liceat. Personalis itaq; prodita est, uel ad faciẽdum aliquid, uel ad dominium transferendũ, quẽadmodum post cõtractum emptiõis ad rei traditionem huiusmodi iudicio exempto agimus, nam tũc res dari (hoc est) tradi intelligitur, quãdo dominiũ eius per omnia trãsfertur, aliàs enim uenditorẽ non liberamus. l. ubi autẽ. §. si. C. de condictione ob caussam. Hinc iureconsultus ut uerborum proprietatis studiosissimus, In rem actiones, uendicatiões adpellat, quibus reus nobis ut propriam adsciscimus atq; nostram facimus, quod in VI. Pandectarum lib. fusius est, nam hoc uult uerbum uendicare. In personam uero actiones quibus reum aliquid uel dare uel facere oportere intendimus, Condictiones uocant, nempè

Condictio furtiua.

Actio rerum amotarum.

Res quãdo tradi intelligitur

Vendicatiões.

quod cōdicere ſit denūciare. Suetonius in Tiberiò, Sexto Claudio libidinoſo, ac pdigō ſeni olim ab Auguſto ignominia notato & à ſe ante paucos dies increpito, cœnam lege condixit, ne quid ex conſuetudine immutaret, aut donaret, ut'que nudis puellis miniſtrantibus cœnaretur. Vnde qui aduerſus perſonam experiri uolebāt, prius id condicebant, hoc eſt, legitime denunciabant, à qua denūciatione ut minus neceſſaria, licet hodie ſit diſceſſum, ueſtigium tamen eius in uerbo remāſit, & hoc eſt quod Imperator Iuſtinianus abuſiue dici ait, adeo'que improprie retento ſolum nomine abſque rei obſeruatione; , quo fit ut uarij habeantur librorū iuris ciuilis tituli hoc nomine utcunq; abuſiuo inſcripti, puta de condictione indebiti, condictione mutui, de condictione ob cauſſam, & id genus alij, de quibus in ſuperioribus nos alicubi adnotare meminimus.

Sequens illa diuiſio &c.

Finis actionis rei perſecutorius eſt.

HIc locus ad uſum iuris ciuilis pertinet: Actio enim cum nihil aliud ſit quàm ius perſequendi in iudicio quod cui debetur, Finem habet rei perſecutorium, quorſum fermè tota iuris ratio adcūbit, & licet non omnis actio ſit in rem prodita, ſed quædam etiam in perſonam, ut paulò ante adcepimus, non tamē ita in perſonam eſt, ut per eam ſolum perſonæ negocium faciamus nihil amplius expiſcaturi, ſed magis ut à perſona id perſequamur quod nobis ex aliqua cauſa debetur, ſiue hoc ſit ex contractu, aut quaſi ex contractu, ſiue ex maleficio, aut quaſi ex maleficio, hinc enim alter alteri obligamur, atque obnoxij ſimus, quo fit ut utraque actio tam realis

quàm

quàm perſonalis:rei perſequendæ gratia prodita habeatur,ſed alia aliaq; conſideratione. Sanè actio in rem datur quando eam perſequi uolumus rem,quam pleno iure noſtrã eſſe dicimus, utpote quam iuſto titulo,ſiue hæreditario,ſiue aliàs per legitimos tramites parto,adqſiuimus,ea ſi fuerit corporea,ad actionem rei uendicationis refertur,ſin autẽ incorporea eò ſpectat ſi ſeruitus uendicetur,atq; in ijs ſimiles locos.Actione uero perſonali id perſequimur cuius iam olim domini nõ ſumus,ſed nobis ex aliqua cauſſa debetur,qua perſonam ipſam urgemus, ad id uel dãdum,uel faciendum,ſiue debeatur ex ſtipulatu,ſiue aliũde ut multimodis condictionum tractatibus, alijsq; locis in Pandectarum libris ubertim exponitur, Neq; te hoc remoretur, quòd actio realis quoq; aduerſus perſonam,puta põſſidentem,commodatur , iuxta l. officium.ff.de rei uendic.non enim eò contra poſſeßorẽ datur,quòd ex alia cauſſa nobis ſit obnoxius , atq; obligatus,niſi ob rem illam quam poſſidet, nobis uindicandã, quam ſolum expetimus,ſed fruſtra niſi edita actione aduerſus eum qui poſſidet.

Actio realis quare contra poſſeſſorem.

Plane ſi depoſiti.

QVãdo interpres actionem depoſiti eõ nomine, quòd tumultus,incẽdij,ruinæ aut naufragij cauſſa depoſitum ſit,tum demum in duplum cõtra depoſitarium uel hæredem eius,de dolo exponi arbitratur,ſi depoſitum fuerit negatum,toto errat cælo,nam hoc in reliquo depoſiti genere locũ obtinet cuius actio inſtauratur ad ſimplum,in negantem uero depoſitum atq; inficias euntẽ,donec teſtibus aut aliàs fuerit manifeſtatũ,ĩ duplum

Actio depoſita quando in duplum.

duplū datur, l. alia caussa. C. de his qbus ut īdignis. sed in hoc deposito quod tumultus incendij, ruinæ, aut naufragij caussa fit, actio per prætorem ob perfidiæ crimē semper in duplum datur aduersus depositarium eius'ue hæredem de dolo, quod si defunctus sit de cuius dolo quæritur, in simplum competit actio, l. j. §. prætor ait. ff. depositi. uel contra cuius hic quoq; enarratio est, Et quòd in deposito tumultus, incendij, ruinæ, aut naufragij caussa facto, dupli est actio, eam ob rem fit, quod depositori neque locus neq; tempus superfuisse intelligitur, ut res suas circumspectius deponeret, sed territus qualēcunq; depositarium & rerum suarum custodem pati maluit, quàm sub diuo diripiendas, passim exponi, planè quia huiusmodi depositum ex necessitate descendit ubi fides frangēda non erat, secundum Vlpianum, l. j. §. merito. ff. depositi. pium est atq; humanæ societatis argumētum nihil omittere quod ad bene diligenterq́; custodiendum cōseruandumq́; adtinere potest, atqui in alio, non ex hac caussa, deposito, quia optio depositarij in prōptu est, facilitati suæ imputauerit, qui rem negligenti custodiendā tradidit, & non diligentiorem conquisiuit cui depositum demandaret. Institut. quibus modis re contrahi. obligat. §. præterea. l. j. §. fin. ff. de obligat. ubi actio depositi in simplum datur, contra inficiantem autē in duplum, & hoc est, quod insinuat. §. sed furti. inferius, eodem titu. Et nisi uera essent quæ præter communem interpretum sententiam enarrauimus, superfluum foret Iustinianum hunc locum sic importune inculcasse: nam depositi actionem rei persequendæ gratia datam aduersus personam docuit

docuit, ne hoc per omnia se ita habere existimemus, subiungit quatuor depositi genera esse, uelut tumultus, incendij, ruinæ, & naufragij caussa facti, ubi Prætor in duplum actionem exponit, quæ ob id non tantum rei persecutoria est, sed etiam pœnæ, quare mistæ est naturæ.

Vi autem bonorum raptorum &c.

ACtiones mistas adpellamus, quæ mistam caussam habent, quarum aliæ tam rei quàm pœnæ persequẽdæ caussa dantur ut ui bonorũ raptorũ, in quadruplũ, ita ut triplũ sit in pœnã, & simplũ in rem, ut hic, et Superius de ui bonorũ raptorum. §. quadruplum. Item actio legis Aquiliæ contra inficiãtẽ quãdo duplicatur, atq; interdũ si maioris occisum mancipiũ compẽsare, lucreq; oportet quàm eõ die fuerit quo occiditur. l. inde Næratius. §. hæc actio. et l. ait lex. ff. ad legẽ Aquiliã. Inst. de lege Aquilia. §. his aũt uerbis. Itẽ Actio aduersus eũ qui relicta sacro sanctis ecclesijs uel alijs uenerabilibus locis reddere distulerit donec in ius uocetur. Insti. de oblig. quæ ex quasi contract. nascuntur. §. nostra autem. Et de actionibus. §. sed & illa. & l. ij. C. cõmuunia de legatis. Aliæ mistæ in rem & in personã competũt, nã licet sint personales, tamẽ ijsdẽ res persequimur quæ nostræ sunt dominij iure, cuiusmodi est iudiciũ familiæ ercifcundæ. Cõmuni diuidũdo, & finium regundorũ. de quibus in x. Pãdectarũ lib. locupletius scribitur, quàm hic paucis perstringi queat. Petitio quoq; hæreditatis mistæ naturæ est l. sed & si. ff. de peti. hæred. & l. hæreditas. C. eodem tit.

Actiões mistæ.

Actiones mistæ in rem & persoNam.

Et ne excidat, etiam atq; etiam epilogi uice monendi sumus, Actionum (quantũ à fine censetur) aliam in rem,

Diuisio actionum a fine.

aliam in personam expositam esse, aliã pœnæ tantũ caussa dari, quales sunt pleræq; omnes ex maleficijs, aliã in rem itidem ex maleficio, ut est Condictio furtiua, aliam mistam habere caussam siue in rem & pœnã, ut ui bonorum raptorũ: siue in rem & personam, qualis est actio familiæ erciscundæ, communi diuidundo.

Familiæ erciscundæ &c.

Erciscere. *ERciscere, siue (ut quidam uolunt) ercescere uerbum in ueteribus legum libris (autore Festo) pro diuidere usurpatur, tametsi in uulgatis eius exemplaribus menda sit, nam erectum pro erctum legitur, & scitum pro citum, uerbum apud Lucretium in I. de natura libro. Sicita dissiliant &c. Vnde quia iudicium de hereditate inter cohæredes diuidẽda, ex antiquissima & xuirali lege, ut Caius scribit, proficiscitur, antiquam illam & natiuam inscriptionem familiæ erciscũdæ, siue mauis ercescũdæ obtinuit, eo quod familia, quam Græci οὐσίαν uocant, inter alia eas res significat, quæ ad substãtiam patrimonij nostri pertinent. l. fi. C. de uerb. signi. & l. pronũciatio. §. in res. ff. eo. tit. ex quibus nemo non uidet Interpres in Rubricam. ff. familiæ erciscũdæ. quàm sit deceptus, quãdo Rubricam illam græcam plusquam pueriliter halluci natur, non agnoscens eam ex uerbis ut antiquis ita & latinis esse constructam.*

Familię erciscũdæ.

Viatores.

Viatores. ὁδοιπόροι. *VIatores à uiando (hoc est) iter faciundo adpellantur, Græcis ὁδοιπόροι, unde ministri, adparitores q magistratus iussa alicubi deferũt atq; exequũtur, dici cœperũt. Columella in præfatione libri I. de re rustica. Illis enim*

enim temporibus (ut ante iam diximus) proceres ciuitatis in agris morabantur, & cum consilium publicum desyderabatur, à uillis arcessebantur in senatum, ex quo qui eos euocabant uiatores nominati sunt, nam frequens eorũ ab agris in urbem uia erat. Atteius *Capito in lib. de officio senatorio, ut* Gellius *lib. iiij. cap x. refert. C. (inquit) Cæsar* COS. M. *Catonem sententiã rogauit, Cato rem quam consulebatur, quoniam nõ è re publica uidebatur, perfici nolebat, eius gratia ducendæ longa oratione utebatur, eximebatq; dicendo diem, erat enim ius* Senatori, *ut sententiam rogatus diceret antè quicquid uellet, alius rei, & quoad uellet: Cæsar consul, uiatorem uocauit, eumq; cum finem non faceret, prehendi loquentem, & in carcerem duci iußit, senatus consurrexit, & prosequebatur* Catonem *in carcerẽ, hac (inquit) inuidia facta, Cæsar destitit, & Catonẽ mitti iußit. Hinc quos iudices adparitores iureiurãdo sibi addictos habent ut lites in ius uocandis denuncient, & reliqua per caussas mãdata exequantur, uiatores* Iustinianus *uocat, interdum* Adparitores, *aut executores. l. j. & l. fi. C. de sportulis. & l. cum clericis. C. de episco. & cler.* Interdum *cursores.* Martialis, *Cursorem sexta tibi Rufe remisimus hora. Iam illa leuiora (inquit Spartianus in Aelio Vero.) quod cursoribus suis exemplo Cupidinum alas frequenter adposuit, eosq; uentorum nominibus sæpe uocitauit,* Boream *alium, alium* Notum, & *item* Aquilonem *aut* Circium, *cæterisq; nominibus adpellans, & indefesse atq; inhumaniter faciens cursitare.* Vulgus *nostri seculi,* Pedellos *suo more dicit, inter tot uoces oppidò latinas, cum* Diomede *permutationẽ faciens.*

Adparitores.
Executores.

Cursores.

Sportularum nomine &c.

Sportula. *SPortula ferculum est, seu obsonium quod salutatoribus suis diuitiores* Apud Romanos *dare solebant, à sparto cuius apud* Pli.lib.xxiiij.cap.iij.*consyderatio est, quando utensilibus seu fiscellis è sparto contextis recipiebatur, nisi ab asportando dici mauis, quod itidem refert* Marcellus, *nec prorsus inepte, cum hoc obsonij genus quisq; ut recepisset, asportaret*: innuit Iuuenalis Saty.j. —*Nūc sportula primo* Limine *parua sedet, turbæ rapienda togatæ*.

Sportula pro Cœnula. Proinde *quia sportula obsoniū tantū est quod abiectæ & paupertinæ conditionis hominibus dabatur, pro cœnula qualiquali et illegitima usurpatur, quæ absq; sedendi ordine statim rapiēda obijcitur.sic* Claudius Cæsar

Anniuersariū. Anniuersarium.i.*conuiuium singulis uertentibus annis in castris* Prætorianis *sine adparatu propositū, sportulam adpellauit, autore* Tranquillo, *cuius uerba hæc sunt*, Anniuersariū *in castris* Prætorianis *sine uenatione adparatuq; iustū atq; legitimū in septis ibidē per extraordinariū & breue, dierumq; paucorum, quodq; adpellare cœpit sportulā, quia primum daturū se, dixerat, uelut ad subitam conditam cœnulam inuitare se populum.*

Recta cœna. *Sportulæ recta cœna opponitur, nimirū quæ dapsilis & non sine adparatu recto discumbentiū ordine fit, non secus quàm legitimum conuiuium: qualem liberaliores ciues pro sportula salutatoribus suis exhibebant.*Tranquillus in Domitiano, *Multa etiā in cōmuni rerum usu nouauit, sportulas publicas sustulit, reuocata rectarū cœnarū consuetudine, nā sub* Claudio Nerone *adhibitus sumptibus modus erat, publicæ cœnæ ad sportulas redactæ, interdictum*

terdictum ne quid in popinis cocti præter legumina aut olera ueniret, cũ antea nullũ nõ obsonij genus poneretur. Inde sportella, Cicero ad Pætũ, Dediscẽdæ tibi sunt (inquit) sportellæ, & artolagani. & Tranquillus in Domitiano, sportellis cum obsonio distributis. In sportulam pecunia aliquando succedebat, quæ centũ æris continebat, quare centußis Martiali non semel dicitur, quorsum & Iuuenalis in primo Satyrarum adlusiße uideri potest, Sportella. Sportula centussis.

Sed cum summus honos finito computet anno,
Sportula quid referat quantum rationibus addat,
Quid facient comites quibus hinc toga, calceus hinc est,
Et Panis: fumusq; domi, densißima centum
Quadrantes lectica petit, sequiturq; maritum
Languida uel prægnans, & circunducitur uxor.

Ex quo mercedula illa quæ uiatoribus iudiciorum ministris, & executoribus datur sportula dici cœpit, & hic, & in Autentica, sed hodie. C. de epis. & cler. Item in Autentica, ut litigantes iurent in exordio &c. §. & hoc quoque. & Auten. de sanctiß. Episcopis. §. sportularum. coll. IX. quæ ultra quantitatẽ in libello cõuentionis propositã non exigebatur, ut Iustinianus in peculiari quadã sanctione ex lege condictitia cõstituit, quã usq; adhuc desyderamus. Hodie uero pro itineris lõgitudine, sportula uiatoribus præstatur, nimirũ in singula milliaria, singuli numi, refert glossa in Auten. de iudicibus. §. nullo quoq;. in uerbo, disposita. Vbi perfunctoriæ aduertendũ, Numũ, quem Philippus Melanchthon sestertiũ esse scribit, latinis scriptoribus tantum ualuisse, ut etiam centeni in aureum sint æstimati, cuius indicium esse potest, ut etiam Alciatus Sportula uiatorum qualis.

ſentit, quod Cornelius Tacitus in XVII. hiſtoriarum, ſcribit. Quoties Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti uiritim centenos numos diuidebat. Tranquillus in Othone, aureos ſolitum dare tradit, ſed res numaria quia pro regionibus atq; ætate uariare ſolet, Numus quanti eſſe debeat, cuiuſq; loci atq; tribunalis conſuetudini cõmittimus. Et ſi actor cauſſam dederit, quare uiatores plus iuſto exegerint, triplum luit eius quod damnum dedit, ſua ſponte uero uiatores qui ultra id quod debetur aliquid extorſerint, eius quadruplũ reſtituũt, iuxta §. ab hinc proximum. Item ex lege condictitia, cuius triplum ærario erogatur ſimplo læſo cedit, in Auten. ut litigantes iurent in exordiõ &c. §. ſed ſiquidem coll. ix.

Numus.

Pœna viatoris, plus exigentis.

Sportula iudicialis.

Eſt aliud ſportulæ genus τὸ δικαστικὸν, hoc eſt iudiciale, quod conteſtata lite exhiberi ſolet iudicibus pedarijs, quos noſtri pedaneos uocant, ſed minus pure. Dicuntur autem pedarij eo quod maioribus honoribus necdum functi in curiam pedibus itarent, ut ex C. Baſſo, Aulus Gellius refert libro iij. cap. xviij. ſequitur, L. Feneſtella ſatis diffuſe, quare in hunc uſque diem de minoribus rebus, negocijsq; humilioribus cognoſcunt. l. fin. C. de pedaneis iudicibus. Etenim huiuſmodi iudices (niſi publico ſtipendio alantur) quotieſcunque de litibus cognouerint, quæ centum aureorum quantitatem excedunt, duos aureos ab utraq; litigãtium parte ad conteſtationem litis accipere permittũtur, & duos in negocij fine, iuxta Auten. de iudicibus. §. ne autem. & ibi iureconſultos, coll. vj. quod & ipſum fermè ĩ diſſuetudinẽ abijt, ſportulis ad obſeruationem cuiuſq; tribunalis atq; fori redactis, qua, utinam pro conſuc-

Pedarij iudices

consuetudine tantum iudiciorum, & non item pro auaricia multorum exigerentur, ex quibus uelim non essent interdum quos sacros iudices et Pontificios officiales sa lutamus, sportulis illis utut compilatis impendio magis inhiantes, quàm ut publicæ paci, hoc est, litigijs cōponē dis operam nauent. De iudicibus autē, eorumq; pœnis q contempta iudicandi religione sententias uenales habēt, alicubi me scribere memini. Officiales.

Item de eo quod metus caussa.

QVanto studio reipublicæ prospicere Prætor uolue rit, argumentū præbet Edictū, de eo quod metus caussa gestū erit. ut ī. IIII. Pādectarū libro fusius cogno sces, quo restitui iubet omne illud, quod qs in magistratu, potentiori'ue loco, etiā in priuato statu positus ab altero præsenti metu extorserit. Metus est (autore Vlpiano) instātis periculi, uel futuri caussa, mētis trepidatio. M. Cicero Tuscula, quæstionū li. IIII. ex sentētia Stoicorū expreßius, Metus (inquit) est opinio impēdentis mali, quod intolerabile esse uideatur. Et licet Chrysippus cū Stoicis πάθη quas Cicero perturbationes, reliqui adfectiones adpellant, quarum & metus pars est, in constantē atq; adeo sapiētē uirū cadere nō patiātur, iurecōsultus tamen Peri pateticorū sententiā ut uero propiorē secutus, non uani hominis metū, sed eum qui in constantißimum uirū cade re poterit, ad hoc edictum pertinere ait. l. metū autem. cū. l. sequēti. ff. de eo quod metus caussa. & l. metus autē caussa ff. ex quibus caus. maiores &c. Vult autem Prætor eum qui metu cuiusdam magni atq; intolerabilis mali impulsus quidquam alienauerit, nisi ad iudicis manda- Quod metus caussa. Metus quid. πάθη.

tum id restituatur, actione quadrupli in rem aduersus eũ qui metum incußit experiri posse, quam petit, quia reus extortam metu rẽ, iudicis iussu nõ restituerit ipsum condemnari in quadruplum eius quod extorsit. Et *hoc iudicium intra annum ab illato metu datur in quadruplũ ex edicto, post uero in simplum, ubi in quadruplo res quoq; comprehenditur, & triplio tantum pœna est. l. si cũ exceptione. §. si quis. §. post annũ. §. quatenus. ff. de eo quod metus caussa.* Vbi *cumprimis aduertendum, quadrupli actionem tũc demum dari. si quis iudicis mandato rẽ actori non restituerit, quod si fecerit* Prætoris *clementia absoluitur, pœnamq; euitat.* Infra *eo. tit. §. item actio. de eo quod metus caussa. & citata. l. si cum exceptione. §. satis enim clementer. & l. iij. C. eo. tit.*

Actio quadrupli de eo quod metus caussa.

Deq; ea pecunia &c.

ET *hic locus, dignus est quem magistratus, & hi quibus rerũ summa committitur propensius tuerentur, præsertim hoc seculo in nullas non technas cõposito, sic enim breui fore existimauerim, ut* Romanẽsibus *illis* Curtisanis *(quos uocãt) rabulisq; æruscatoribus cũcta ultro citroq; miscẽtibus, nullumq; calũniæ atq; imposturarum genus intentatũ relinquẽtibus, prouincia nocẽdi nõ passim & sic impune cõncederetur.* Est *enim de calũniatoribus, (de quibus in pãdectis &* Codice Iustinianeo *magni tractatus habentur) ijs nẽpe qui ut alijs falso in iudicijs negociũ faciant, uel si aliquod est, id nõ faciant, pecunia uel alia re induci nõ uerentur.* Quisquis *hoc cõmisit, nõ unã sustinet pœnam, nam ex* Prætoris *edicto intra annũ tenetur actiõe quadrupli in factũ, quia pecuniã accepit,*

Curtisani Romanenses.

Pœnæ calũniãtium.

siue

siue id quod depactus est.i.turpiter pactus est (autore Vlpiano, fecerit, siue non fecerit, ut hic, & l.j. & l.generaliter.§.si igitur.§.hoc edicto.ff.de calumniatoribus. Tum *obstringitur lege Iulia repetundarum in pœnã extraordinem decernendam.l.lex Iulia.§.hodie.ff. ad legem Iuliam repe.deinde notatur falsi crimine, unde modo deportationem, modo ultimum supplicium meretur, l.j.ff.ad legem Corneliã de fal.praeterea crimine cõcussionis, quando iudiciorum terrore atq; nebula omniũ densißima pecuniã falso extorsit, cuius pœna in caussa pecuniaria extra ordinem irrogatur, in criminali uero ex lege Cornelia.l.j.& l.fi.ff.de concussionibus.* Postremo *si quis hac calumnia falsum crimen intenderit, legem* Remiam *ultricem habet.l.j.§.calumniatoribus.ff.ad senatuscon.* Tur*pilianũ.l.ab imperatore.ff.de praeuaricatoribus.et l.fi.* C.*de accus.& l.fi.*C.*de calumniato.& est glossema notatu dignum, in.l.j.§.hoc autem iudicium.in uerbo, maxime.ff.de caluminiatoribus.* Crimen concussionis.

Actionum autem quædam bonæ fidei.

Q*Vintum discrimen actionum est, quo aliæ bonæ fidei, alie stricti iuris dicũtur.* Bonæ *fidei sunt quot quot hic enumerãtur, sic uocatæ, quod iudex in ijs ex bono & æquo arbitratur, de quo inter partes nõ conuenit, ut est usura ex mora interesse seu id quod nostra ĩterest, quemadmodum* In T.*Claudiũ, ut* Tullius *autor est, quia* P.*Calphurnio ædes uendidit quas in Cælio monte habebat, & per augures demoliri esset iussus, ne altitudo ipsarum auspicijs officeret, idq; empturiẽti nõ manifestauit:* M.*Cato ex fide bona sententiã dixit, cum in uenũdando*

Actiones bonæ fidei.

Actiones stricti iuris.

ædes demoliendas sciisset, & non pronunciasset, emptori damnum præstare oportere, igitur ad fidem bonā statuit pertinere, notum esse emptori uitium, quod nosset uendi tor. Item iusiurandum quod in litem datur ob dolum ma xime commißum, l. in actionibus. ff. de in litem iurādo. id quod caussarum patronis cognouisse non minus utile est quàm necessarium, ut uel hinc sciāt in quibus iudicijs ad usuras atque id, quod cuiusque interest, in quibus item ad iusiurandum in litem sit progrediendum, quibus prætereri tis non potest fieri quin sæpius impingāt. Stricti uerò iu ris actiones angustiores sunt, nam ulterius non dantur, quàm natura ipsarum ex contractu seu obligatione præ se fert, in quibus ut usuræ ex mora non ueniunt, nisi sint promissæ, ita nec interesse, nisi rem tradere quis oblige- tur. l. ubi autem. ff. de uerborum obligatione. & l. si quis ab alio. ff. de re iudicata. quæ cum altiorem indaginem quàm ut breuibus his commentariolis explicari idoneū sit, desiderent, ad copiosiores iuris interpretes tibi expatiandum erit, etiam ad ea quæ Panormitanus in cap. cum ue- nerabilis. de exceptioni bus. hac in re colligit.

Præscriptis verbis &c.

NAtura rerum inductum est ut plura sint negocia quàm uocabula, fit secundum Iulianum, ut exi- stant contractus, puta innominati, quorum adpellatio- nes iu

nes iure ciuili non sunt prodita, unde nec usitatas habent actiones, sed modo ad actionem ciuilem in factum, modo ad eam quae est tantum de praescriptis uerbis, recurritur. Nam ubicunque uulgaria atque frequentata actionum nomina deficiunt, praescriptis uerbis agendum est. l. j. & l. ij. cum nonnullis alijs ff. de praescriptis uerbis. quorsum adtinent contractus illi innominati, do ut des, do ut facias, & facio ut facias. Proinde ubi dubitatur de natura contractus, in summa quoties aequitas ipsa suadet actionem dari, siue ex contractu, siue ex non contractu id fiat, & dicitur actio ex praescriptis uerbis (ut pleriq; omnes uolunt) qua actor petit reum condemnari, secundum ea quae sunt uerbis praescripta, atque relata. Alij dici uolunt quod praescriptis atque suis uerbis antiquitus data esset, praeterea actiones praescriptis uerbis sunt stricti iuris, exceptis duabus, quarum altera de aestimato datur, tunc scilicet quando rem aliquam alteri aestimatam, aut uendendam, aut utendam damus, sic ut nobis rem ipsam aestimationem'ue eius restituat, quae cum modo emptioni, modo conductioni, modo mandato non admodum uideatur absimilis, fit ut bonae fidei quoque habeatur. Altera uero in rerum permutatione competit, emptioni & uenditioni adeo similis, ut Cassius & Sabinus Iurisconsulti non poenitendi, emptionis & uenditionis eam speciem esse uetustissimam uoluerint. Quare etiã inter bonae fidei iudicia, non secus quàm emptio esse meruit. l. j. ff. de rerum permutat.

Praescriptis uerbis quando agitur.

Cõtractus innominati.

Actio de aestimato.

Fuerat antea &c.

Quia

QVia nuptiæ suis molestijs & domesticis solicitudi nibus nō carēt, quod etiam si Iuuenalis, & pleriq; Philosophorum tacerent, Metellus tamen Numidicus in oratione quam Censor ad populum dixit, autore Gellio, satis scriptum reliquisset, quando inquit, Si sine uxore possemus Quirites esse, omnes ea molestia careremus, sed quoniam ita natura comparatū est, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo uiui poßit, saluti perpetuæ potius, quàm breui uoluptati consulendū, Placuit uxoribus δωτὰς *constitui, quibus mariti illecti, molestias illas tolerabiliores haberent, thalamiq; concordia citius conciliarentur, quod ceu præcipuum rei uxoriæ commodum, Vlysses Nausicaæ apud Hom. in VI. Odyß. precatur.*

Moleſtiæ uxorum.

Dotes quare uxoribus dātur

Σοὶ δὲ θεοὶ τόσα δοῖεν ὅσα φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς,
Ἄνδρα τε καὶ οἶκον καὶ ὁμοφροσύνην ὀπάσειαν
Ἐσθλήν, οὐ μὲν γὰρ τοῦ γε κρεῖσσον καὶ ἄρειον,
Ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον,
Ἀνὴρ ἠ γυνή, πόλλ' ἄλγεα δυσμενέεσσι,
Χάρματα, δ' εὐμενέτῃσι, μάλιστα δέ τ' ἔκλυον αὐτοί.

Donatiōes propter nuptias.

Præterea donationes propter nuptias, quas ueteres ante nuptias antiquato iam uocabulo adpellabant, ut eas donationes quas sponsalitias largitates uocant, à maritis largiuntur, ut uel marito ad inopiam decoctis rebus uergente, uel matrimonio soluto, uxores habeant unde alantur, neque rerum penuria (ut fieri solet) coactæ, turpe aliquid facere ausint. Quidquid autem negocij pro dote uel exigenda uel repetenda olim fuerat, rei uxoriæ actione competebat, eam Iustinianus cum omnibus suis diuisionibus (quas in glossemate magno l. unicæ. C. de rei uxoriæ actione

Actio rei vxoriæ translata.

actione conspicere est) in actionem ex stipulatu de dotibus exigendis transtulit, sanè stipulatio siue sit utilis siue inutilis, robur tamē semper habebit, idq; prouidentia mulierum, quibus in hoc fuit nonnihil condonandū. Et dos *in rebus mobilibus uel incorporalibus, hoc est in solo iure constituta aut promissa, nisi intra annum, in rebus uero solo hærentibus, nisi statim exhibeantur, usuræ ex ea debentur, in citata.l.unica.§.exactio autem.C.de rei uxoriæ actione. Cumq; reipublicæ intersit, uxores dotes suas saluas habere, cautum est uxorem in bonis mariti ad inopiam uergentis, matrimonio'ue soluto, etiam in bonis extraneorum pro dote promissa aut suscepta, exigenda, tacitam obtinere hypothecam, sic quod bona illa pro dote maneant obligata, eatenus ut etiam reliquis creditoribus tacitam hypothecam in huiusmodi bonis habentibus longo interuallo præferatur, nec est quod quisquam debitū suum prius consequatur, quàm dos fuerit soluta, est in.l. fi.§.ad hæc omnia.C.qui potio.in pig. habeantur.l.ubi.l. in rebus.C.de iure dotium.*

Mariti bona pro dote obligantur.

Præterea quasdam actiones.

IN *bonæ fidei iudicijs quamuis libera potestas iudici permittatur, usuras ex mora iuxta atq; interesse ex bono & æquo æstimandi, proinde compensationes inducendi ut iam nunc enarrauimus, unde & Ciceroni arbitraria ut in quibus ex bona fide ageretur, alicubi cognominantur, non tamen proprie arbitraria dicuntur, cum potestas illa atq; æstimandi arbitrium ex natura huiusmodi iudiciorū proueniat, quæ ob id bonæ fidei dicimus, quòd nōnihil ex bono & æquo de quo inter partes nō est actū admittunt,*

admittunt, sed eas tantum actiones (ut sunt stricti iuris) arbitrarias cognominamus, quæ arbitrium illud iudicis, quod Placentinus sententiam interlocutoriam compellat, ex bono & æquo per diametrum dimensum, non ex sui natura, sed à iudice communicatum habent, si quidem iudex in omnibus iudicijs in quibus res iussu eius non restituitur, potestatem habet iusiurandum in litem actori deferre, secundum quod reum postea condemnabit. l. si non ignorabit. C. de in litem iurando. & l. qui restituere iussus. ff. de rei uendicatione. His adde si post iudicis mandatum (quæ sententia est definitiua iuxta glossam in uerbo restituitur. l. qui restituere. ff. de rei uendicatione.) reus non restituat rem, soluat, aut exhibeat, potest iudex ipsum pro arbitrio condemnare, idq; aut in aliquo, ueluti actione quod metus caussa, ubi primo condemnatur ad restituendam rem, quod si contumax non fuerit, ad quadruplum iuxta rem æstimatam. l. si cum exceptione. §. hæc autem actio. & §. sin autem. ff. de eo quod metus caussa. Aut in quarto, ubi agitur de eo quod certo loco dari quis est stipulatus: per alias enim ciuitates, alias'ue regiones, alia rerum sunt pretia, quæ non minus iudici hoc casu pro loci cuiusq; ratione ueniunt perpendenda, l. arbitraria. & l. ideo in arbitrium. ff. de eo quod certo loco dari oportet. Vnde iudex arbitrari potest pro quantitate deferendo iusiurandum in litem, & hoc præfinita rei quantitate usq; ad quam iuretur, ut in actionibus in rem, ad exhibẽdum, atq; in bonæ fidei iudicijs. l. in actionibus. ff. de in litem iurando. modo pro eo quod cuius interest, idq; ratione loci præsertim in eo quod quem certo

Actiones arbitrariæ quæ.

Iudex quomodo arbitratur.

loco

loco dare oportet. Nonnunquam *in pœnam arbitrium habet, ut in actiõe de dolo malo. l. arbitrio. ff. de dolo. & in alijs iudicijs in quibus extra ordinem, & ad iudicis arbitrium pœna irrogatur, quæ omnia extremis tantum digitis adtigisse in animo est, ne locus, obscuritate sua iuuenilcs animos statim eludat.*

Aut generaliter Vinum.

Vinum *dici uolunt, quod bibitum uim quandam menti præbeat, & si modus absit, furorem, ad Græcorum forte imitationem, quibus οἶνος adpellatur, eo quòd bibentes eatenus dementare soleat, ut uel hinc se νοῦν ἔχειν, hoc est, mentem habere maxime putent, scribit* Plato *in Cratylo, quam caussam fuisse Poëtis olim crediderim* Bacchum, *quem uini autorem communiscuntur, (licet sacræ historiæ id Lotho Abrahæ cognato adscribant) tot cognominibus adpellasse, ut modo sit Iacchus, modo Bromius, modo liber pater, præter Epitheta, ut lætus, audax, furens, corniger, quæ omnia uini alius aliusq; usus ministrare solet, de quo sunt, loci & Græcorum & latinorum usitatiores, quàm ut à nobis referri debeant, sanè quisquis nostra ætate Baccho prorsus dedita, uino nõ obruitur, magis suspiciẽdus est, quàm Chrestus ille Sophista* Bizantinus, *qui apud* Philostratum *commẽdatur quod uino quandoque uictus, temulentiæ facilitati, & superbiæ imperasset.* In *summa uino natura est, ubi haustum sit uiscera intus calore accendendi, foris autem infuso refrigerãdi, nec admodum morantur quæ* Flauianus *apud* Macrobium *in contrariam sententiam differit, uino scilicet magis refrigerãdi intus*

Vinum unde.

Bacchus quare tot nomina habet.

Chrestus Sophista.

natu

naturam esse quàm accēdendi, cuius & Petrum de Burchardis Ingolstadianum, in arte medica uirum insignem atq; præceptorem nostrum communem aliquãdo fuisse, necdum mihi excidit, quare Androcides sapiētia clarus ad Alexandrum magnũ scripsit intēperantiam Regis co hibens, Vinum potaturus Rex memento te bibere sangui nem terræ, sicuti uenenũ est hominu cicuta, ita et uinum, quo, ut iure dici possit, neq; uiribus corporis utilius aliud neque aliud uoluptatibus perniciosius, si modus absit, ita Socratem quoque acriter bibisse sed nunquam inebriatũ Alcibiades platonicus prædicat. Vitæ quoq; & corporis sanitati non minima utilitas uino adquiritur, ut nõ imme rito Liuia Augusta uitæ suæ annos LXXXII. Peucino uino nõ aquoso (quod in sinu maris Hadriatici profertur) retulisse acceptos uideatur. Rursus ubi diu noctuq; perpo tare, & saluberrimo uini munere abuti uelis, perniciosius aliud non statim dixeris quod non modo præproperam senectã, uerum etiam nulla nõ uitæ incommoda exci tare consueuit. Vnde Democritus Abderites ultra ternarium numerum, non esse bibendum censuit, id quod Ausonius quoq; indicasse uidetur, hoc carmine:

Petrus Burchardi.

Socrates acriter bibit.

Ebrietatis incõmoda.

Ter bibe uel toties ternos si mystica lex est,
Vel tria potanti, uel ter tria multiplicanti.

Non incassum igitur lex quam sympostacam uocant, definit, Primam crateram facere ad sitim, secundã ad hi laritatem, tertiam ad ebrietatem, quartam uero ad insaniam. Recte itaque Pittacus Mitylenæus, Ebrium cum peccaret, duplici pœna adficiendũ statuit, quia uero primum gradũ à Libero patre ad Venerē esse ueteres per-

spectum

ſpectum habuere. Et οἶνος (inquit Euripides) δὲ μὴ πάρεντος οὐκ ἐστὶ κύπρος, conſtitutum fuit mulieres abſtemias eſſe debere, ut quæ facilius uino ſuperarẽtur, ideoq; fœminis propinquos ſuos oſculum dare ſolitos, Cato ſcribit, idque ex lege quam Romul us tulit, ut experirentur an temetum olerent, hoc enim tum uino nomen erat, unde & temulẽtia adpellata eſt. quare Fabius pictor refert in annalibus, Matronã quod loculos in quibus eſſent claues uinariæ cellæ, reſignaſſet, à ſuis inedia mori coactã. Profecto noſtris fœminis peſſime conſultum uelit, ſi qs talem legem promulgaret, quarum nonnullæ altero potius oculo, quam uno uini cantharo ſemel contentæ eſſent, nec immerito, cum & uiri ipſarum præpotemus, ὅθεν τὸν ὅμοιον φασὶν ὡς τὸν ὅμοιον, ut eſt in prouerbio. Et ne aliò totus ferar, Vinũ cõmune eſt nomẽ ad omnia eius genera ſuperius ſiue natiua ſint, ſiue facticia, ſic ut q uinũ generaliter eſt ſtipulatus, & cãpanũ petit, plus iuſto petit, aliud enim petit quã eſt in obligatione, cũ ſit in promiſſoris arbitrio, quale uinũ, dũmodo id mediocre habeatur, dare uelit. Campania ſiquidẽ nõ mediocria, ſed optima uina profert, quale eſt Setinũ, quod D. Auguſtus omnibus anteferre non dubitauit, Falernũ, cui, Plin. ſecundas tribuit, Item Calenum & ipſum nobile ut autor eſt Strabo, Geographiæ libro v.

Temetum.

Vinum generale nomen.

Campana uina

Aut generaliter purpuram.

Πορφύρα cuius frequentior apud nos eſt adpellatio quàm uſus, ut quem multi nobis eſſe negant, à piſce nomen accepit, qui florem illum tingendis ueſtibus expetitũ, in medijs retinet faucibus, ut refert Ariſtoteles de na

Porphyra.

turis animalium lib.iij.& v.& ipsum secutus Plin. *historiæ naturalis libro ix.*Eam Herculem *primo inuenisse* Tirij *perhibent,optimi est coloris quæ in modum concreti sanguinis ac nigricans,aspectu eodemq; suspectu refulget,quare etiam* Homerus *purpureum sanguinem dixisse creditur,in libro q* Βατραχομυομαχία *inscribitur,* (*nisi alium quem huius poëmatis autorem esse mauelis,*) ἐξάπτετο δ' αἵματι λίμνη Πορφυρέῳ. *Idem* Iliados *xix.apud finem:* ὁ δ' ἰάχησε, τὸν ἔχεν λόν Μέσσην κακκεφαλὴν ξίφεϊ ἤλασε κωπήεντι, Πᾶν δ' ὑπεθερμάνθη ξίφος αἵματι, τὸν δὲ κατ' ὄσσε Ελλαβε πορφύρεος θάνατος.

Purpureus sanguis.

Vbi Homerus *totius antiquæ* Philosophiæ *facile princeps,*πορφύρεον θάνατον *purpureũ sanguinem cõpellat,quo effuso mortem sequi nihil certius sit, ueterum sententiam imitatus,qui animam modo in sanguine residere,modo cum sanguine participare,eiusq; naturæ esse prodiderunt,quum &* Thisiæ Philosophi *fuisse* Aristoteles *autor est.*

Purpura generale nomen.

Proinde purpureæ adpellatione,omnis generis purpuram contineri Vlpianus *ait,l.si cui lana.§. purpuræ.ff. de legatis.iij.ubi* Lazarus Baifius *incomparabilis studij homo,& perpetuus literarum uindex,*Buccinum *& conchyliũ, pro* Fucinum *&* Iantinum, *seu* Hyacinthinum, *ut* Accursius *inter alia legit,ego* Fucinum *&* Hyacinthinum,*genuinam lectionẽ esse nõ admodũ negarim.*φῦκος *enim* θαλάσσιον,*quod est fucus marinus,herba est lactucæ similis,quæ conchilijs substernitur,cuius tria genera esse* Plin.*lib.xxvj.cap.x.refert,latum,& alterũ longius*

Fucus marinus

quodam tenus rubens: Tertiũ crispis folijs, quo in Creta uestes tinguntur, cuius Vergilius meminit lib.Georg.iiij. —*Fucoq; & floribus ora Explent. ubi Maurus, Fucum herbã esse adnotauit, qua lana inebriatur atq; inficitur, hinc Fucare uerbum, pro purpura inebriari atq; intinge re. Vergilius in ij.Georg. Alba nec Aßyrio fucatur lana ueneno. Alludens ad eam purpuram quæ apud Tyrum Aßyriæ urbem, pretiosißima tingitur. Et per translatio nem, Purpurißum illud & Stibium quo puellæ genas de pingunt, coloremq; mentiuntur, Fucum dicunt. Potuit Vl= pianus Fucinum, purpuræ genus non inepte proferre. Si= militer Hyacinthinum purpuræ genus esse nemo igno= rat, uel ab Hyacintho flore, ex Aiacis cruore nato, nã & hoc cocco Hyginum tingitur autore Plinio lib.XXI.cap. XXVI. uel Hyacintho gemma quæ non secus quàm Ame= thystus quoq; purpuræ colorem refert. Plin.lib.XXXVII. cap. IX. & Persius Satyra prima: Hic aliquis cui circum humeros Hyacinthina læna est. Recte igitur Iurisconsul tus Fucinum & Hyacinthinũ purpuræ cõnumerauit, ita ut si purpura legetur, Fucinum quoq; & Hyacinthinum legati nomine ueniant, atq; legata intelligantur. Prætrea ad præsentẽ locum quod spectat, quisquis purpurã stipu latus, Tyriam petit, plus iusto petit, & sic conditionem suam meliorem, aduersarij uerò deteriorem facere contẽ dit, potest enim promissor mediocrẽ & uiliorẽ purpurã pro arbitrio suo & iuxta obligationem soluere, cum Ty= ria purpura sit omniũ præstãtißima, ut autor est Strabo lib. Geographiæ XVI. πολὺ γὰρ ἐξήτασθαι πασῶν ἡ Τυρία καλλίστη. a Tyro olim insula nunc Alexãdri regis opa*

Fucare. Purpurissum. Hyacinthinũ. Tyria purpura

continenti iuncta,ubi purpuræ piscatus abunde est.

Sed hoc quidem antea &c.

L*Ocus breuior est, quàm ut prima facie (seu dicitur) intuenti satis cognoscatur, cum sic adsequi poteris, quisquis olim re, loco, tempore, aut caussa plus quàm sibi debebatur petijsset, rem totam admittebat, etiã apud* Iul. *Paulum sententiarum li.* I. *Sed cõstitutione* D. *Iustiniani cautum est, ut qui loco, quãtitate, aut caussa plus iusto petierit, atq; hinc dãni aliquid aduersario inferat, dãni eius triplum restituat. Supra eo. tit. §. tripli. Sed eum qui ante tempus pactionis uel obligationis litem inferre audet Zenonianæ sanctioni subijcit, quam sacratißimus legislator de ijs qui tempore plus petierint promulgauit, ut & inducias quas actor spõte indulserit, uel natura actionis cõtinet, si contempserit in duplum habeãt, ij qui talem iniuriam sunt paßi, & post eas finitas non aliter litem suscipiant, quàm omnes litis impensas antea receperint, ut actores tali pœna perterriti, tempus litis doceãtur obseruare. Est infra de except.. §. adpellantur. & in. c. j. de plus petitio. Nam. l. unica. C. de plus pet. quàm aliqui huc torquẽt, aliò tẽdit, quãdo de ijs tãtũ fœneratoribus statuit, qui cum super pluri pecunia, quàm sibi debetur, cautionẽ à debitoribus dolose exegerint, posteaquã ipsam utcunq; nõ debitam tacito usurarũ nomine iudicio petere audent, quibus pœna irrogata est, ut non minus sortem, hoc est, principalem summam, quàm usuras illas supra sortẽ cautionibus exactas, sui ipsius temeritate amittant.*

Pœna eius qui plus petit.

In fœneratores

R*ursus quia legum adminicula ijs solũ patrocinãtur, qui nõ semper in utramuis aurẽ obdormientes, rebus suis*

frigi

frigide adsunt, sed qui inuigilare consueuerunt, uti Sceuo la dicebat, quisquis uult ut induciæ huiusmodi & solutio nis tempora duplentur, proinde impensæ resarcientur, ex ceptionem illam induciarum ante litem contestatam agen ti opponat, nam si postea id fecerit, duplionis beneficium haud obtinebit, sed damnabitur ad solutionem tunc facië dam, ubi tempus quod actor sua sponte indulsit, aduene rit. tractatur in l. exceptionem. C. de probat. & in citato c. j. de plus petitio. magis abunde, apud Angel. Instit. §. ad pellantur. de excep. Iura uigilantibus subueniũt. Exceptio induciarũ ante litẽ contestatam opponenda.

Compensationes quoq; &c.

Compensare pro ultro citroq; contribuere, aut simul ex æquilibrio ponderare dicimus, uti, lento quidem gradu ira dei ad uindictam procedit, sed pœnæ tarditatẽ, supplicij grauitate compensat. Quare Modestinus XVI. Pādectarum lib. Compensationem debiti, & crediti inter se cōtributionem adpellat, ob id introductā, quia interest nostra, potius nō soluere, quàm solutũ repetere, sic enim iudiciorum compcrendinationes atq; impensas deuitamus iuxta ac molestias, quas subinde litigantes deuorare opor tet, in. l. ideo. ff. de compensat. Proinde in nullo non debito præsertim ex eadẽ caussa compensationis beneficio locus est, ita quod ultro citroq; debito compensato, in eo iudex reum condemnet actori quod reliquũ tantum debet, præ terquã si debitum petitũ sit indubitatũ, id uero quod reus compensandũ obijcit, obscurũ et ambagibus innodatum. Item quando depositi agitur, propter fidem quam in ea caussa falsam esse non oportebat. Præterea in furti aut ra pinæ iudicio, aut aliàs contra, possessionẽ alienã, perperã Compensare. Compensatio quare inducta. Cōpensatio in quibus cessat.

occupãtem, & nonnullis alijs caußis puta fisci, & si species debeatur, compensationi locum non damus, iuxta. l. fi. & ibidem iureconsultos. C. de compensat.

Cum eo quoq;.

Debitorum leges duræ. EX lege XII. tab. non modo debitores, qui non erant soluendo in temporariã seruitutem, creditoribus suis ut Nexi addicebantur, autore Liuio in II. ab urbe condita, uerumetiam lege tam dura tenebantur (uti Fab. Quintilianus III. Institutionum lib. scriptum reliquit) ut debitoris corpus inter creditores etiam diuidi liceret, quam legem cum publici mores repudiatã uoluissent, mitioribus modis sancitum est, debitorem ob æs alienum carceribus mancipari posse, qui in quibusdam ciuitatibus habẽtur eò loci, quã uulgo iter est, ut facilius qui sic detinetur, emendiet, donec creditores soluẽtur. Institutum si in cũ usurpetur, qui nulla sui culpa, sed fortuna sic uolente infelix atq; obæratus manet, satis crudele, & nescio an homine (ne dicam Christiano) dignum, sin uero in eos irrogetur, In potatores. qui dum aleam ludunt, dum largis poculis pecuniã etiam aliunde conflatam diu noctuq; ociosi insumere nõ cessãt, relictis domi uxore & liberis prope inedia morituris, ne scio utilius'ne excogitari poterit, quorsum ædepol decoctores illi rectius adigantur, nisi Neptuno eos consecrari, atq; ita è medio mũdo auferri malis, ne diutius uiuãt, qui solum ut fruges consumant, uiuunt.

Vtq; reuertar quò digreßus sum, beneficium licet & hoc flebile sit, debitoribus collatũ est, quo & illum carce-Cessio bonorũ. ris situm effugere queant, si bonis cesserint nõ quibusdã, sed omnibus. l. j. & l. cum & C. qui bon. ced. poß. Et huiusmo

iusmodi ceßio per cũ qui debitũ cõfitetur atq; agnoscit, fieri solet, siue cõfiteatur id in iudicio, siue aliàs per epi stolã, nunciũ, uel simpliciter uerbis, modo bona sua qbus cedit creditoribus indicet atque edat, ne per imposturã ceßio fieri existimetur. l. in omni. C. qui bo. cede. pos. vbi prætermittendũ non est ceßione bonorũ quem debito nõ per omnia liberari, sed ne carceri demãdetur, exceptionẽ adquirere, idq; donec pinguior fortuna adriserit, nã tũc deinde iterũ cõueniri solet, nõ ulterius tamen quàm fieri potest deducto ne interim egeat. l. is qui. & l. qui bonis. ff. de ceßione bo. Quod si maxima creditorũ pars adsen serit, induciæ quinquẽnales debitoribus largiri poterũt, ut demum & hoc quinquennio finito satisfaciãt, hoc pa cto ne bonis cedant: id quod inducijs obtentis amplius nõ datur. l. si. C. qui bo. cedere poß. Nos tamen quinquenna les illas inducias & soluendi spatium, à Principe nonnũ quam concedi etiam nullo creditorum conscio, habe mus compertum, qua legum ratione, nouerit is ab cuius arbitrio leges dependent, Quando durum est satis, uide re quotidie, qui pro ære tuo aleã lusuri, nullam nõ taber nam inhabitant, quod reposcere nec is permittit, qui aleã quoque permittere non deberet.

Ceßio nõ libe rat ab omni bus debitis.

Induciæ quin quennales.

Quinquẽnales induciæ a prĩ cipe.

TITVLVS VII.

Quod cum eo qui in aliena.



AS Modo actiones expendit quæ ex cõn tractibus illorũ deriuantur qui in alterius sunt potestate, à Prætore expositæ, aduer sum eos sub quibus sunt qui cõtraxerũt ut

actio quod iussu, exercitoria, institoria, & de in rem uerso, quæ omnes in solidum dātur, ita quod dominus uel parens totum id super quo contractū est cōpellitur dare, ut cuius fidem is qui contraxit, intelligitur secutus, Itē tributoria, & de peculio actiones, quarum altera in peculiari merce pro rata portione, altera pro uiribus peculij adcōmodatur. Ne'ue *uerbosa disputatione eadē subinde inculcare cogatur, quæcūq; de seruorū negocijs gestis scribit, eadem & de liberis ītelligēda monet.* Præter *unū casum quo senatusc.* Macedonianū *filijsfamilias pecuniā mutuo dari nō permittit, ad seruos nihil spectans, quod ob id separatim ostendit.* Vnde *facile cognosces* Iustinianum *in hoc opere breuitati operā dedisse, quādo principia iuris ciuilis iuuētuti (quæ anxijs illis uerborū ambagibus atq; mæandris statim satianda non est,) proponi iußit.*

Si igitur iussu &c.

Actio quod iussu. *CVmprimis igitur ex iussu domini uel parentis in solidum aduersus eundem iudicium datur, non quidē iure ciuili, sed prætorio, quemadmodū æquitas ipsa persuasit, ut quodāmodo cū eo etiam cōtrahatur, qui iußit, quamobrem hanc actionem quod iussu adpellamus, siquidem dominus, parens'ue, iussit seruum suum, filium'ue, alium'ue cum seruo aut filio contrahere, adeo negocium cum proprio iubente seruo fiat oportet, nam si cum alieno seruo geratur, non habet locum,* Quod *iussu, sed potius mandati iudicium, per ea quæ habentur in. l. si tutoris. §. fin. ff. quod iussu. & perinde atque mandatum multis modo suscipi potest, autore* Vlpiano, *ita & iussum, siue enī testato, id est, præsentibus testibus, siue per epistolam,*

stolam, siue uerbis: aut per nūciū, siue specialiter, siue generaliter q̄s iusserit, aut à seruo gestū, ratū habēt, actio utiq; ꝓcedit. Præterea iussum, nisi re adhuc īfecta reuocare nō licet, uti ī l.1. ff. eo. ī qua actione (ut paucis habeas) petis dominū patrem'ue in V uel X. solidis &c. pro quibus rem seruo filio'ue iussu eius uendidisti, tibi cōdēnari. Quod iussu multis modis.

Exercitoria tunc locum habet &c.

EXercitorem, ut Domitius Vlpianus lib. xxix. ad edictum scribit, eū dicimus ad quē obuentiones alicuius nauis & reditus omnes perueniunt, siue is dominus nauis sit, siue à domino nauē per auersionē conduxit, idq; uel ad tempus uel in perpetuū. Ex eo fortè quod exercere īter alia sit lucrari, seu lucrū facere, quēadmodū apud Terentiū in Heaut. Ancillas, seruos, nisi eos qui opere rustico faciundo facile sumptū exercēt suum, omnes produxi, ac uendidi. Porrò exercitores quia periculis illis & laboribus tam duris ipsi raro sese exponūt, alios magistros totius nauis anchoræ, atq; gubernationi præficere solēt, lucrum inde solum spectantes, fit ut cū magistris modo in rem nauis atque propter nauigandi necessitatē, modo speciali merce contrahamus, plerunque ignari cuius sint fidei aut conditionis quibus cum gerimus, nam exercitores'ne, an magistri in locum ipsorum suffecti sint, perscrutari nec tempus nec locus sæpenumero patitur, æquū atque è re publica esse, Prætori uisum est, eū qui magistrum naui præficit, in id quod contractum est, seu gestum, saltē eius rei nomine cui præpositus est, in solidum obligari, et cōueniri posse actiōe quæ hinc adpellatur exercitoria, puta per exercitoriā illā functionē orta, quod Exercitor. Exercitoria actio.

ex l.j.ff.de exercitoria actione. cognosces. Et parui refert qui exercet masculus sit, an mulier, paterfamilias, filiusfamilias, an seruus. l.j.§.parui. & l.si tamen plures. §.si seruus ff.eod. & l.si à muliere. C. de exercit. actio. hoc solum obseruato ex serui filij'ue qui præpositus est, cõtractu, semper dominum patrem'ue in solidum. sin autem liber suiq; iuris fuerit magister, optionẽ nobis esse, exercitorem ipsum Prætoria, an magistrum ciuili actione, puta ex empto, aut simili cõuenire uelimus.§.est autẽ. & §.hæc actio.l.j.ff.eo.& l.licet.§.& si cum exercitore.ff.nautæ caupones, stabu.ut recepta restituãt. In exercitorio iudicio petis Titiũ tibi cõdemnari in xx. solidis, quos magistro quem naui præposuit in necessariũ nauis usum, aut aliàs secundũ functiones legem mutuo dedisti.

Institoria &c.

Institor. *INstitor apud iurisconsultum, est qui tabernæ aut loco ad emendum uendendum'ue præponitur, quiq; sine loco ad idem negocium datur, ex eo adpellatus quod negocio gerẽdo instat, id est, operam nauat. l. institor est. ff.de instito.actione.collígit Barto.consi.xxix.atq; ut semel dicã, cuicũq; quis negocio in uniuersum præficitur, institor recte adpellatur. Vnde si Libitinarius, ut Labeo inquit seruum pollinctorem habeat, isq; mortuum spoliauerit, datur in eum institoria actio, quamuis & furti & iniuriarum accusari possit. l.cuicunq;.ff.eo.ti.ubi Accursius noster, bone Deus, quàm inscite modo pollicitorem*

Pollinctores. *modo polluitorem legit. Sunt autem Pollinctores qui demortuorum cadauera curant atque lauant, Martialis: Iam scrobe, iam lecto, iam pollinctore parato, Hæredem scripsit*

scripsit me Numa, consuluit. Vtq; reuertar unde digressus sum, æquum Prætori uisum, sicuti commoda ex ipsorum contractibus quem sentire, ita & conueniri actione posse, quam hinc Institoriã dicimus. l. 1. ff. de instito. actio. & l. 1. C. eod. titu. Non tamen omne quod cum institore geritur, obligat eum qui præposuit, sed duntaxat si eius rei gratia contractum est, cui fuerat præpositus institor. l. cuicunq;. §. non tamen. ff. eod. titu. & l. institoria. C. eo. in quo iudicio Titium damnari petis, iuxta contractum, quẽ cũ eius institore, gratia rei cui præpositus fuerat, inijsti. Actio institoria.

Introduxit & aliam &c.

TRibutoriæ quoq; actionis non minima utilitas est, qua dominus (cui aliubi in seruili contractu priuilegium est, quippe cum de peculio tantum teneatur, cuius æstimationem fieri diximus deducto eo quod domino illis'ue qui in eius potestate sunt aut tutela, debetur) si sciuerit aut non contradicens passus sit, seruum in peculio uel toto, uel parte eius negociatori, uelut extraneus creditor, ex edicto in tributum uocatur, ea ratione ut quicquid in rebus peculiaribus erit, quidq; inde acceptum erit, inter dominum ex quacunque caussa ei debeatur, cæterosq; creditores pro rata portione contribuatur, ubi si cui creditorum minus quàm par uideatur contigerit, actionem aduersus dominum habet, quæ tributoria quasi contributoria uocatur. Et hanc contributionem per dominum fieri Prætori uisum est, ab cuius beneficio si abstinere, aut toto peculio cedere constituerit, tunc arbitrum dare Prætoris est, cuius interuẽtu merces peculiares ex Tributoria. Tributoria unde. Merx peculiaris.

æquo

æquo & secundum ratam cuiusq; portionem inuicem con͞tribuantur.l.illud.§.quod tamen.ff.de tribu.act. Proinde hac actione illud solum peculium uenit cũ quo seruus negociatus est, siue totum sit peculium, siue aliqua eius pars, & illa est quam iureconsultus ad edictum, mercem peculiarem uocat, hoc est, peculium mercibus expositum, l.aliquando.& l.procuratoris.§.per hanc.ff.de trib. act. ubi prætermittendum nõ est, dominum cum creditoribus, pro rata portione.id est, quenq; pro modo & quantitate eius quod debetur, admitti, neq; alterum alteri in aliquo præferri, nisi uel res ab altero empta, uel merx pro alterius pecunia ad aliquid emendum comparãdumq; mutuo data, adhuc extet, is siquidem creditor prælationẽ tantum habet.l.procuratoris.§.si plures interpretes.in.l. pupillus.ff.qui in frau.cred.l.priuilegia. & ibi gloß.ff.de priuileg.cred. Quare in tributoria petis ut Titius ad contributionẽ mercium peculiarium, & ad solutionẽ x x. &c. solidorum quos seruo eius, in merces atq; negociationes mutuo dedisti facta inter creditores pro rata contributione damnetur.

Tributoria quatenus det.

Deq; eo quod in rem domini &c.

POtest fieri, ut seruus uel filiusfa. in peculio nihil habeat, uel non tantum quo creditori satisfieri queat, quo casu actionem de in rem uerso, Prætor adcõmodauit, qua similiter in solidum tenentur, qui eos in potestate habent, si in rem eorũ quod creditũ est sit conuersum: In rẽ autẽ uersum dicimus, siue id ipsum quod seruus adcepit, in domini utilitatẽ cõuertit, siue pecuniã mutuo adceptam domino creditori soluit, siue hinc uestimenta aliaq; necessa

Actio de in rẽ uerso.

In rem uersum quomodo intelligitur.

ceſſaria uitæ ad eum uſq; modum quem dominus præſtare conſueuerat, comparauit, & regulariter in rem uerſum intelligimus, quoties ſeruus aliquid inſumpſit, ut aut meliorem rem dominus habeat, aut non deteriorem, quæ omnia uidere eſt, in. l. iij. ff. de in rem uerſo. & l. ci qui. C. quod cum eo. &c. Vtq; edicto locus ſit, oportet adceptũ in rem domini uerti cœperit, tametſi poſtea uel minus ceſſerit, uel ſit peremptum, quamobrem curioſus debet eſſe creditor, monente Vlpiano, ut ſciat quo uertatur, id enim niſi doceat, operam & oleum perdet, iuxta. l. iij. §. ſi mutuatus. & l. ſi ſeruus. ff. de in rem uerſo.

Cæterum dubium non eſt.

I*N hac iuris parte, ſummo auiq; ſtudio inuigilandum eſt, ut ſi quando plures actiones ex una cauſſa competere uidentur, atque ab una ad aliam regredi non datur, eam eligas quæ magis expedit, quæ'ue probandi difficultate minus oneretur, quo fit ut non oporteat parum eruditum, aut uulgariter in iure uerſatum eſſe, qui actionem ceu res exigit commode inſtituere uolet, cum in nulla iuris parte citius impingamus, idq; non ſine maximo & noſtri nominis diſpẽdio, & litigãtium damno. Præter hoc, quod oportet, ut Philoſtratus in Ruſo monet, in cauſis ſecundum figuram compoſitis, habenas dicendis, & tacendis fundamentum accommodari, unde qui nouit tantum in peculio extare, ut ſolidum creditum hinc conſequi poßit, ſtultißime de in rem uerſo iudiciũ mouerit, ubi adceptum in rem domini conuerſum eſſe, probari oportet. Rurſus ubi in peculio non ſuperſit unde ſolidum quod debetur conſequaris, & in rem uerſum forte probatu nõ ſic* Actiões prouide inſtituẽdas.

sic difficile est, æquè stultum erit de peculio agere, periculumq; facere ne totum sis adepturus creditum, & de in rem uerso iudicium imprudenter posthabere, id quod in reliquis quoq; iudicijs summopere pẽsitandum uenit, ne impensas simul atq; sumptus facias, si quando lucrum speras, cuius cum Iustinianus hic monet, tum Iurisconsultus. l. quod in hæredem. §. eligere. & l. aliquando. ff. de tributoria.

Illud proprie obseruatur.

Sena. consul. Macedonianũ. MAcedonianum Sena. cõsul. quod filiorum fa. tantum est, à Macedone quodam insigni fœneratore, ut autor est Vlpianus, nomẽ accepit, qui inter reliquas sceleris caußas, quas natura ei administrauit, etiam æs alienum filijs fa. imponere, et sæpius materiã in parentũ necem insidiãdi præstare solebat, dignũ (si dijs placet) fœneratorẽ qui perpetuum ex Sena. consul. nomen inuenerit, monẽte autem Vespasiano Augusto, ceu Suet. Tranquil. scriptum reliquit, Senatus cẽsuit, ne ei qui filiofam. mutuã pecuniã dedisset, etiam post mortẽ parẽtis in cuius potestate fuit, actio, petitio'ue daretur, ut sciret qui peßimo exẽplo fœnerarẽtur, nullius filij fa. expectata parẽtis sui morte, bonũ nomẽ fieri posse, quod Senat. cõsul. in solo mutuo locũ obtinet, atq; exceptionẽ tam parenti quàm filio parit. l. j. ff. ad maced. Et ne modis omnibus Senatusconsultum patrem aut filium indẽnem præstare existimes, cum sic multis imponeretur, qui nullã omnino fraudem prætexissent, sed sola credulitate ducti res suas illis credidissent à quibus eas repetere nõ concederetur, placet nõnullos enumerare casus in quibus Macedonianum cessat, quorum pri- Quãdo Macedonianũ cessat.

mus

mus est, si filiusfa. qui mutuũ accepit peculium castrense habeat, ad hoc enim quãtum adtinet, paterfamilias cẽse tur, & creditoribus respondet. II. *quando creditor iusta ratione ductus ipsum patremfami. & sui iuris esse putat.* III. *quando minor* xxv. *annis est, aut filiusfa. qui mutuũ dedit.* IIII. *in omnibus aliis cõtractibus, præter mutuũ, utpote uẽditionis, locatiõis depositi, & similibus, cessat Macedonianũ.* V. *si numeratum sit illi qui patriã exuit potestatem, nã filiofa. credi non debere, ad numerationis tempus referẽdũ est.* VI. *ubi filiusfa. fideiusserit.* VII. *cessat Sena. consul. Macedonianũ quãdo mutuũ receptũ, in rem patris, aut probabilẽ studiorũ caussam sit cõuersum est ad amussim ĩ l. j. §. fi. cũ aliquot sequẽtibus. ff. ad sena. cõsul. Macedonianũ. l. j. & l. ij. & l. macedoniani. C. eo. ti.*

TITVLVS VIII.

De noxalibus actionibus.



SERVI *nostri quoties noxã seu dãnum alicui intulerũt unde capitis pœna, atq; supremũ suppliciũ non irrogatur actio noxalis aduersũ nos exponitur. Quare noxales actiões secũdũ Caiũ adpellãtur, q̃ nõ ex cõtractu, sed ex noxa atq; maleficio seruorũ aduersum nos ĩstituũtur, quarũ uis atq; ptãs hæc est, ut si dãnati simus liceat nobis deditiõe ipsius corporis qd' deliqt, euitare litis æstimationẽ. l. j. ff. de nox. acti. l. ij. & l. iij. C. eo. ti.* Noxa *aũt nõ ipsũ corpus q.d' nocuit, ceu Iustinian⁹, aut eius noĩe alius, q̃sq̃s ille est, scribit, ĩ quo et Accursius et ĩnumeri alij iuris ĩterpretes latinarũ literarũ ignari,*

Actio noxalis.

Noxa non est corpus nocẽs.

ignari, hactenus sunt decepti, id quod tũ Lau. Val. in vj. elegãtia. li. diligẽtissime adnotauit, in cuius statim capite Trebelliani nõnulli codices, pro Triboniani perperã habent, nam Triboniano, Theophilo, & Dorotheo uiris illustribus, iuxta ac in iure ciuili eruditiß. Iustinianus in componendis Institutionibus est usus.

Locus apud Vallam.

Sed noxa modo damnum significat, quod sine fraude fieri non potest. l. quis sit. §. quod autẽ. ff. de ædili. edicto. Innuit iuriscõsultus in l. aliud. ff. de uerb. signi. Suetonius in Cæsare, Spurinamq; irridens, & ut falsum arguens, quod sine ulla noxa sua Idus Martiæ adessent, quanquã is uenisse quidem eas diceret, sed non præterijsse. In iure autem ueteri noxa, pœnam seu multam significat, quæ propter illatum damnum ex maleficio debetur, unde cũ lex iubet seruum noxæ dedere secundum Pompeiũ, pro delicto atque peccato, pœnæ dedere iubet, ex quo rursus error Triboniani deprehẽditur, nã si noxa corpus esset, quod deliquit, tũc noxã dedere, quẽadmodũ in l. ij. C. de noxa. actio. fermè habetur, licet male, & nõ noxæ dedere iuriscõsultus scripsisset, nisi corpus corpori, hoc est, seruũ seruo qui nocuisset, dedi insulsus qs putet, sed huic errori (nisi opinio me fallat) caussam præbuit, l. j. ff. de noxali actio. cuius uerba hæc sunt, ut si dãnati fuerimus, liceat nobis deditione ipsius corporis qđ deliq̃rit, euitare litis æstimationẽ, non aduertens Tribonianus uel qsqs ille fuit, deditionem corporis, ad noxam fieri atque pœnam, quod latina uoce noxæ dedere, uocamus, quod tum ex l. ij. eiusdem tituli, facile conijcere potuisset, ubi est, Nec enim debuit ex maleficio serui in plus teneri,

Noxa dãnum.

Noxa pœna.

neri, quàm ut noxæ eũ dedat. Item in l. si seruus. Sed non aliàs poterit qui cõuentus est, euadere litis æstimationẽ, nisi in solidũ noxæ dederit seruum. Et clarius apud Paulum iureconsultum in l. si iure. §. si seruus. Vt de peculio (inquit) serui tui ad noxam dedere uicarium, damneris, quare cum tam pueriliter in hoc sit erratum, non facile adduci possum, ut Tribonianũ uel eius similem iurisperitum id commisisse persuasum habeã, sed aliũ quempiã ueteris iuris ignarũ interpretatiõis uice id interposuisse, & sic alicunde exoticum adrepsisse.

Ratio actionis noxalis est, si quãdo dominus uel ignorauerit seruũ suum noxiam nocere, uel nocentẽ prohibere sciens non potuerit, noxali tenetur actione, & damni litisq; æstimationẽ actori soluere, uel seruũ ipsum noxæ & pro damno dedere potest, utrolibet enim modo liberatur, sanè iniquum uisum est, pluris dominũ teneri quã seruus ipse q nocuit reputatur, cuius nequitia ultra eius ualorẽ domino damnosa esse nõ debet. Vbi prætereundũ non est, dominũ ad litis æstimationẽ solũ cõdemnari, & noxæ deditionẽ ex l. dari. Litis æstimationẽ uero dicimus quanti reus cõdemnatur pro dispẽdijs actoris atque ijs quæ ex hac actiõe actoris intersunt, & ad multantitatẽ pecuniã, seu numarias sentẽtias refertur. Cicero, æstimatã litẽ uocat, sic enim iiij. in Verrẽ inquit, Qua in ciuitate C. Catoni clariss. uiro cõsulari homini sestertiũ XVIII. millibus lis æstimata sit, in eadẽ ciuitate apparitori tuo esse cõcessum, ut sestertium uno nomine tredecies auferret. Sin uero dominus seruũ suũ cui damnũ inferre sciat, neq; eũ prohibuit, cũ tamẽ prohibere potuisset, tũc non

Ratio noxalis actionis.

Litis æstimatio.

liberatur corporis deditiõe, sed quia ipse noxiã nouisse intelligitur dũ seruũ nõ probibuit, ĩ solidũ dãnatur, & quicquid damni illatũ est, lucre cogitur. l. ij. & l. iij. ff. eo. ti. Præterea *quia in maleficia hominũ partim legibus & iure ciuili, partim iure honorario animaduertitur, placuit actiões noxales pro delicti natura cõstitui, mõ ex iure ciuili, ut actio furti ex lege xuirali, dãnu iniuriæ ex lege aqlia, mõ ex edicto* Prætoris *ueluti iniuriarum, & ui bonorum raptorum, de quibus omnibus, eorumq; pœnis superius singulatim adiecimus.* Adde, *noxalẽ actionẽ caput sequi, & esse personalem in rem scriptam.* Quisquis *igitur seruũ qui noxam dedit, agnoscit etiam trãsfugã, hac actione tenetur, tametsi liber adhuc esset dum delinqueret. est hic in §. omnis autẽ. & l. noxales. & l. fin. ff. de noxal. actio. & l. j. C. eo. ti.* Et *licet in priori ab hinc titulo, quæcunq; de serui dominiq; persona, quãtũ adtinet ad contractus, dicuntur, eadem fermè de liberis quoq; & parentibus quorum in potestate sunt, intellexit* Iustinianus, *ex quo etiam filiusfamilias ueteri iure xuirali non secus atque seruus ubi pater litem æstimatam soluere respuisset, noxæ etiam ad occisionẽ usq; debebatur.* Tamen *huiusmodi legum asperitas pro temporũ ratione in præsentiarum exautorata est, quando filiusfami. qui deliquit, ipse cõueniri, & pro peculio suo multari, aut ubi caussa exegerit, ad pœnam corripi potest, iuxta l. liber homo. §. si liber homo. ff. ad legem aquiliam. & l. confeßionibus. ff. de interrogatorijs actio. l. apud antiquos. §. fina.* C. *de furtis & seruo corrupto. l. noxali. ff. de noxalib. actio. siquidem homo liber quia æstimationem nõ recipit noxali*

Actionũ noxalium diuersitas

Actio noxalis caput sequitur.

Filiusfami. ob delictum cõueniri potest.

Liber homo nõ æstimatur.

nōxali iudicio ſubijci nō poteſt.l.j.§.ſed cum homo.ff.de ijs qui deiecerunt. Poſtremo ut actionem noxalem commode inſtituas,natura delicti & illati damni conſyderāda eſt,utpote furti manifeſti:aut nec manifeſti,ut bonorū raptorum,item iniuriarum,quorū ſingula ſuam æſtimationem habēt:uerbi gratia,pro iniurijs illatis expoſtulas cū Titio,*quod* Stichus *ſeruus eius tibi huiuſmodi iniurias intulit,quas centū ſolidorū æſtimas,ſalua iudicantis ſubtilitate,quare petis* Titium *in centū ſolidis tibi cōdemnari &c.*Et *dominus poſtquàm ita cōdemnatus eſt, beneficium illud ſeruum in noxam dedendi à lege conſequitur,quare id petendum non eſt.l.miles.§.decem.ff.de re iud.atq; ibidem gloſſ.& iureconſulti.* Noxæ deditio a lege eſt.

TITVLVS IX.

Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur.

THIC *locus ad iudiciū noxale ptinet,ex eo ſi quadrupes,ſiue animal noſtrū qđ ſenſu caret,cōmota feritate nocuerit,aut pauperiē fecerit,nec refert id corpore ſuo fecerit,aut alia re quā īpulit ut noceret.*Eſt *aūt pauperies,ſecūdū* Vlpianū,*damnū ſine iniuria faciētis datū.*Neq; *enim dici pōt animal iniuriā feciſſe,quod ſenſu & ratiōe caret,extra dolū ſi quidē eſt,unde iniuriā cēſemus.*Quotieſcunq; *igitur quadrupes pauperiem feciſſe dicitur,actio noxalis aduerſus quadrupedis dñm adcōmodatur,idq; ex lege* XII.*tabul,ubi cautū eſt, aut dari id p quod nocitum eſt,aut noxæ atq; damni æſtimatio* Pauperies qđ.

mationem sufferre,idq; ĩ hæc uerba,Si quadrupes paupe riem fecerit,animal quod cõmisit,noxam dato,aut noxæ æstimationẽ ferto.& quãuis lex quadrupedis tantũ mẽ tionẽ faciat,tamẽ si bipes animal puta gallus, monedula, atq; id genus uolatilium nocuerit,similiter actio noxa= lis cõpetit,sed utilis & ĩdirecta,quæ proficiscitur ex mẽ te atq; ĩterpretatiõe legis.l.hæc actio.ff.si quadrup. pau pe.&c.Quæ actio,quoniã caput noxa sequitur,aduersus eum datur,nõ cuius fuit quadrupes cum noceret,sed cuius nunc est,ut qui eam in noxam dedere potest,nec ipsa de ditiõe liberatur,nisi quadrupedẽ etiam uiuã dedat,aliás litem æstimatã sarciat oportet,præsertim post litẽ cõte stãtam,nam si antea quadrupes nulla domini fraude,aut mora decesserit,extincta erit actio atque sopita,quæ ad amußim habẽtur in l.ij.ff.eo.ti.Cæterũ animalia nostra quia multis modis dãnũ dare possũt,fit ut multæ quoq; actionũ sint figuræ,quibus ipsi propterea tenemur,Vn de si quadrupes alterius glãdẽ legisset,uel hortũ suopte motu depasta sit,datur actio utilis de pastu pecoris.l.qn tus mutius.ff.ad legem aquil.negligẽtia dãnum fecisset, dominus solidũ debet ex l.aquilia,idq; ex dolo,uel custo= dia nõ satis diligẽter adhibita l.si seruus seruũ.§.si forni carius(ita enim pro fornacarius legendum est)ff.ad legẽ aquil.l.uideamus.& l.qui insulã.§.qui mulas.ff.loca.& conducti.Cuius noxiæ atq; damni æstimatio tanti fieri de bet,quanti res dum depasceretur uendi potuisset,ob euẽ tum illum maturationis qui dubius est,atq; in manu eius qui rẽ iam maturã disperire quandoq; sinit,quare ĩ æsti mationẽ nõ ducẽdus,in l.propter finẽ.ff.famil.erciscun. & l.leg.

Bipes animal quando nocuit

Actio de pastu pecoris utilis.

Actio ex l. aquil.

& l.lege falcidia non habetur.ff.ad leg.aquil.Cynus ĩ l. fi.C.eo.ti.Præterea si quadrupes petulãtia atq; feueritate ducta, pratũ, hortum'ue cõmunitũ fractã sepe irrupisset, damnumq; dedisset, de pauperie actio est noxalis, & damnatus quadrupedis deditiõe liberatur, nisi dominus irrumpentẽ nõ prohibebat cũ id facere potuisset, nã tũc in solidũ tenetur, neq; deditio liberationẽ parit.l.ij ff.e. ti.l.falsus.§.sed si quis.ff.de furt.Atq; in hoc tractatu cũ multa sint præclara, tamẽ illud nõ prætcrijsse operæ pretiũ est quod refertur in l.j.§.cũ arietes.ff.eo.ti.Si animalia cõmißis inuicẽ armis alterũ occiderit alterum, & id occubuit (ceu Q.Mutius distinguit) quod bellum primo intulit, cessat actio. Rursus si alterũ quod neq; primo ad conflictum prouocauerat, neq; ad congressum se obtulit, occubuerit actio cõpetit noxalis qua dominus aut animal dedere aut noxiã sarcire cogitur. Quibus adde dominũ canis eius, qui carnes aut tale quid corripiens aliaui abstulit, quicqd id dãu est, utili lege Aquilia restaurare oportere.l.quemadmodum.§.magistratus.ff.ad legem aquil.

Actio de pauperie noxalis.

Ex conflictu animaliũ actio.

Canis comestu lædens.

TITVLVS X.

De ijs per quos agere possumus.



OST *actionum naturas, exponit nõn tam utile, quàm necessariũ institutũ, quo homines alieno quoq; nomine iudicijs interuenire cœperũt, id quod morbus, ætas, peregrinatio, & ijs similes atq; necessariæ causſæ introduxere.*

Porrò alieno nomine litem uel infert, uel suscipit, Tutor, Curator de quibus in lib.j.adnotauimus.

Qui alieno nomine iteruenit.

Procurator. *Item Procurator, Defensor, Excusator, Actor, quem & σύνδικον dicimus. Procurator (Vlpiano teste) in l.j. ff. de procu. est, qui aliena negocia mandato domini admi nistrat, qui etiā absens constitui potest, modo sit certus, & suo nomine expressus, atq; sui cōstitutionem adsensu ratam habeat. l.j.§.fi. & l.ij. à fronte. ff. de procura.* Et *semel cōstitutus ante litis quidem cōtestationem reuocari facile potest, sed postea minime, nisi caussa subsit qua tū* Procurator actoris. *moueatur, l. ante litem. cum aliquot proximis. ff. de procur. & l. procuratoribus. C. eo. ti. Insti. de mandato. §. recte. & ca. ij. de procur. in vj. Proinde procuratorē actor præcipue ad agendum dare solet, cuius nisi mandatum ex hibeat apud tribunal aut alia monumenta, quibus pateat ipsum non prorsus ultroneum, & absq; ulla actoris uoluntate adparere, non admittitur utcunque de rato cauere sit paratus, actionem si quidem non habet aduersus reum unde ipsum conueniat. uidere est locupletius in l. si* Personæ coniunctæ. *pupilli. & ibidem gloss. ff. de negocijs gestis nisi persona sit necessitudine quadam cōiuncta, quæ etiam sine mā dato cum sola satisdatione pro actore auditur, quales ha bentur sursum deorsumq; ascendentes atque descendentes, & à latere fratres. l. pomponius. & l. sed hæ personæ. ff. de procura.* Is *autem cui reus negocium commisit, præter hoc quod defendit, etiam recōuenire potest, & si mandatum non habeat, satisdando admittitur, usqueadeo reis propensiores sumus quàm agentibus, in. §. si uero.* Procurator rei. *Instit. de satisd. c. accidens. & c. constitutis. de procurato. profecto defendere magis quàm reos facere præstat, autore* Fabio libro *Vij. ca. Vij. Est etiam quod à procuratore*

tore alius sufficiatur, quam substitutionem dicimus, quæ tum demum fieri potest, si lis per procuratorē cōtestata sit, uel quod alium substituēdi facultatē ex mandato uerbis ad hoc expreßis receperit, quare cōsultum est, ut singula quæ quis suo nomine geri uelit, mandato edat, præsertim quod alium in locum eius sufficere, aut substituere queat, praeterea satisdationē illā, quam dominus litis seu principalis sub Hypotheca & omniū bonorū suorū obligatiōe procuratori præstat, quod nisi fiat, oportebit procuratorem semper cauere iudicatum solui. in.§.sciendum.Institu.de satisd.tutorum.& §.si uero reus Insti.de satisd.Bar.in tractatu ad reprimendam.in uerbo legitime.in c.j.atque ibi gloss.de procur. Substitutio procuratoris.

Procurator autem qui negocium suscepit, id nisi finitum exutere nō potest. Et finit in priori instantia, nam à sententia quam aduersam obtinuit, licet prouocare debeat, appellationem tamen prosequi neq; debet, neq; potest, nisi priuatum ad hoc habeat mādatū, est in glossa l.si actor.C.de appella.in.c.nō iniuste.de procu. Insuper qui procuratorē in priori iudicio aduersum tulit, ipsum in caussa adpellationis repudiare, aut mouere nō permittitur, cum illi quis adsensum præbuisse uideatur, qui litē sit contestatus.l.ita demum.C.de procura.l.sciēdum.ff. de uerb.obliga.Inno.in c.quoniam contra.de probatio. porrò redargutio procuratoris seu exceptio ante litis cōtestationē locum habet, cū sit dilatoria.l.pomponius.§. rati.ff.de procu.& prædicta l.ita demū.& l.licet. C.eo. ti.l.exceptionē.C.de prob.§.fi.insti. de excep.nisi error ipsam omitti fecerit atque perastinari, quo casu opponi Procurator prouocare tenetur. Reiectio procuratoris est dilatoria.

poteſt quando libet, in prædicta l.licet.C.de procura.c. ex inſinuatione.de procur.gloſſ.in l.tametſi.ff.ad ſenatuſconſ.Macedonianum.

Excuſator. Excuſator proprie dicitur, qui excuſat eum, qui ipſe nec in ius uenire, nec alium mittere poteſt, in c. dilecti. de dolo & cōtu.id quod ferme cōtingit in iudicijs criminalibus, ubi procurator nonnunquam admittitur, nō ut uere interueniat ſed magis ut reum pro innocētia atque abſentia ſua excuſet.l.ſeruum.§.publice.ff.de procur.& Bar.in tractatu, ad reprimen.

Defenſor. Defendere eſt eandem uiam quam reus ſubire, quo fit ut defenſor(tametſi à procuratore nō uſquequaq; diſtet,) dicatur, qui abſq; mādato, cum ſola ſatiſdatione alterū in iudicio defendit, atq; tuetur, ut eſt in l.minor.cū duabus proxime ſequētibus.ff.de procu.unde & ciuitatū defenſores adpellat Imperator, minorē illū magiſtratū q Parētis uicē plebi exhibere iubetur, curareq; debet ne innocēs & ſubdita ruſticitas, officialiū magiſtratuū inſolētia, alijſ'ue graſſatoribus, reipub.peſtibus, prægrauetur, ut in Codice Iuſtiniani magno titulo atq; adeo utili, ſed noſtra ætate nō ſine ingēti miſerorū calamitate neglecto de defenſoribus Ciuitatū.et in autētica co.ti.coll.iij.ſancitum uidemus.

Syndicus. Præterea qbus permiſſum eſt corpus habere collegij aut ſocietatis, ſicuti res cōmunes & arcā cōmunē habere poßunt, ita etiā actorē cōmunē quē Σύνδικον nuncupamus, per quē qđ cōiter agi fieriq; oporteat, agatur & fiat l.j.§.qbus.& §.et qdē.& l.itē eorū.§.ſed hodie.ff.qđ cuiuſq; uni.no.uel cōtra eā agatur, & nō dicitur quaſi ſingu

singulorũ caußas dicẽs, seu Acc. ĩ prædicto §. qbus cũ plerisq; iuris cõmẽtatoribus hallucinatur, sed quasi publico iuri causisq; cõiter defensandis deditus, nõ secus atq; cõmunis patronus aduocatus'ue. in qua significatiõe uerbũ συνδικεῖν ut Greci referunt, idẽ est qđ συνηγορεῖν, id est, patrocinari, seu defendere, queẽadmodũ apud Demosthenẽ in oratiõe pro Ctesiphonte, Aristides dicitur esse creatus Syndicus, ab Atheniensibus ut cõi caussæ Græciæ Atheniensiũ noĩe patrocinaretur. Hinc Iuriscõsultus in l. munerũ. §. defensores. ff. de muneri. σύνδικος defensores non incommode uocat, ut latius per Budæum in eam legem scribitur. Syndicus unde

Sunt & Pragmatici forẽsis profeßiõis hoĩes, qui causidicos iuris imperitos monebãt, telaq; agentibus subministrabãt, quasi postici admonitores dicẽdorũq; suggestores, ut Cicero in j. de oratore. & Fab. Quintilianus, insti. lib. iij. itẽ XII. scriptũ reliquere. Cæterũ Aduocatus Patronus, aut Cognitor qs dicatur, Asconius Pædianus in diuinatiõe sic exponit, Qui defendit (inqt) alterũ ĩ iudicio, aut patronus dicitur, si orator est, & ab eo duntaxat stare uidetur, aut aduocatus, si aut ius suggerit, aut præsentiam commodat amico, aut procurator, si negocium suscipit, aut Cognitor, si præsentis causam nouit, & sic tuetur ut suam. Pragmatici. Patronus Aduocatus. Procurator. Cognitor.

TITVLVS XI.

De satisdationibus. Satisdatio.



ATISDATIONEM *eodem modo adpellamus quo satisfactionẽ, nã ut satis facimus ei cuius desyderiũ adimplemus, ita satisdare dicimur aduersario nostro*

cui pro eo q̃d à nobis petijt, ita cauemus ut eũ hoc nõie se curũ faciamus, quod fit, aut fideiussoribus datis. l. j. & l. ij. ff. qui satisdare cogũtur. l. j. & l. generaliter. ff. de prætoria stipula. aut per pignorum traditionem. l. j. §. iubet. ff. de colla. bo. Et *huiusmodi satisdatio quæ fit per fideiussores aut pignora, nostris sufficiens atq; idonea dicitur. l. si mandato. §. fi. ff. mandati.* Bal. *in. l. sancimus. C. de uerbo signifi. est in c. j. & ibidem glos. de sequestra pos. & fruct. glos. in c. fi. de pigno. item gloss. in. c. quoniam frequenter. §. in alijs. ut lite non contest. ubi prætereundum non est, eum qui pignoribus & sic idonee satisdare, aut cauere iubetur, non liberari si tantum promißionem cum bonorũ hypotheca faciat, sed oportet pignora ipsa etiam aduersario tradat, quæ pignorum natura est, nempe ut tradantur. refert* Bart. *in. l. prætorius. ff. de prætoria stipul. est in. §. inter pignus. insti. de actio. & l. plebs. §. pignus. ff. de uerbo. signi.* Proinde *satisdatio antiquitus fiebat, aut ab actore, & iudicio sisti dicitur, de qua in* II. Pandectarum *libro, aut per reum de soluendo id quod fuerit iudicatum, eã iudicatum solui dicimus. l. iudicatũ. & l. cum quærebatur. ff. iudicatum solui.* Quæ *satisdationes postmodum sunt exautoratæ. &* Iustiniano *permittente etiam obseruatum, ut reus de lite prosequẽdã, & impensis ubi sucubuisset, resarciendis, uel idonea satisdatione, uel iureiurando caueret, in hoc ti. §. sed hæc hodie. in autẽtica generaliter. C. de episco. & cleri. à quo satisdationis modo, quia in iudicijs non obseruatur, similiter discessum est, secũdum glossam in citato. §. sed hæc hodie.* Panormi. *in c. fi. ut lite non contestata.* Ferrarien

Satisdatio seu cautio sufficiẽs

Iudicio sisti.

Iudicatũ solui.

sis

ſis in for.reſpon.rei conuenti,in uerbo debite ſatiſdare. & factum eſt ut ſoli procuratores in præſentiarum quãdo nullum omnino mandatum aut non ſatis abſolutum habent,ſatiſdationem iudicatum ſolui, pro litis æſtimatione præſtent,cum nemo alienæ rei ſine ſatiſdatione defenſor ſatis idoneus intelligatur,in noſtro titu.§.ſi uero reus.& l.qui proprio.§.qui alienum.& l.non uidetur. ff.de procu.l.unica.C.de ſatiſdando.l.in eo.§.nemo.ff.de regu.iur. Præter hoc quod etiam rem ratam dominum habiturum legitime cauent.l.non ſolum.cum ſimilibus multis.ff.rem ratam haberi. Procuratores quãdo ſatiſdãt

In hac regia urbe &c.

Conſtantinopolis olim Byzantium.

COnſtantinopolim intelligit,Thraciæ urbẽ uetuſtiſſimã, olim Byzantium & maritimam,quam Conſtãtinus magnus,Imperator pulcherrimis ædificijs ornauit,marmoreamq; reddidit(unde poſthac nomen obtinuit,licet ipſe nouam Romam dici maluerit) atque Romani Imperatoris ſedem delegit,quare ipſam Iuſtinianus hic Regiam urbem,& in l.1.§.nullam.C.de ueteri iure enu.Regiam ſuam adpellat,cuius cum leges,tum conſuetudinem,omnes alias Imperij ciuitates ſequi debere,non ſecus quàm ueteris Romæ,etiã iubet,quod & hodie obſeruaremus,niſi Mahumetes truculẽtiſſimus Chriſtiani nominis hoſtis, x.Turcarum dominus,ſtertentibus ad hoc Romanis Principibus, ui expugnatam dominationi ſuæ ſubiugaſſet, Anno reparatæ ſalutis Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, unde ſtatim eorũ error adparet,qui ueterem illam Romam hoc loci ſignificari ariolantur. Conſtantinopolis quando expugnata.

Titulus

TITVLVS XII.

De perpetuis & temporalibus actionibus.



D actionum quoq; rationem pertinet, ut cognoscamus eas non perpetuò & absq; ullo fine dari, sed suos fines ex diualibus constitutionibus præstitutos habere, ultra quos nō est quod actiones aut resuscitari, aut feliciter institui queant, nā præscriptionibus sese tuētes, agente repellut, qui conueniuntur, quo fit ut neq; hic locus sine cōpendio præscriptionum, satis cōmode explicari queat. sanè πρὸς Διόνυσον quod spectat, omnes actiones siue ex lege XII. tabula. Plebiscitis, Legibus, Senatuscōsultis, siue ex Prīcipum constitutiōibus proficiscātur, antiquitus perpetuæ erant, hoc est, in centesimum usq; annum & forte ultra cōpetebant, ut glossa innuit in l. j. C. de præscrip. XXX. uel XL. annorum. sed quia ius uigilātibus scriptum esse, cōmuni uerbo dicere solemus, constituentibus diuis Principibus, factum est, ut actiones certos fines habeāt, ultra quos non uiuunt, & sic perpetuitas illa uetus ad XXX. iugeis annos uulgo est restricta, & coarctata, ut quā lōgißimi temporis, et sic perpetuā communiter, uocamus, in l. iij. C. de præscri. XXX. āno. ad similitudinē perpetuæ illius & antiquæ actionis, quæ supra hominis uitā olim extendebatur, quare oēs actiones, quæ antiquitus perpetuæ fuerāt, nūc temporales sunt, & ad certū tempus per constitutiones coarctatæ, nisi malis actiones temporales ad Prætorias referre, quæ sui natura sunt annales tantum,

Actiones olim perpetuæ.

Actio perpetua

tum, unde ex diuerso ciuiles perpetuæ essent. Quia uero Iustinianus in reliquis partibus hunc locum satis abunde tractat, hoc unũ addere ipse uolebã, Pœnales actiões utpote ex maleficijs ortas, tunc quidẽ lite per prĩcipales contestata, aduersum hæredes in eodem tamen iudicio, exponi atq; trãsmitti. l. unica. C. ex delictis defunctorũ. si ad multam aut pecuniariam pœnam instituãtur, nam si criminaliter ad corporis pœnam sit actum, eu noui iuris obseruatione plerunq; fit, hæredibus nõ officit ea de caussa quod pœnæ in hominum emendationem cõstituuntur, & suos modo comprehẽdunt autores, neq; ulterius progredi eas permissum est, quàm reperiatur delictum. l. si pœna. & l. crimen. ff. de pœnis. clarius autem in l. sancimus. C. de pœnis.

Actio pœnalis quãdo in heredem.

Pœnæ sequuntur autores.

TITVLVS XIII.

De exceptionibus.



AGERE etiam is uidetur secũdum Vlpianum, qui exceptione utitur, si quidẽ reus in exceptione actoris partes subit, quæ caussa esse potest, huius in hunc locum referendi tractatus, eius certe, quo si utiliorem habere poteris, nõ planè scio, modo ad sobrietatẽ & ea qua ĩtroductus est ratione ipso utaris & non ad diuerticula solũ extruenda quæ à bono uiro tã longe absunt, ut quod lõgißime. Exceptio dicta est quasi quædã exclusio, quæ ĩterponi actioni cuiusq; rei solet, ad excludendũ id quod in intentionẽ cõdẽnationẽ' ue deductũ est. l. ij. ff. de excep. eã Paulus iurecõsul. in l. pe. ff. e. ti. & Valerianus Aug. l. præscriptiones.

Exceptio quid

Exceptio quãdoque præscriptio dicitur.

nes. Honorarius quoq; in l. fi. C. eo. Præscriptionem uocant, eiusdẽ naturæ uerb. sic qui rigida iuris serie actionẽ habet, exceptione quæ ex æquitate ciuili descendit, excluditur, prohibeturq; consequi id quod in iudiciũ deduxit. Exceptionum summa diuisione, quædam sunt perpetuæ, quædam temporales.

Exceptiones perpetuæ.

Perpetuæ sunt, quæ ut semper locũ habent, ita in nulla litis parte euitari poterũt, quæq; rem de qua agitur, hoc est, causam principalem perimũt, unde etiam Peremptoriæ appellantur, qualis est exceptio doli mali, rei iudicatæ, iurisiurandi, pacti conuenti de non petendo perpetui, & id genus exceptiones agentibus nunquàm nõ obstantes.

Exceptiones tẽporales.

Temporales sunt, quæ ad tempus solum nocent, quare cum actionem in tempus differre soleant, etiam dilatoriæ uocantur apud Innocen. in tractatu de exceptio. ut est pacti cõuenti, temporalis, ne intra certum tempus petatur. Item iudicis incompetentis, & ea quæ aduersus procuratorem compeit, sicuti iurisconsultus, in l. exceptiones. ff. eo. ti. & post eum Iustinianus in hoc tractatu exponit. Cæterum quas iuris Pontificij commentatores Anomalas atque mistas induxere exceptiones, nos modo perpetuis, modo temporalibus adcommodamus. Porrò ut exceptionum statim in limine quoq; usum qualemcunq; adsequaris, quod fieri nõ incommode arbitror, si quo quæq; ordine sit opponenda monitus fueris,

Exceptiones peremptoriæ quãdo obijciendæ.

Sciendum est, exceptiones perpetuas & peremptorias post litem contestatam recte obijci, nã actionem atq; rem de qua agitur perimunt, sic ut reus ab ea liberetur, id quod fieri nisi lite contestata iure non potest, præterea eas tũc opponi atque in medium produci consul

consultißimum fuerit, si actorem intẽtionem suã demonstrasse cognoueris, uel fieri posse ut suspiceris, id enim nisi factũ sit, exceptiõibus reũ defendi opus nõ est, cũ aliàs ueniat absoluẽdus, iuxta cõe uerbũ, Actore non probãte reus absoluetur, & si nihil præstiterit, in l. præscriptionem. cũ sequẽti. C. de exceptio. Possunt tamen, quãuis minus opportune, exceptiões peremptoriæ, præter eas quæ ad hoc speciales habentur, qualis est rei iudicatæ, transactionis, & rei finitæ, iuxta c. exceptiones. & c. oblato. de litis con. in vj. ante iudicium ad impediendam litem obijci, si modo notæ, atq; ex cõfesso habeantur, aut ex cõtinenti probabiles. Panor. in c. exceptionem. de exceptio. specu. & Ioan. Andreæ in eius addi. eo. ti. §. dicto. quæ omnia mente tenuisse ob id operæpretium erit, quod exceptionum usus nõ minus necessarius est quàm actionum, & nisi opponãtur, nihil proderũt, quare artis erit, ipsas opportune & quo oportet loco produxisse. Temporales uero atq; dilatoriæ exceptiones ante contestatam actionẽ & sic inter exordia litis opponi debent, ad hoc enim dilatoriæ sunt quia iudicium differunt. l. si quid. & l. si. C. de excepti. l. ita demum. C. de procu. & l. sed et si. ff. de iudicijs. in c. pastoralis. eo. ti. gl. in l. exceptionem. C. de proba. quæ similiter ordine quodam proponẽdæ, præsertim ubi plures competunt, ueluti iudicis incompetentis, & pacti de non petendo temporalis, eo si quidem casu, quæ contra iudicem est, imprimis obijci debet, ne dum alterum prætuleris iudicem (quem recusasse oportebat,) temere adceptes, usque adeo forum prorogare, hoc est, in iudicem non suum adsentiri uidetur qui coram eo ut iudice

Exceptiões dilatoriæ quãdo opponuntur.

Iudicium quãdo declinãdũ.

iudice litigat, Et iudiciũ (quod à citatiõe initiatur, Insti: de pœnis temere litig. §. fi. l. j. ff. de in ius uoc. c. forus. de uerb. signi.) suscipit, quod statim in exordio fuerat repudiandum, est apud Bar. in l. quidam cõsulebat. ff. de re iudica. colligunt diffusius Imo. *&* Abbas, *in c. inter monasterium. de re iudi.*

Eas uero exceptiones.

S*Yncera olim atq; inculpata iudicia fuisse, uel ex hoc loco nõ obscure colligimus, quando ignominia, aut nominis infamia notati, neq; procuratorẽ dare, neq; ipsi in iudicijs comparere permittebãtur, sed morum probitate paulatim languescente* εἰ μείζω γε δίκην ἀδικώτερος ἕξει, *ut Hesiodus cõqueritur, factũ est ut caussarũ patrocinia ad maledicã fermè atq; incõsultam dicacitatẽ sint redacta, usque adeo pro caußidicis, & procuratoribus (quos uiros ut bonos ita & graues fore publicæ itereßet) nescio quos rabulas & obstreperos latratores seu mauis ueteratores, sufferre oporteat, compositos nõ ad animũ iudicis, sed magis ad stomachũ litigatoris, q ut prius noceant, quàm pro rebus creditis patrocinentur, præsertim ubi iura uel incognita, uel minus conuenientia defecerint, cõuitijs omnia potius implent, quàm caussarũ uires fideli animo producant, quibus insuper tantilli sacramẽtorũ religio habetur, ut nõ modo adciti quoduis iusiurãdum facile subeant, sed haud semel etiam ultro ocurrãt, inter iurare fortaßis & peierare non multũ discriminãtes, unde uerißimum esse non ambigo Heraclidis illud apud Philostratum, ut Bonfinus expreßit, Caußidicorũ genus temerarium esse & impudens, subinde dictitãtes, quia*

In rabulas forenses.

Causidici temerarij.

quia uero unius malicia sæpe plures eiusdem functionis homines male audire cogit, factum est ut procuratoris prouincia, præter hoc quod uilissima est, atque purum putum onus, secundum Dynum in c. infamibus. de regulis iuris. in vj. glossa in uerbo, certis personis. l. j. §. ait prætor. ff. de postul. etiam habeatur infamis iuxta l. si quis procurationem. C. de decurio. libro x. quapropter exceptio ignominiæ atque infamiæ procuratoris quæ antiquitus competebat, hodie ceu minus frequentata exautoratur & conquiescit, ne dum istiusmodi exceptionum officijs operam damus, aut nullum tandem inueniamus procuratorem, aut rem ipsam dum sic litigatur frustra procrastinemus, idcirco quilibet etiam infamis alieno nomine litē inferre aut suscipere potest, præterquàm apud Principem ubi neq; infamia notatus admittitur, neq; admissus ignominia notatur, l. sed & milites. §. sed ignominia. & ibidem iureconsf. ff. de excus. tutorum. & in adducta l. si quis procurationem. Procuratoris officiũ infame.

TITVLVS XIIII.

De replicationibus.



EPLICATIONES *(ut est in l. ij. ff. de exceptionibus) nihil aliud sunt, quàm exceptiones, à parte actoris proficiscentes, ideo necessariæ quod exceptionē excludũt l. non exceptionibus. C. de exceptio. Ioan. and. & Anto. Butri. in c. ij. de exceptio. quare ut exceptio, ita & replicatio exclusoria est, ut quæ reũ à defensionibus atq; allegationibus oppositis excludit, quo circa Paulus iuriscõ.* Replicationes.

in l.exceptio.ff.de exceptio.replicationem cōtrariam exceptioni,& quasi exceptionis exceptionem dicit, quemadmodum in xliiij.Pādectarū lib.uno tractatu, qui est, de exceptionib.promiscue exponuntur.

Porro exceptio facit,ut ius actoris iam nō tantū esse uideatur & quasi exclusum,quare alia allegatione opus est,qua exceptionē illam iterū excutiat,& ius suū magis ob oculos iudicis reponat,reumq; sibi adhuc obligatum ostendat,quā replicationem adpellamus,eam cōtra dari solet duplicatio,& contra duplicationē,triplicatio,contra triplicationē,rursus quadruplicatio,ac deinceps multiplicatis nominibus quoad reus allegat,et actor perurget.Vbi iterum è republica foret,eos qui tribunali præsunt, prospicere,ne istiusmodi allegationes ultro citroq; adductæ & per æruscatores illos rabulas potius ad caussas protelandas quàm expediendas conquæsitæ,aliquando in labyrinthum exeāt,atq; interim litigatores donec ad uiuum corrodantur,suspensos teneant. Cæterum in altera huius tractatus parte īsinuat Iustinianus defensiones seu exceptiones in rem.principali debitori conuenientes,etiam fideiussori & ijs qui pro eo obligantur competere,qualis est exceptio rei iudicatæ,iurisiurandi,doli mali,quod metus caussa,& pactum in rem de non petendo,vt est etiam in l.exceptiones.§.rei autē cohærentes. ff.de excep.Pactū uero de non petendo fideiussori factū, ut non prodest debitori principali,ita nec exceptionē ei parit,nisi in hunc mudū sit pactū,ut debitori quoq; prodesse debeat,nam tunc ex dolo per creditorem prætenso sese defendere potest,est in l.& hæred.§. in ijs qui.cum aliquot

Duplicatio.

Defensiões prīcipaliū etiā fideiussori,cōpetunt.

aliquot sequentibus, & ibidem commentatores. ff. de pactis. Sed exceptiones in personam datæ, ut Cedēdi bonis: item faciendi quantum quis poßit, non porriguntur ad fideiussores, nam elapsis hoc modo debitoribus, fideiussores nihilominus obligati manent, & conueniuntur, in prædicta. l. exceptiones. et. l. ex persona. ff. de fideiussoribus. & l. in omnibus. ff. de regulis iuris. Exceptiones quę fideiussoribus cōpetunt.

TITVLVS XV.

De interdictis.

INTERDICERE *natiua significatione est prohibere, & ne aliquid fiat uetare, unde interdicta proficiscūtur, quorū natura est prohibitoria, quapropter sunt ut refert Iustinianus q̄ putant interdicta tātū ea uocari quæ prohibent, reliqua ut sunt restitutoria, & exhibitoria proprie decreta esse, sed usu frequentatum est, omnia uno uocabulo interdicta adpellari, non quod inter duos dicūtur, ut Institutionū architectus arbitratur, nam hoc esset nimis remote, atque improprie uerbum aliorsum torquere, sed ea de caussa, quod interdictorū prima prohibitoria fuere, aut omnibus tacita quædam prohibitio insit, nam Prætor si quando ei qui ui de possessione fundi deiectus sit, restitui poßessionē iubet, tacite prohibet ne possessionem ui occupatam diutius detineat, uimq́; faciat. l. pen. §. cum Prætor. ff. ne uis &c. Item ei qui liberos parentibus exhibere iubetur, ne exhibendos detineat, & sic uim faciat, prohibetur. Et hoc esse uidetur, quod Vlpianus nonnulla interdicta mista esse scribit, prohibitoria scilicet & exhibitoria. Est in. l. j. & ij.* Interdicta. Interdicta oīa prohibēt uim. Interdicta mista.

ff.de libe.exhib.Interdictis Prætor aut iubebat aliq̃d fieri,aut fieri prohibebat,ad quæ certæ uerborũ conceptiones atq; formulæ requirebãtur, quibus Prætor indicabat de re super qua interdiceret,sibi constare,quas ceu superfluas usus submouit,atq; utiles actiones ex interdictis per iureconsultum inductæ,quibus in factum agi potest,Inferius §.fi.& l.j.C.de formulis &c.Non quod ab interdictorum usu prorsus sit itum,liberum enim est uel interdicto experiri,uel actiõe in factũ,in.l.si quis missus.§. cũ prætor .ff.ne uis fiat ei.l.j.§.restituendæ.ff.uti poßidetis. & quoties interdictum sit propositum,non secus dijudicatur quàm si actio sit instituta atq; intentata,quæ in genere tantum dixisse uolo,nunc singulas species interdictorum ut breuißime possumus,perstringemus.

Loco interdictorum utiles actiones in factum.

Prohibitoria.

Interdicta prohibitoria.

Ex interdictis prohibitorijs sunt, Ne uis ei fiat qui possessionem sine uitio,atque eius permissu,cuius dictio de ea re fuerit, adeptus est, in eum qui contra fecerit in factum iudicium,quanti ea res sit, Prætor pollicetur.Conuenit enim Prætorem eos quos in possessionem misit,etiam tueri,& impedientes,ne uim faciant coërcere, scribit Vlpianus noster ad edictum, ne uis fiat ei qui in possessionem missus est.Itẽ,interdictum quo Prætor uim fieri uetat,inferenti mortuum eò loci, quo inferẽdi ei ius est,quod ueteri Romanorum iure magis obtinet,quo constituebatur,autore Iulio,ne cadauera in urbe sepelirentur,sed extra,eò loci quẽ quis commodatiorem haberet, sic Augusti Octauiani Mausolæum inter Flaminiam uiã & Tiberis ripam, Caligulam in hortis Lamianis cõditũ legimus.

Cadauera extra urbem humata.

legimus. Hodie secundum ius quod Pōtifices statuerūt, in loco profano humari religiosum habetur. Institutum non tam improbandum si humationis loca, quæ cœmiteria uocant, extra ciuitatum pomœria, ubi tanta hominum frequentia quotidie nō cōueniret haberentur, ut uel sic pestilitatis tēpore hominū incolumitati magis consultū foret. Interdictū uero nō modo expositū est, ut cui mortuum inferre, sed etiā ut cō loci sepulchrū atq; monumentū ædificare liceat, quia religiōis interest (ut inquit iurecōsultus) monumēta & extrui & exornari. l. j. atq; alijs. ff. de mortuo inferendo. in quibus extruendis tametsi leges xuirales iuxta ac recentiores modum esse uoluere, tamen in Mausolæa, Pyramides, & id genus portentosissima humani ingenij opera, uel apud Christianos excreuerunt maiore ne impensarū damno, an ostentatione magis stulta, non cito dixerim. Item, Ne quid in loco sacro fiat, quo id solum fieri prohibetur, quod uel deformitati uel incōmodo fuerit, nam ad ornamenta sacri loci quod adtinet, interdictū nihil uetat, in muris quoq; et portis quæ itidē diuini sunt iuris (ceu in II. libro exposuimus) aliquid ad incommodum fieri, hoc eodē interdicto prohiberi Hermogenianus autor est, ad edictum, Ne quid in sacro loco fiat. Est & interdictū ad flumina publica spectās, quo Prætor uetat, Ne quid in publico flumine, ripa'ue eius facias immittas'ue, quo statio iter'ue nauigij deterius fiat. ff. ne quid in flu. pub. ripa'ue eius fiat quo deterius nauigetur. Præter hæc habentur & alia interdicta prohibitoria, non minus utilia quàm necessaria, quibus Prætor publicæ cōmoditati prospexit. Sic in flumine publico, in'ue ripa eius facere,

Cœmiteria extra urbes.

Ne quid in loco sacro.

Ne quid in flumine publico.

Ne in flumen.

aut in flumẽ ripā'ue eius emittere, quo aliter aqua fluat, quàm in priori æstate fluxerat, uetat. Itẽ, Quo minus per lacũ, fossam, stagnum'ue si publici sint iuris nauigare liceat, uim fieri interdicit. Item, ut per loca atq; itinera publica, quisq; suum petere permitt. * Item ne quid in loco publico itinere'ue ad incõmodum facias, præterquã quod lege, Senatuscõsultis, edicto aut Principiũ sanctione, tibi cõcessum sit. Sic interdictũ de loco publico, iuxta locationis legem fruẽdo, quo tuetur eũ qui uectigalia publica conducta habet. Itẽ de uia publica, & itinere publico, ne deterius fiat reficiẽdo. Itẽ ne quid in flumine publico ripa'ue eius fiat, quo aqua aliter fluat, quàm in priori æstate fluxerat, uicinisq; iniuriã faciat. Præterea de ripa muniẽda, ne uicino agro damnum afferat, de itinere actuq; priuato utẽdo, quod ad defensandas rusticas tantummodo seruitutes pertinet, de aqua quotidiana, & æstiua ducenda, de riuis purgandis reficiẽdisq;, de fonte hauriẽdo, de cloacis purgandis reficiendisq;, de arboribus in ædes tuas, uel in agrũ tuum ultra legibus praescriptum modũ propendẽtibus, cædendis. Et de glande quæ ex uicini agro in tuum ceciderit, tertio die legenda, quod ad omnes fructus autore Vlpiano accõmodari põt, de quibus in XLIII. Pandectarũ seu digestorũ libro, per singulos tractatus uidere est.

Ne nauigare quis impediat.

Vias publicas reficiendas.

Ne aqua auertatur i alterius iniuriam.

De glande legenda.

Adipiscendæ &c.

INterdictum hoc restitutoriũ est, adipiscendæ possessionis caussa comparatum, et habet tres species, prima est Quorum bonorum, quando possessio eorũ bonorum quæ quis pro hærede uel pro possessore occupat bonorũ possessori atque ei qui hæredis loco per Prætorem, constitutus

Quorum bonorum.

tutus

tutus est, restitui iubentur, & tam ad singulas res, quàm ad uniuersas pertinet, ceu in præsenti tractatu, & l. hoc amplius. ff. de furtis. Vnde facile deprehēdes in l. j. §. hoc interdictū. ff. quorū bo. aliquid deesse, uel de bonorū uniuersitate tantū, id quod locus indicare uidetur, intelligendūm. secunda species est, Quorū legatorū. & continet hanc caussam, ut quod quisq; legatorū nomine non ex uoluntate hæredis occupasset, id hæredi restituat. Etenim æquissimū uisum est Prætori, unūquenq; nō sibijpsi ius dicere in occupandis legatis, sed ab hærede petēda. Tunc aūt quorū legatorum maxime cōpetit, si hæres lege Falcidia uti, partemq; legatorum retinere uelit, l. j. ff. quorū legatorum. & l. j. C. eo. tit. Et dicitur quorū legatorum, quia quorum legatorū quis possessionē occupasset, ea hæredi restituere iubetur. Tertiā speciē constituit Saluianū interdictū, aduersum eos q res coloni pignoris loco fundis illatas, aut alias pro debito obligatas occupāt. l. j. ff. de Saluiano interdicto, & l. j. atq; ibi interpretes. C. eo. Quorsum & ea conferre poteris quæ de actione Seruiana adnotauimus. Ne tamen hoc interdictum ab Seruiana & quasi Seruiana actione, nō esse absimile existimes, datur Seruiana aduersus colonum, sed Saluianum aduersus eum, qui res coloni, aut aliàs debitoris nobis obligatas, impignoratasq; adprehendit, ut est abunde apud Ange. Aretinum scriptum in §. item Seruiana. Insti. de actio.

Quorū legatorum.

Interdictū Saluianum.

Differūt interdictum Saluianū, & Seruiana actio.

Retinendæ possessionis.

INterdictum retinendæ possessionis est prohibitorium, dictum quod tuetur aliquē in possessione, quam licet usq; huc retineat, tamē ne liberius ea uti possit, per

aduersarium turbatur, & præsertim competit, si de proprietate alicuius rei cõtrouersia sit futura, ubi uter ex litigatoribus possidere, & uter petere debeat, prius est inuestigandum, & id propter commodum possessionis, in qua remanet is qui possidet, quoad petitor rem suam esse probarit, definitur in l. siue poßidetis. C. de probatio. l. res alienas. C. de rei uend. Proinde interdicto retinendæ possessionis is uincit qui tempore litis contestatæ, in possessione est, modo nec ui, nec clàm, nec precario, ab eo poßideat qui turbauit. l. j. §. fi. & l. ij. ff. uti possid. & l. unica. C. utrubi, Vbi nõ est prætermittendum, Vi factum

Vi factũ qnid. uideri, ut Q. Mutius scribit, quod quis cõtra quàm pro

Clam facere. hiberetur, fecerit, at clam facere uideri, Caßius ait, eum qui cælauit aduersarium, neq; ei denunciauit, si modo timuit eius controuersiã, aut debuit timere, l. j. §. quid sit. & l. prohibere. §. clàm facere. ff. quod ui aut clam. Pre-

Precarium. carium est, quod precibus utendum conceditur quandiu is qui concessit patitur, pro cuius restitutione, siue id habeas, siue dolo malo fecisti ut desineres habere, peculiare interdictum Prætor accommodauit innitens æquitati naturali, nam huiusmodi libertatis genus quod precario cõstat uolenti reuocare est permißum, l. j. & l. ij. ff de precario. Insuper retinendæ possessionis interdictum uulgatißimas species duas habet, quarum prima datur pro earum rerum possessione retinẽda quæ sunt soli atq; immo-

Vti possidetis. biles, & dicitur uti poßidetis, quo Prætor eam rem, quã nec ui, nec clàm, nec precario poßidetis, quo minus ita poßideatis, uti poßidetis, uim fieri uetat, l. j. ff. uti poßidetis. Altera uero species pro retinenda poßeßione rei

mobilis

mobilis competit, & Vtrubi adpellatur. Eo Prætor uim fieri uetat quo minus res mobilis utrubi.i.apud eum maneat, penes quem tempore litis contestatæ fuit. l.1.ff. utrubi. Rursus interdictum retinendæ possessionis omnibus ijs accommodatur qui uel per se possident, uel per alium, puta colonum aut inquilinum, etiam ijs qui quid deposuerunt, alteri'ue adcommodarunt, adeo recepti iuris est retinere aliquem possessionem, per quemlibet qui eius nomine sit in possessione. Vtrubi.

Recuperandæ possessionis.

HOc *interdictũ ut est restitutoriũ, ita maxime frequẽtatum, per quod Prætor in possessionem quem restituit, unde ui deiectus erat, & pro rerũ quæ soli sunt atq; immobiles possessione competit. & dicitur* Vnde ui, *nã res mobilis quoties aufertur, modo furti, modo de ui bonorum raptorum actio est. Nec refert per dominũ quis deijciatur, uel per eius familiam, quando interdictum nõ magis proponitur aduersus eum qui ipse deiecit, quàm in eum qui deijci iussit, ratam'ue deiectionẽ habuit, aut qui in uitiũ possessionis successit, tanta cura ijs fuit, qui iura sustinebant, ne uis committeretur, sicubi iuris ordine quid sit expediundum, profecto ciuitati nihil tam exitiosum est, autore* Tullio *nihil tam iuri & legibus contrarium, nihil tam inciuile & inhumanum, quàm per uim quicquam agere uelle, quare* Diui Principes *non fuerũt contenti hoc interdictum restitutorium tantum esse, sed etiam decreuerunt eum qui uim fecerit in re, quæ in eius bonis sit, rei dominio priuari atq; exui: sin uero ĩ re aliena, post eius restitutionem, etiam rei æstimationem dare* Vnde vi. Vi nihil fieri debere.

 uim passo.

*ſarcire cogitur.l.properandum.§.ſiue autem.C. de iudicijs.& Auten.de iudicib.§.oportet. coll.*VI. *Et hoc iuſiurandum petitum, neque prætermitti, neq; recuſari poteſt,ſed præſtatur abſq; inducijs lite cõteſtata,per utrunque litigatorem,per aduocatos utriuſq; partis, & procuratorem,ſi ſpeciale ad hoc mandatum habeat.l.ij.C.de iureiurando propter calum.c.j.& c.fin.de iura.calum.lib.*VI. *Deinde,multatur temerarius litigator qui dum iudicium quo inquiratur experiri mauult allegationum ſuarum cauſſam non habet, pœna pecuniaria. Sic damnum iniuria datum negans,aut relictum ſacroſanctis eccleſijs differẽs dupli cõdemnatur.l.inde* Neratius*.§. hæc actio. ff.ad legem Aquiliam.l.ij.C.communia de legatis.Superius, de obligat. quæ ex quaſi contractu naſcuntur.§.* Ex *quibuſdam.*Et *de actionibus.§. at illæ.* Præterea *liberis emancipatis,libertis'ue,ſi parentes patronos'ue ſuos uenia non impetrata in ius uocarint,pœna quinquaginta ſolidorum irrogatur.l.iij.§.prætor ait.ff.de in ius uocando.l.ij.C.eodem. Superius de actionu.§. pœnales.* Tum, *coërcentur improbe litigantes ignominia, ut qui damnantur furti, ui bonorum raptorum, iniuriarum, doli mali.* Item *tutelæ ex dolo commiſſo, mandati, depoſiti, & pro ſocio, idq; actionibus directis, quæ minoribus aduerſus tutores, mandantibus aduerſus mandatarios adcommodantur,& nõ ẽ regione.l.j.& l.furti.ff.de ijs qui notantur infamia.*Poteſt *tamẽ ex huiuſmodi iudicijs ignominia deuitari ubi quis per procuratorem tantum cõparuerit, infertur ex prædicta.l.furti.§.ſi quis.*Proinde *non modo ex condemnatione uerũetiam pactione infamia contrahitur,nam*

Actiones quæ ignominia notant.

Quando ex pactiõe infamia.

tur, nam quicunq; ex delicto debitor extra iudicis iussum, & pretio dato paciscitur, ignominiosus fit, delictũ enim hoc modo fateri intelligitur, ut tractãt commentatores iuris ciuilis, in. l. furti. ff. de ijs qui. His adde *ignominia notatum siue hoc sit per condemnationẽ, siue pactũ, pristino nomini restitui nõ posse, nisi per Prĩcipẽ Romanũ: refert* Barto. in. l. *infã. ff. de pub. iud. idq; ex. l. j. §. de qua re. ff. de post.* Potest *tamẽ et minor* Princeps *suos restituere, ita ne infamia eis inter suæ ditioni subditos exprobrari poßit, autore* Bal. in. l. *generalis. C. de sen. paßis. paria siquidẽ habẽtur infamẽ nõ esse, & infamiã exprobrari nõ licere; est glossa ĩsigniter notãda, in. l. nõ habet. ff. de manumis.* Infamis p̃ principem restituitur.

TITVLVS XVII.

De officio Iudicis.



IVDICEM *ab eo quod ius dicit adpellamus, porrò ius dicit, qui inter partes discernit, & unicuiq; quod suũ est tribuit.* Ergasilus Parasitus *apud* Plautũ *in* Captiuos *suo more uerbum transtulit, quando rei cibariæ præfectus larido se ius dicturũ, atq; in hoc probe regnaturum uel potius omnia insumpturum, iocatur.* Verba Plauti *hæc sunt.* Iudex.

Illic hinc abijt, mihi rem summam credidit cibariam,
Dij *immortaleis, ut ego collos detruncabo tergoribus,*
Quanta *pernis pestis ueniet, quanta labes larido,*
Quanta *lanijs laßitudo, quanta porcinarijs,*
Nã si alia memorẽ quæ ad uẽtris uictũ cõducũt, morast,
Nunc *ibo, ut præfecturam & ius dicam larido,*
Et *quæ pendent indemnatæ, pernis auxilium ut feram.*

Iudex,

iudice litigat, Et iudiciũ (quod à citatiõe initiatur, Insti. de pœnis temere litig. §. fi. l. j. ff. de in ius uoc. c. forus. de uerb. signi.) suscipit, quod statim in exordio fuerat repudiandum, est apud Bar. *in. l. quidam cõsulebat. ff. de re iudica. colligunt diffusius* Imo. *&* Abbas, *in c. inter monasterium. de re iudi.*

Eas uero exceptiones.

SYncera olim atq; inculpata iudicia fuisse, uel ex hoc loco nõ obscure colligimus, quando ignominia, aut nominis infamia notati, neq; procuratorẽ dare, neq; ipsi in iudicijs comparere permittebãtur, sed morum probitate paulatim languescente ἐπὶ μείζω γε δίκαιυ ἀδικώτερον ἕξει, *ut* Hesiodus *cõqueritur, factũ est ut caussarũ patrocinia ad maledicã fermè atq; incõsultam dicacitatẽ sint redacta, usque adeo pro caußidicis, & procuratoribus (quos uiros ut bonos ita & graues fore publicæ ĩteresset) nescio quos rabulas & obstreperos latratores seu mauis ueteratores, sufferre oporteat, compositos nõ ad animũ iudicis, sed magis ad stomachũ litigatoris, q ut prius noceant, quàm pro rebus creditis patrocinentur, præsertim ubi iura uel incognita, uel minus conuenientia defecerint, cõuitijs omnia potius implent, quàm caussarũ uires fideli animo producant, quibus insuper tantilli sacramẽtorũ religio habetur, ut nõ modo adciti quoduis iusiurãdum facile subeant, sed haud semel etiam ultro occurrãt, inter iurare fortaßis & peierare non multũ discriminãtes, unde uerißimum esse non ambigo* Heraclidis *illud apud* Philostratum, *ut* Bonfinus *expreßit, Caußidicorũ genus temerarium esse & impudens, subinde dictitãtes, quia*

In rabulas forenses.

Causidici temerarij.

quia uero unius malicia sæpe plures eiusdem functionis homines male audire cogit, factum est ut procuratoris prouincia, præter hoc quod uilißima est, atque purum putum onus, secundum Dynum in c. infamibus. de regulis iuris. in vj. glossa in uerbo, certis personis. l. j. §. ait prætor. ff. de postul. etiam habeatur infamis iuxta l. si quis procurationem. C. de decurio. libro x. quapropter exceptio ignominiæ atque infamiæ procuratoris quæ antiquitus competebat, hodie ceu minus frequentata exautoratur & conquiescit, ne dum istiusmodi exceptionum officijs operam damus, aut nullum tandem inueniamus procuratorem, aut rem ipsam dum sic litigatur frustra procrastinemus, idcirco quilibet etiam infamis alieno nomine litẽ inferre aut suscipere potest, præterquàm apud Principem ubi neq; infamia notatus admittitur, neq; admißus ignominia notatur, l. sed & milites. §. sed ignominia. & ibidem iurecons. ff. de excus. tutorum. & in adducta l. si quis procurationem. Procuratoris officiũ infame.

TITVLVS XIIII.

De replicationibus.



EPLICATIONES *(ut est in l. ij. ff. de exceptionibus) nihil aliud sunt, quàm exceptiones, à parte actoris proficiscentes, ideo necessariæ quod exceptionẽ excludũt l. non exceptionibus. C. de exceptio. Ioan. and. &* Anto. Butri. *in c. ij. de exceptio. quare ut exceptio, ita & replicatio exclusoria est, ut quæ reũ à defensionibus atq; allegationibus oppositis excludit, quo circa* Paulus *iuriscõ.* Replicationes.

 in l. exce

in l.exceptio.ff.de exceptio.replicationem cõtrariam exceptioni, & quasi exceptionis exceptionem dicit, quemadmodum in xliiij.Pãdectarũ lib.uno tractatu, qui est, de exceptionib.promiscue exponuntur.

Porrò exceptio facit, ut ius actoris iam nõ tantũ esse uideatur & quasi exclusum, quare alia allegatione opus est, qua exceptionẽ illam iterũ excutiat, & ius suũ magis ob oculos iudicis reponat, reumq; sibi adhuc obligatum ostendat, quã replicationem adpellamus, eam cõtra dari solet duplicatio, & contra duplicationẽ, triplicatio, contra triplicationẽ, rursus quadruplicatio, ac deinceps multiplicatis nominibus quoad reus allegat, et actor perurget. Vbi iterum è republica foret, eos qui tribunali præsunt, prospicere, ne istiusmodi allegationes ultro citroq; adductæ & per ærusçatores illos rabulas potius ad caussas protelandas quàm expediendas conquæsitæ, aliquando in labyrinthum exeãt, atq; interim litigatores donec ad uiuum corrodantur, suspensos teneant. Cæterum in altera huius tractatus parte ĩsinuat Iustinianus defensiones seu exceptiones in rem principali debitori conueniẽtes, etiam fideiussori & ijs qui pro eo obligantur competere, qualis est exceptio rei iudicatæ, iurisiurandi, doli mali, quod metus caussa, & pactum in rem de non petendo, vt est etiam in l.exceptiones.§.rei autẽ cohærentes. ff.de excep. Pactũ uero de non petendo fideiussori factũ, ut non prodest debitori principali, ita nec exceptionẽ ei parit, nisi in hunc mudũ sit pactũ, ut debitori quoq; prodesse debeat, nam tunc ex dolo per creditorem prætenso sese defendere potest, est in l. & hæred.§. in ijs qui cum

Duplicatio.

Defensiões prĩcipaliũ etiã fideiussori, cõpetunt.

aliquot

aliquot sequentibus, & ibidem commentatores.ff. de pactis. Sed exceptiones in personam datae, ut Cedēdi bonis: item faciendi quantum quis poßit, non porriguntur ad fideiussores, nam elapsis hoc modo debitoribus, fideiussores nihilominus obligati manent, & conueniuntur, in praedicta.l.exceptiones.et.l.ex persona.ff.de fideiussoribus.& l.in omnibus.ff.de regulis iuris. Exceptiones quę fideiussoribus cōpetunt.

TITVLVS XV.

De interdictis.



INTERDICERE natiua significatione est prohibere, & ne aliquid fiat uetare, unde interdicta proficiscūtur, quorū natura est prohibitoria, quapropter sunt ut refert Iustinianus q putant interdicta tātū ea uocari quae prohibent, reliqua ut sunt restitutoria, & exhibitoria proprie decreta esse, sed usu frequentatum est, omnia uno uocabulo interdicta adpellari, non quod inter duos dicūtur, ut Institutionū architectus arbitratur, nam hoc esset nimis remote, atque improprie uerbum aliorsum torquere, sed ea de caussa, quod interdictorū prima prohibitoria fuere, aut omnibus tacita quaedam prohibitio insit, nam Praetor si quando ei qui ui de possessione fundi deiectus sit, restitui possessionē iubet, tacite prohibet ne possessionem ui occupatam diutius detineat, uimq; faciat.l.pen.§.cum Praetor.ff.ne uis &c. Item ei qui liberos parentibus exhibere iubetur, ne exhibendos detineat, & sic uim faciat, prohibetur. Et hoc esse uidetur, quod Vlpianus nonnulla interdicta mista esse scribit, prohibitoria scilicet & exhibitoria. Est in.l.j.& ij. ff.de Interdicta. Interdicta oīa prohibēt uim. Interdicta mista.

ff.de libe.exhib.Interdictis Prætor aut iubebat aliqd fieri,aut fieri prohibebat,ad quæ certæ uerborũ conceptiones atq; formulæ requirebãtur, quibus Prætor indicabat de re super qua interdiceret,sibi constare,quas ceu superfluas usus submouit,atq; utiles actiones ex interdictis per iureconsultum inductæ,quibus in factum agi potest,Inferius §.fi.& l.j.C.de formulis &c.Non quod ab interdictorum usu prorsus sit itum,liberum enim est uel interdicto experiri,uel actiõe in factũ,in.l.si quis missus.§. cũ prætor.ff.ne uis fiat ei.l.j.§.restituendæ.ff.uti poßidetis. & quoties interdictum sit propositum,non secus dijudicatur quàm si actio sit instituta atq; intentata,quæ in genere tantum dixisse uolo,nunc singulas species interdictorum ut breuißime possumus,perstringemus.

Loco interdictorum utiles actiones in factum.

Prohibitoria.

Interdicta prohibitoria.

EX *interdictis prohibitorijs sunt, Ne uis ei fiat qui poßeßionem sine uitio,atque eius permissu,cuius dictio de ea re fuerit, adeptus est, in eum qui contra fecerit in factum iudicium,quanti ea res sit, Prætor pollicetur.Conuenit enim Prætorem eos quos in poßeßionem misit,etiam tueri,& impedientes,ne uim faciant coërcere, scribit Vlpianus noster ad edictum, ne uis fiat ei qui in poßeßionem missus est.Itẽ,interdictum quo Prætor uim fieri uetat,inferenti mortuum eò loci, quo inferẽdi ei ius est,quod ueteri Romanorum iure magis obtinet,quo constituebatur,autore Iulio,ne cadauera in urbe sepelirentur,sed extra,eò loci quẽ quis commodatiorem haberet, sic Augusti Octauiani Mausoleum inter Flaminiam uiã & Tiberis ripam, Caligulam in hortis Lamianis cõditũ legimus.*

Cadauera extra urbem humata.

legimus. Hodie secundum ius quod Pōtifices statuerūt, in loco profano humari religiosum habetur. Institutum non tam improbandum si humationis loca, quæ cœmiteria uocant, extra ciuitatum pomœria, ubi tanta hominum frequentia quotidie nō cōueniret habeantur, ut uel sic pestilitatis tēpore hominū incolumitati magis consultū foret. Interdictū uero nō modo expositū est, ut cui mortuum inferre, sed etiā ut eò loci sepulchrū atq; monumentū ædificare liceat, quia religiōis interest (ut inquit iurecōsultus) monumēta & extrui & exornari. l. j. atq; alijs. ff. de mortuo inferendo. in quibus extruendis tametsi leges xuirales iuxta ac recentiores modum esse uoluere, tamen in Mausolea, Pyramides, & id genus portentosissima humani ingenij opera, uel apud Christianos excreuerunt maiore ne impensarū damno, an ostentatione magis stulta, non cito dixerim. Item, Ne quid in loco sacro fiat, quo id solum fieri prohibetur, quod uel deformitati uel incōmodo fuerit, nam ad ornamenta sacri loci quod adtinet, interdictū nihil uetat, in muris quoq; et portis quæ itidē diuini sunt iuris (ceu in 11. libro exposuimus) aliquid ad incommodum fieri, hoc eodē interdicto prohiberi Hermogenianus autor est, ad edictum, Ne quid in sacro loco fiat. Est & interdictū ad flumina publica spectās, quo Prætor uetat, Ne quid in publico flumine, ripa'ue eius facias immittas'ue, quo statio iter'ue nauigij deterius fiat. ff. ne quid in flu. pub. ripa'ue eius fiat quo deterius nauigetur. Præter hæc habentur & alia interdicta prohibitoria, non minus utilia quàm necessaria, quibus Prætor publicæ cōmoditati prospexit. Sic in flumine publico, in'ue ripa eius facere,

Cœmiteria extra urbes.

Ne quid in loco sacro.

Ne quid in flumine publico.

Ne in flumen.

*aut in flumẽ ripã'ue eius emittere,quo aliter aqua fluat, quàm in priori æstate fluxerat,uetat.Itẽ, Quo minus per lacũ,fossam,stagnum'ue si publici sint iuris nauigare liceat,uim fieri interdicit.Item,ut per loca atq; itinera publica,quisq; suum petere permitt. * Item ne quid in loco publico itinere'ue ad incõmodum facias, præterquã quod lege, Senatuscõsultis, edicto aut Principiũ sanctione,tibi cõcessum sit.Sic interdictũ de loco publico,iuxta locationis legem fruẽdo,quo tuetur eũ qui uectigalia publica con ducta habet.Itẽ de uia publica,& itinere publico,ne deterius fiat reficiẽdo.Itẽ ne quid in flumine publico ripa'ue eius fiat,quo aqua aliter fluat,quàm in priori æstate fluxerat,uicinisq; iniuriã faciat. Præterea de ripa muniẽda, ne uicino agro damnum afferat,de itinere actuq; priuato utẽdo,quod ad defensandas rusticas tantummodo seruitutes pertinet,de aqua quotidiana,& æstiua ducenda,de riuis purgandis reficiẽdisq;, de fonte haurieodo,de cloacis purgandis reficiendisq;,de arboribus in ædes tuas, uel in agrũ tuum ultra legibus praescriptum modũ propendẽtibus,cædendis.Et de glande quæ ex uicini agro in tuum ceciderit, tertio die legenda,quod ad omnes fructus autore Vlpiano accõmodari põt,de quibus in* XLIII. *Pandectarũ seu digestorũ libro,per singulos tractatus uidere est.*

Ne nauigare quis impediat.

Vias publicas reficiendas.

Ne aqua auertatur i alterius iniuriam.

De glande legenda.

Adipiscendæ &c.

I*Nterdictum hoc restitutoriũ est, adipiscendæ possessionis caussa comparatum,et habet tres species,prima est Quorum bonorum,quando possessio eorũ bonorum quæ quis pro hærede uel pro possessore occupat bonorũ possessori atque ei qui hæredis loco per Prætorem, constitutus*

Quorum bonorum.

tutus est, restitui iubentur, & tam ad singulas res, quàm ad uniuersas pertinet, ceu in præsenti tractatu, & l. hoc amplius. ff. de furtis. Unde facile deprehēdes in l. 1. §. hoc interdictū. ff. quorū bo. aliquid deesse, uel de bonorū uniuersitate tantū, id quod locus indicare uidetur, intelligendūm. secunda species est, Quorū legatorū. & continet hanc caussam, ut quod quisq; legatorū nomine non ex uoluntate hæredis occupasset, id hæredi restituat. Etenim æquissimū uisum est Prætori, unūquenq; nō sibiipsi ius dicere in occupandis legatis, sed ab hærede petēda. Tunc aūt quorū legatorum maxime cōpetit, si hæres lege Falcidia uti, partemq; legatorum retinere uelit, l. 1. ff. quorū legatorum. & l. 1 C. eo. tit. Et dicitur quorū legatorum, quia quorum legatorū quis possessionē occupasset, ea hæredi restituere iubetur. Tertiā speciē constituit Saluianū interdictū, aduersum eos q res coloni pignoris loco fundis illatas, aut alias pro debito obligatas occupāt. l. 1. ff. de Saluiano interdicto, & l. 1. atq; ibi interpretes. C. eo. Quorsum & ea conferre poteris quæ de actione Seruiana adnotauimus. Ne tamen hoc interdictum ab Seruiana & quasi Seruiana actione, nō esse absimile existimes, datur Seruiana aduersus colonum, sed Saluianum aduersus eum, qui res coloni, aut aliàs debitoris nobis obligatas, impignoratasq; adprehendit, ut est abunde apud Ange. Aretinum scriptum in §. item Seruiana. Insti. de actio.

Quorū legatorum.

Interdictū Saluianum.

Differūt interdictum Saluianū, & Seruiana actio.

Retinendæ possessionis.

I*Nterdictum retinendæ possessionis est prohibitorium, dictum quod tuetur aliquē in possessione, quam licet usq; huc retineat, tamē ne liberius ea uti posit, per*

aduersarium turbatur, & praesertim competit, si de proprietate alicuius rei cõtrouersia sit futura, ubi uter ex litigatoribus possidere, & uter petere debeat, prius est inuestigandum, & id propter commodum possessionis, in qua remanet is qui possidet, quoad petitor rem suam esse probarit, definitur in l. siue poßidetis. C. de probatio. l. res alienas. C. de rei uend. Proinde interdicto retinendae possessionis is uincit qui tempore litis contestatae, in possessione est, modo nec ui, nec clàm, nec precario, ab eo possideat qui turbauit. l. j. §. fi. & l. ij. ff. uti possid. & l. unica. C. utrubi, Vbi nõ est praetermittendum, Vi factum uideri, ut Q. Mutius scribit, quod quis cõtra quàm prohiberetur, fecerit, at clam facere uideri, Caßius ait, eum qui caelauit aduersarium, neq; ei denunciauit, si modo timuit eius controuersiã, aut debuit timere, l. j. §. quid sit. & l. prohibere. §. clàm facere. ff. quod ui aut clam. Precarium est, quod precibus utendum conceditur quandiu is qui conceßit patitur, pro cuius restitutione, siue id habeas, siue dolo malo fecisti ut desineres habere, peculiare interdictum Praetor accommodauit innitens aequitati naturali, nam huiusmodi libertatis genus quod precario cõstat uolenti reuocare est permißum, l. j. & l. ij. ff de precario. Insuper retinendae poßeßionis interdictum uulgatißimas species duas habet, quarum prima datur pro earum rerum poßeßione retinẽda quae sunt soli atq; immobiles, & dicitur uti poßidetis, quo Praetor eam rem, quã nec ui, nec clàm, nec precario poßidetis, quo minus ita poßideatis, uti poßidetis, uim fieri uetat, l. j. ff. uti poßidetis. Altera uero species pro retinenda poßeßione rei mobilis

Vi factũ quid. — Clam facere. — Precarium. — Vti possidetis.

mobilis competit, & Vtrubi adpellatur. Eo Prætor uim fieri uetat quo minus res mobilis utrubi .i. apud eum maneat, penes quem tempore litis contestatæ fuit. l. 1. ff. utrubi. Rursus interdictum retinendæ poßeßionis omnibus ijs accommodatur qui uel per se poßident, uel per alium, puta colonum aut inquilinum, etiam ijs qui quid deposuerunt, alteri'ue adcommodarunt, adeo recepti iuris est retinere aliquem poßeßionem, per quemlibet qui eius nomine sit in poßeßione. Vtrubi.

Recuperandæ possessionis.

H*Oc interdictũ ut est restitutoriũ, ita maxime frequẽtatum, per quod Prætor in poßeßionem quem restituit, unde ui deiectus erat, & pro rerũ quæ soli sunt atq; immobiles poßeßione competit. & dicitur Vnde ui, nã res mobilis quoties aufertur, modo furti, modo de ui bonorum raptorum actio est. Nec refert per dominũ quis deijciatur, uel per eius familiam, quando interdictum nõ magis proponitur aduersus eum qui ipse deiecit, quàm in eum qui deijci iußit, ratam'ue deiectionẽ habuit, aut qui in uitiũ poßeßionis succeßit, tanta cura ijs fuit, qui iura sustinebant, ne uis committeretur, sicubi iuris ordine quid sit expediundum, profecto ciuitati nihil tam exitiosum est, autore Tullio nihil tam iuri & legibus contrarium, nihil tam inciuile & inhumanum, quàm per uim quicquam agere uelle, quare Diui Principes non fuerũt contenti hoc interdictum restitutorium tantum esse, sed etiam decreuerunt eum qui uim fecerit in re, quæ in eius bonis sit, rei dominio priuari atq; exui: sin uero ĩ re aliena, post eius restitutionem, etiam rei æstimationem dare* Vnde ui. Vi nihil fieri debere.

 uim passo.

Exceptio quãdoque præscriptio dicitur.

nes. Honorarius quoq; in l. fi. C. eo. Præscriptionem uocant, eiusdẽ naturæ uerb. sic qui rigida iurisserie actionẽ habet, exceptione quæ ex æquitate ciuili descendit, excluditur, prohibeturq; consequi id quod in iudiciũ deduxit.

Exceptionum summa diuisione, quædam sunt perpetuæ, quædam temporales.

Exceptiones perpetuæ.

Perpetuæ sunt, quæ ut semper locũ habent, ita in nulla litis parte euitari poterũt, quæq; rem de qua agitur, hoc est, causam principalem perimũt, unde etiam Peremptoriæ appellantur, qualis est exceptio doli mali, rei iudicatæ, iurisiurandi, pacti conuenti de non petendo perpetui, & id genus exceptiones agentibus nunquàm nõ obstantes.

Exceptiones tẽporales.

Temporales sunt, quæ ad tempus solum nocent, quare cum actionem in tempus differre soleant, etiam dilatoriæ uocantur apud Innocen. in tractatu de exceptio. ut est pacti cõuenti, temporalis, ne intra certum tempus petatur. Item iudicis incompetentis, & ea quæ aduersus procuratorem compeit, sicuti iurisconsultus, in l. exceptiones. ff. eo. ti. & post eum Iustinianus in hoc tractatu exponit. Cæterum quas iuris Pontificij commentatores Anomalas atque mistas induxere exceptiones, nos modo perpetuis, modo temporalibus adcommodamus. Porrò ut exceptionum statim in limine quoq; usum qualemcunq; adsequaris, quod fieri nõ incommode arbitror, si quo quæq; ordine sit opponenda monitus fueris,

Exceptiones peremptoriæ quãdo obijciendæ.

Sciendum est, exceptiones perpetuas & peremptorias post litem contestatam rectè obijci, nã actionem atq; rem de qua agitur perimunt, sic ut reus ab ea liberetur, id quod fieri nisi lite contestata iure non potest, præterea eas tũc opponi atque in medium produci

consul

consultißimum fuerit, si actorem intẽtionem suã demonstrasse cognoueris, uel fieri posse ut suspiceris, id enim nisi factũ sit, exceptiõibus reũ defendi opus nõ est, cũ aliàs ueniat absoluẽdus, iuxta cõe uerbũ, Actore non probãte reus absoluetur, & si nihil præstiterit, in l. præscriptionem. cũ sequẽti. C. de exceptio. Possunt tamen, quãuis minus opportune, exceptiões peremptoriæ, præter eas quæ ad hoc speciales habentur, qualis est rei iudicatæ, transactionis, & rei finitæ, iuxta c. exceptiones. & c. oblato. de litis con. in vj. ante iudicium ad impediendam litem obijci, si modo notæ, atq; ex cõfesso habeantur, aut ex cõtinenti probabiles. Panor. in c. exceptionem. de exceptio. Specu. & Ioan. Andreæ in eius addi. eo. ti. §. dicto. quæ omnia mente tenuisse ob id operæpretium erit, quod exceptionum usus nõ minus necessarius est quàm actionum, & nisi opponãtur, nihil proderũt, quare artis erit, ipsas opportune & quo oportet loco produxisse. Temporales uero atq; dilatoriæ exceptiones ante contestatam actionẽ & sic inter exordia litis opponi debent, ad hoc enim dilatoriæ sunt quia iudicium differunt. l. si quid. & l. si. C. de excepti. l. ita demum. C. de procu. & l. sed et si. ff. de iudicijs. in c. pastoralis. eo. ti. gl. in l. exceptionem. C. de proba. quæ similiter ordine quodam proponẽdæ, præsertim ubi plures competunt, ueluti iudicis incompetentis, & pacti de non petendo temporalis, eo si quidem casu, quæ contra iudicem est, apprimis obijci debet, ne dum alterum prætuleris iudicem (quem recusasse oportebat,) temere adceptes, usque adeo forum prorogare, hoc est, in iudicem non suum adsentiri uidetur qui coram eo ut iudice

Exceptiões dilatoriæ quãdo opponuntur.

Iudicium quãdo declinãdũ.

iudice litigat, Et iudiciũ (quod à citatiõe initiatur, Inst. de pœnis temere litig. §. fi. l. j. ff. de in ius uoc. c. forus. de uerb. signi.) suscipit, quod statim in exordio fuerat repudiandum, est apud Bar. in l. quidam cõsulebat. ff. de re iudica. colligunt diffusius Imo. & Abbas, in c. inter monasterium. de re iudi.

Eas uero exceptiones.

SYncera olim atq; inculpata iudicia fuisse, uel ex hoc loco nõ obscure colligimus, quando ignominia, aut nominis infamia notati, neq; procuratorẽ dare, neq; ipsi in iudicijs comparere permittebãtur, sed morum probitate paulatim languescente ἐι μείζω γε δίκην ἀδικώτερος ἕξει, *ut Hesiodus cõqueritur, factũ est ut caussarũ patrocinia ad maledicã fermè atq; incõsultam dicacitatẽ sint redacta, usque adeo pro caussidicis, & procuratoribus (quos uiros ut bonos ita & graues fore publicæ itereßet) nescio quos rabulas & obstreperos latratores seu mauis ueteratores, sufferre oporteat, compositos nõ ad animũ iudicis, sed magis ad stomachũ litigatoris, q ut prius noceant, quàm pro rebus creditis patrocinentur, præsertim ubi iura uel incognita, uel minus conuenientia defecerint, cõuitijs omnia potius implent, quàm caussarũ utres fideli animo producant, quibus insuper tantilli sacramẽtorũ religio habetur, ut nõ modo adciti quoduis iusiurãdum facile subeant, sed haud semel etiam ultro occurrãt, inter iurare fortaßis & peierare non multũ discriminãtes, unde uerißimum esse non ambigo Heraclidis illud apud Philostratum, ut Bonfinus expreßit, Caußidicorũ genus temerarium esse & impudens, subinde dictitãtes, quia*

In rabulas forenses.

Caussidici temerarij.

quia uero unius malicia sæpe plures eiusdem functionis homines male audire cogit, factum est ut procuratoris prouincia, præter hoc quod uilißima est, atque purum putum onus, secundum Dynum in c. infamibus. de regulis iuris. in vj. glossa in uerbo, certis personis. l. j. §. ait prætor. ff. de postul. etiam habeatur infamis iuxta l. si quis procurationem. C. de decurio. libro x. quapropter exceptio ignominiæ atque infamiæ procuratoris quæ antiquitus competebat, hodie ceu minus frequentata exautoratur & conquiescit, ne dum istiusmodi exceptionum officijs operam damus, aut nullum tandem inueniamus procuratorem, aut rem ipsam dum sic litigatur frustra procrastinemus, idcirco quilibet etiam infamis alieno nomine litẽ inferre aut suscipere potest, præterquàm apud Principem ubi neq; infamia notatus admittitur, neq; admißus ignominia notatur, l. sed & milites. §. sed ignominia. & ibidem iureconsul. ff. de excus. tutorum. & in adducta l. si quis procurationem. Procuratoris officiũ infame.

TITVLVS XIIII.

De replicationibus.



REPLICATIONES *(ut est in l. ij. ff. de exceptionibus) nihil aliud sunt, quàm exceptiones, à parte actoris proficiscentes, ideo necessariæ quod exceptionẽ excludũt l. non exceptionibus. C. de exceptio. Ioan. and. & Anto. Butri. in c. ij. de exceptio. quare ut exceptio, ita & replicatio exclusoria est, ut quæ reũ à defensionibus atq; allegationibus oppositis excludit, quo circa Paulus iuriscõ.* Replicationes.

 in l. exce

in l.exceptio.ff.de exceptio.replicationem cõtrariam exceptioni,& quasi exceptionis exceptionem dicit, quemadmodum in xliiij.Pãdectarũ lib.uno tractatu, qui est, de exceptionib.promiscue exponuntur.

Porrò exceptio facit,ut ius actoris iam nõ tantũ esse uideatur & quasi exclusum,quare alia allegatione opus est,qua exceptionẽ illam iterũ excutiat,& ius suũ magis ob oculos iudicis reponat,reumq; sibi adhuc obligatum ostendat,quã replicationem adpellamus,eam cõtra dari solet duplicatio,& contra duplicationẽ,triplicatio,contra triplicationẽ,rursus quadruplicatio,ac deinceps multiplicatis nominibus quoad reus allegat,et actor perurget.Vbi iterum è republica foret,eos qui tribunali præsunt, prospicere,ne istiusmodi allegationes ultro citroq; adductæ & per æruscatores illos rabulas potius ad caussas protelandas quàm expediendas conquæsitæ,aliquando in labyrinthum exeãt,atq; interim litigatores donec ad uiuum corrodantur,suspensos teneant. Cæterum in altera huius tractatus parte ĩsinuat Iustinianus defensiones seu exceptiones in rem.principali debitori conueniẽtes,etiam fideiussori & ijs qui pro eo obligantur competere,qualis est exceptio rei iudicatæ,iurisiurandi,doli mali,quod metus caussa,& pactum in rem de non petendo,vt est etiam in l.exceptiones.§.rei autẽ cohærentes. ff.de excep.Pactũ uero de non petendo fideiussori factũ, ut non prodest debitori principali,ita nec exceptionẽ ei parit,nisi in hunc mudũ sit pactũ,ut debitori quoq; prodesse debeat,nam tunc ex dolo per creditorem prætenso sese defendere potest,est in l.& hæred.§. in ijs qui.cum

Duplicatio.

Defensiõesq; prĩcipaliũ etiã fideiussori,cõpetunt.

aliquot

aliquot sequentibus, & ibidem commentatores. ff. de pactis. Sed exceptiones in personam datæ, ut Cedẽdi bonis: item faciendi quantum quis poßit, non porriguntur ad fideiussores, nam elapsis hoc modo debitoribus, fideiussores nihilominus obligati manent, & conueniuntur, in prædicta. l. exceptiones. et. l. ex persona. ff. de fideiussoribus. & l. in omnibus. ff. de regulis iuris.

Exceptiones quę fideiussoribus cõpetunt.

TITVLVS XV.

De interdictis.



INTERDICERE *natiua significatione est prohibere, & ne aliquid fiat uetare, unde interdicta proficiscũtur, quorũ natura est prohibitoria, quapropter sunt ut refert* Iustinianus *q̄ putant interdicta tãtũ ea uocari quæ prohibent, reliqua ut sunt restitutoria, & exhibitoria proprie decreta esse, sed usu frequentatum est, omnia uno uocabulo interdicta adpellari, non quod inter duos dicũtur, ut* Institutionũ *architectus arbitratur, nam hoc esset nimis remote, atque improprie uerbum aliorsum torquere, sed ea de caussa, quod interdictorũ prima prohibitoria fuere, aut omnibus tacita quædam prohibitio insit, nam* Prætor *si quando ei qui ui de posseßione fundi deiectus sit, restitui posseßionẽ iubet, tacite prohibet ne posseßionem ui occupatam diutius detineat, uimq; faciat. l. pen. §. cum* Prætor. *ff. ne uis &c. Item ei qui liberos parentibus exhibere iubetur, ne exhibendos detineat, & sic uim faciat, prohibetur.* Et *hoc esse uidetur, quod* Vlpianus *nonnulla interdicta mista esse scribit, prohibitoria scilicet & exhibitoria.* E*st in. l. j. & ij.*

Interdicta,

Interdicta oĩa prohibẽt uim.

Interdicta mista.

ff.de libe.exhib.Interdictis Prætor aut iubebat aliqd fieri,aut fieri prohibebat,ad quæ certæ uerborū conceptiones atq; formulæ requirebātur, quibus Prætor indicabat de re super qua interdiceret,sibi constare,quas ceu superfluas usus submouit,atq; utiles actiones ex interdictis per iureconsultum inductæ,quibus in factum agi potest,Inferius §.fi.&l.j.C.de formulis &c.Non quod ab interdictorum usu prorsus sit itum,liberum enim est uel interdicto experiri,uel actiõe in factū,in.l.si quis missus.§. cū prætor.ff.ne uis fiat ei.l.j.§.restituendæ.ff.uti possidetis. & quoties interdictum sit propositum,non secus dijudicatur quàm si actio sit instituta atq; intentata,quæ in genere tantum dixisse uolo,nunc singulas species interdictorum ut breuissime possumus,perstringemus.

Loco interdictorum utiles actiones in factum.

Prohibitoria.

Interdicta prohibitoria.

EX interdictis prohibitorijs sunt, Ne uis ei fiat qui possessionem sine uitio,atque eius permissu,cuius dictio de ea re fuerit, adeptus est, in eum qui contra fecerit in factum iudicium,quanti ea res sit, Prætor pollicetur.Conuenit enim Prætorem eos quos in possessionem misit,etiam tueri,& impedientes,ne uim faciant coërcere, scribit Vlpianus noster ad edictum, ne uis fiat ei qui in possessionem missus est.Itē,interdictum quo Prætor uim fieri uetat,inferenti mortuum eò loci, quo infrēdi ei ius est,quod ueteri Romanorum iure magis obtinet,quo constituebatur,autore Iulio,ne cadauera in urbe sepelirentur,sed extra,eò loci quē quis commodatiorem haberet, sic Augusti Octauiani Mausolæum inter Flaminiam uiā & Tiberis ripam, Caligulam in hortis Lamianis cōditū legimus.

Cadauera extra urbem humata.

legimus. Hodie secundum ius quod Pōtifices statuerūt, in loco profano humari religiosum habetur. Institutum non tam improbandum si humationis loca, quæ cœmiteria uocant, extra ciuitatum pomœria, ubi tanta hominum frequentia quotidie nō cōueniret habeantur, ut uel sic pestilitatis tēpore hominū incolumitati magis consultū foret. Interdictū uero nō modo expositū est, ut cui mortuum inferre, sed etiā ut eò loci sepulchrū atq; monumētū ædificare liceat, quia religiōis interest (ut inquit iurecōsultus) monumēta & extrui & exornari. l. j. atq; alijs. ff. de mortuo inferendo. in quibus extruendis tametsi leges xuirales iuxta ac recentiores modum esse uoluere, tamen in Mausolæa, Pyramides, & id genus portentosissima humani ingenij opera, uel apud Christianos excreuerunt maiore ne impensarū damno, an ostentatione magis stulta, non cito dixerim. Item, Ne quid in loco sacro fiat, quo id solum fieri prohibetur, quod uel deformitati uel incōmodo fuerit, nam ad ornamenta sacri loci quod adtinet, interdictū nihil uetat, in muris quoq; et portis quæ itidē diuini sunt iuris (ceu in 11. libro exposuimus) aliquid ad incommodum fieri, hoc eodē interdicto prohiberi Hermogenianus autor est, ad edictum, Ne quid in sacro loco fiat. Est & interdictū ad flumina publica spectās, quo Prætor uetat, Ne quid in publico flumine, ripa'ue eius facias immittas'ue, quo statio iter'ue nauigij deterius fiat. ff. ne quid in flu. pub. ripa'ue eius fiat quo deterius nauigetur. Præter hæc habentur & alia interdicta prohibitoria, non minus utilia quàm necessaria, quibus Prætor publicæ cōmoditati prospexit. Sic in flumine publico, in'ue ripa eius facere, aut

Cœmiteria extra urbes.

Ne quid in loco sacro.

Ne quid in flumine publico.

Ne in flumen.

*aut in flumẽ ripã'ue eius emittere, quo alitr aqua fluat, quàm in priori æstate fluxerat, uetat. Itẽ, Quo minus per lacũ, fossam, stagnum'ue si publici sint iuris nauigare liceat, uim fieri interdicit. Item, ut per loca atq; itinera publica, quisq; suum petere permitt. * Item ne quid in loco publico itinere'ue ad incõmodum facias, prætrquã quòd lege, Senatuscõsultis, edicto aut Principiũ sanctione, tibi cõcessum sit. Sic interdictũ de loco publico, iuxta locationis legem fruẽdo, quo tuetur eũ qui uectigalia publica conducta habet. Itẽ de uia publica, & itinere publico, ne deterius fiat reficiẽdo. Itẽ ne quid in flumine publico ripa'ue eius fiat, quo aqua alitr fluat, quàm in priori æstate fluxerat, uicinisq; iniuriã faciat. Præterea de ripa muniẽda, ne uicino agro damnum afferat, de itinere actuq; priuato utẽdo, quod ad defensandas rusticas tantummodo seruitutes pertinet, de aqua quotidiana, & æstiua ducenda, de riuis purgandis reficiẽdisq;, de fonte haurieodo, de cloacis purgandis reficiendisq;, de arboribus in ædes tuas, uel in agrũ tuum ultra legibus præscriptum modũ propendẽtibus, cædendis. Et de glande quæ ex uicini agro in tuum ceciderit, tertio die legenda, quod ad omnes fructus autore Vlpiano accõmodari põt, de quibus in XLIII. Pandectarũ seu digestorũ libro, per singulos tractatus uidere est.*

Ne nauigare quis impediat.

Vias publicas reficiendas.

Ne aqua auertatur i alterius iniuriam.

De glande legenda.

Adipiscendæ &c.

I*Nterdictum hoc restitutoriũ est, adipiscendæ possessionis caussa comparatum, et habet treis species, prima est Quorum bonorum, quando possessio eorũ bonorum quæ quis pro hærede uel pro possessore occupat bonorũ possessori atque ei qui hæredis loco per Prætorem, constitutus*

Quorum bonorum.

tutus est, restitui iubentur, & tam ad singulas res, quàm ad uniuersas pertinet, ceu in præsenti tractatu, & l. hoc amplius. ff. de furtis. Vnde facile deprehēdes in l. 1. §. hoc interdictū. ff. quorū bo. aliquid deesse, uel de bonorū uniuersitate tantū, id quod locus indicare uidetur, intelligendum. secunda species est, Quorū legatorū. & continet hanc caussam, ut quod quisq; legatorū nomine non ex uoluntate hæredis occupasset, id hæredi restituat. Etenim æquissimū uisum est Prætori, unūquenq; nō sibijpsi ius dicere in occupandis legatis, sed ab hærede petēda. Tunc aūt quorū legatorum maxime cōpetit, si hæres lege Falcidia uti, partemq; legatorum retinere uelit, l. 1. ff. quorū legatorum. & l. 1. C. eo. tit. Et dicitur quorū legatorum, quia quorum legatorū quis possessionē occupasset, ea hæredi restituere iubetur. Tertiā speciē constituit Saluianū interdictū, aduersum eos q res coloni pignoris loco fundis illatas, aut alias pro debito obligatas occupāt. l. 1. ff. de Saluiano interdicto, & l. 1. atq; ibi interpretes. C. eo. Quorsum & ea conferre poteris quæ de actione Seruiana adnotauimus. Ne tamen hoc interdictum ab Seruiana & quasi Seruiana actione, nō esse absimile existimes, datur Seruiana aduersus colonum, sed Saluianum aduersus eum, qui res coloni, aut aliàs debitoris nobis obligatas, impignoratasq; adprehendit, ut est abunde apud Ange. Aretinum scriptum in §. item Seruiana. Insti. de actio.

Quorū legatorum. Interdictū Saluianum. Differūt interdictum Saluianū, & Seruiana actio.

Retinendæ possessionis.

I*Nterdictum retinendæ possessionis est prohibitorium, dictum quod tuetur aliquē in possessione, quam licet usq; huc retineat, tamē ne liberius ea uti posit, per*

 aduersa

aduersarium turbatur, & præsertim competit, si de proprietate alicuius rei cõtrouersia sit futura, ubi uter ex litigatoribus possidere, & uter petere debeat, prius est inuestigandum, & id propter commodum possessionis, in qua remanet is qui possidet, quoad petitor rem suam esse probarit, definitur in l. siue poßidetis. C. de probatio. l. res alienas. C. de rei uend. Proinde *interdicto retinendæ possessionis is uincit qui tempore litis contestatæ, in possessione est, modo nec ui, nec clàm, nec precario, ab eo poßideat qui turbauit. l. j. §. fi. & l. ij. ff. uti possid. & l. unica. C. utrubi,* Vbi *nõ est prætermittendum,* Vi *factum uideri, ut* Q. *Mutius scribit, quod quis cõtra quàm prohiberetur, fecerit, at clam facere uideri, Caßius ait, eum qui cælauit aduersarium, neq; ei denunciauit, si modo timuit eius controuersiã, aut debuit timere, l. j. §. quid sit. & l. prohibere. §. clàm facere. ff. quod ui aut clam.* Pre*carium est, quod precibus utendum conceditur quandiu is qui conceßit patitur, pro cuius restitutione, siue id habeas, siue dolo malo fecisti ut desineres habere, peculiare interdictum* Prætor *accommodauit innitens æquitati naturali, nam huiusmodi libertatis genus quod precario cõstat uolenti reuocare est permißum, l. j. & l. ij. ff de precario.* Insuper *retinendæ possessionis interdictum uulgatißimas species duas habet, quarum prima datur pro earum rerum possessione retinẽda quæ sunt soli atq; immobiles, & dicitur uti poßidetis, quo* Prætor *eam rem, quã nec ui, nec clàm, nec precario poßidetis, quo minus ita poßideatis, uti poßidetis, uim fieri uetat, l. j. ff. uti poßidetis. Altera uero species pro retinenda poßeßione rei mobilis*

Vi factũ quid.

Clam facere.

Precarium.

Vti possidetis.

mobilis competit, & Vtrubi adpellatur. Eo Prætor uim fieri uetat quo minus res mobilis utrubi.i.apud eum maneat, penes quem tempore litis contestatæ fuit. l.j.ff. utrubi. Rursus interdictum retinendæ poßeßionis omnibus ijs accommodatur qui uel per se possident, uel per alium, puta colonum aut inquilinum, etiam ijs qui quid deposuerunt, alteri'ue adcommodarunt, adeo recepti iuris est retinere aliquem poßeßionem, per quemlibet qui eius nomine sit in poßeßione. Vtrubi.

Recuperandæ possessionis.

Hoc interdictũ ut est restitutoriũ, ita maxime frequẽtatum, per quod Prætor in possessionem quem restituit, unde ui deiectus erat, & pro rerũ quæ soli sunt atq; immobiles possessione competit. & dicitur Vnde ui, nã res mobilis quoties aufertur, modo furti, modo de ui bonorum raptorum actio est. Nec refert per dominũ quis deijciatur, uel per eius familiam, quando interdictum nõ magis proponitur aduersus eum qui ipse deiecit, quàm in eum qui deijci iußit, ratam'ue deiectionẽ habuit, aut qui in uitiũ poßeßionis succeßit, tanta cura ijs fuit, qui iura sustinebant, ne uis committeretur, sicubi iuris ordine quid sit expediundum, profecto ciuitati nihil tam exitiosum est, autore Tullio nihil tam iuri & legibus contrarium, nihil tam inciuile & inhumanum, quàm per uim quicquam agere uelle, quare Diui Principes non fuerũt contenti hoc interdictum restitutorium tantum esse, sed etiam decreuerunt eum qui uim fecerit in re, quæ in eius bonis sit, rei dominio priuari atq; exui: sin uero ĩ re aliena, post eius restitutionem, etiam rei æstimationem dare* Vnde vi. Vi nihil fieri debere.

uim passo.l.si quis in tantam.C.unde ui.

Vis quãdo lege Iulia punitur.

Amplius ne humana temeritas ĩpune grassetur, etiã illata uis, quæ sine armis cõmittitur Lege Iulia *de ui priuata tertiæ bonorũ partis publicatione animaduertitur atq; uindicatur.Quod si uis sit armata, deportatione ex lege* Iulia *de ui publica irrogat, pro qbus pœnis infligẽdis, & sic publica stabiliẽda pace, si Magistratus tã soliciti essent, quàm sunt in aleã atq; nocturnas comessationes aßidui, plus pacis minusq; intestini motus, respub.haberet.Cæterũ hic locus qa ad uim spectat, & illud adduci solet, uim ui pellere licere, id qđ omnes leges, omniaq; iura permuttũt, l.scientiã.§. qui cũ.ff.ad legẽ* Aquiliam. *dũmodo ex cõtinenti et cũ moderamine inculpatæ tutelæ (ut uocãt) id fiat, qđ tũc fieri intelligitur, quando aliter se quis defendere, aut periculũ rerũ suarum effugere non potest, quæ defensio usq; adeo permissa est, ut is qui uim inferre nõ ueretur, etiam impune occidi poterit, si nulla alia ratiõe fugæ sit locus, quo casu probes oportet, te per insultantem eumq; aggressorem qui uim intulit, adeo adactum fuisse, ut neq; datum fuerit inclamare, neq; sine periculo uitæ aufugere, neq; aliter insultus illos saluo nomine deuitare, quam illa ipsa defensione. quæ omnia habentur in l.j.C.unde ui.l.quemadmodũ.§.si nauis.l.sciẽtiam.ff.ad legem* Aquiliam.*l.j.C.quando liceat se defen. sine iud.l.is qui aggressorem.C. ad legem* Corneliam *de sicarijs.*Et *magis abunde apud* Angel.Aret. *in de malefi cijs.uers.& dictus* Titius *se defendendo.*


Vim ui repellere licet.

Moderamẽ inculpatæ tutelæ.

TITVLVS XVI.

De pœna temere litigantium.

Quanto.


VANTO *studio ueteribus etiã Ethnicis qui iura sustinebant prospectum sit, ne homines litẽ temere uel inferrent uel susciperẽt, præsens locus indicio est, nobis ob oculos ponendus, etiamsi in nullam religionis synceritatem, fideq́; iurassemus. Quotus enim quisque Christianorum est, (si modo Christiani iure aliquo dici possunt) qui si ipsi litẽ (ut dicitur) à sepe frangere non queant, aliunde tamen conflare, & dato non semel pretio coemere non erubescunt, adeo turbis nati, ut nullam nõ uitæ partem iurgijs colloccnt, non aduertentes etiam si nullum hinc rerũ suarum periculum (quòd sæpius extremum obtigisse comper tum habemus) essent subituri, tamen æternum animæ suæ damnum, quod infelicißimi homines dubio procul sentiẽt propediem imminere.* In litigiosos.

Sed quia religio neq; litigatoribus, neq; magistratibus aliquoties sufficitur, ferendum est susq; deq;, quod ἡ ἅμαξα τὸν βοῦν ἐλαύνει *Et filius contra patrem, rursus pater contra filium tribunal impune fatigat, donec bonus quispiam Hercules monstris reipublicæ iugulatis ciuilium legum ordinationes ab inferis uindicet, quo fit ut hoc nos interim uerbo subinde solemur* ἔσαι πάντα καλῶς. *Vtq́; eò unde digreßi sumus reuertamur, Temeritas litigantiũ cui neq; intentionẽ suã probassent, neq; allegationũ causam habuissent, in decima litis parte olim multabatur, eam hodie triplici pœna coërceri sancitum est. Primo, iurisiurandi religione, propter calumniem seu cauillationem deuitandam introducti. unde qui huius sacramenti oblitus improbe ad litigandum processerit, præter hoc quod peierat, etiam litis impensas atq; damna aduersario* Pœna temere litigantium. Iuramẽtum calumniæ.

*sarcire cogitur.l.properandum.§.siue autem.C. de iudicijs.& Auten.de iudicib.§.oportet. coll.*VI. *Et hoc iusiurandum petitum, neque prætermitti, neq; recusari potest,sed præstatur absq; inducijs lite cõtestata,per utrunque litigatorem,per aduocatos utriusq; partis, & procuratorem,si speciale ad hoc mandatum habeat.l.ij.C.de iureiurando propter calum.c.j.& c.fin.de iura.calum.lib.*VI. *Deinde,multatur temerarius litigator qui dum iudicium quo inquiratur experiri mauult allegationum suarum caussam non habet, pœna pecuniaria. Sic damnum iniuria datum negans,aut relictum sacrosanctis ecclesijs differẽs dupli cõdemnatur.l.inde* Neratius.§. *hæc actio. ff.ad legem* Aquiliam*.l.ij.C.communia de legatis.* Superius, *de obligat. quæ ex quasi contractu nascuntur.§.* Ex *quibusdam.*Et *de actionibus.§. at illæ.* Præterea *liberis emancipatis,libertis'ue,si parentes patronos'ue suos uenia non impetrata in ius uocarint,pœna quinquaginta solidorum irrogatur.l.iij.§.prætor ait.ff.de in ius uocando.l.ij.C.eodem.* Superius *de actionu.§. pœnales.* Tum, *coërcentur improbe litigantes ignominia, ut qui damnantur furti, ui bonorum raptorum, iniuriarum, doli mali.*

Actiones quæ ignominia notant.

I*tem tutelæ ex dolo commisso, mandati, depositi, & pro socio, idq; actionibus directis, quæ minoribus aduersus tutores, mandantibus aduersus mandatarios adcommodantur,& nõ ẽ regione.l.j.& l.furti.ff.de ijs qui notantur infamia.*Potest *tamẽ ex huiusmodi iudicijs ignominia deuitari ubi quis per procuratorem tantum cõparuerit, infertur ex prædicta.l.furti.§.si quis.*P*roinde non modo ex condemnatione uerũetiam pactione infamia contrahitur,nam*

Quando ex pactiõe infamia.

tur, nam quicunq; ex delicto debitor extra iudicis iussum, & pretio dato paciscitur, ignominiosus fit, delictũ enim hoc modo fateri intelligitur, ut tractãt commentatores iuris ciuilis, in l. furti. ff. de ijs qui. His adde ignominia notatum siue hoc sit per condemnationẽ, siue pactũ, pristino nomini restitui nõ posse, nisi per Pricipẽ Romanũ: refert Barto. in. l. infa. ff. de pub. iud. idq; ex. l. j. §. de qua re. ff. de post. Potest tamẽ et minor Princeps suos restituere, ita ne infamia eis inter suæ ditioni subditos exprobrari possit, autore Bal. in. l. generalis. C. de sent. paßis. paria siquidẽ habẽtur infamẽ nõ esse, & infamiã exprobrari nõ licere; est glossa isigniter notãda, in. l. nõ habet. ff. de manumis. Infamis p̃ principem restituitur.

TITVLVS XVII.

De officio Iudicis.



IVDICEM ab eo quod ius dicit adpellamus, porrò ius dicit, qui inter partes discernit, & unicuiq; quod suũ est tribuit. Ergasilus Parasitus apud Plautũ in Captiuos suo more uerbum transtulit, quando rei cibariæ præfectus larido se ius dicturũ, atq; in hoc probe regnaturum uel potius omnia insumpturum, iocatur. Verba Plauti hæc sunt. Iudex.

Illic hinc abijt, mihi rem summam credidit cibariam,
Dij immortaleis, ut ego collos detruncabo tergoribus,
Quanta pernis pestis ueniet, quanta labes larido,
Quanta lanijs laßitudo, quanta porcinarijs,
Nã si alia memorẽ quæ ad uẽtris uictũ cõducũt, moraſt,
Nunc ibo, ut præfecturam & ius dicam larido,
Et quæ pendent indemnate, pernis auxilium ut feram.

Iudex,

Iudex, quia iusticiæ est antistes, oportet sit uir grauis, sanctus, syncerus, incorruptus, inadulabilis, & æquitate terrificus, quemadmodum colligitur ex uerbis Chrysippi ad Aristocreontem, quibus & iusticiæ imaginem graphice depingit, apud Aul. Gelium. lib. XLIII. cap. IIII. offendis, ab eo quantum distent, qui hodie sacrosanctis illis iudiciorum adeoq; publicis functionibus paßim obtruduntur, is cognoscet, cui uel parum atq; è specula mundi faciem contemplari datur, homines, quibus nec porcos tuos crederes, tantum abest, ut communi hominum saluti præficiendos existimes. Enimuero rapinis, latrocinijs, adulationibus atque id genus malis, si nō sunt nati, quod Phœnice rarius ducimus, tanto tamen expilandi studio tenentur, idq; non sine tyrannidis laruæ, ut parum sit multis, multos Principes enutrire, parum quotidiana illa seruitutis mole uexari, si non essent istiusmodi harpyiæ qui miseram plebuculam, ad uiuum usque corrasam, etiam prorsus degluberent, nimirum fures, quorum omnium oculos, si Alexander Seuerus digito eruere deberet (nam id iudici furi, si quis occurrisset, se facturū minari solebat) citius digitos quàm furum oculos defuturos compertum acciperet. Cæterū iusticia, quam Pindarus σώτειραν non immerita uoce cognominat, absq; interprete muta est, & inane scholis duntaxat relinquendū nomē, oportet iudicē esse quem alij ius animatū, alij δικαστὴν quasi bipertiētē, Aristoteles μεσοδίκιον, hoc est, medijuriū uocat, per quē unusquisq; quod suū est, adquirit. Porrò hoc officiū cū sit regiū, rectè Plato iudiciariā legū custodiā, regisq; cuius est legē dare pedissequā ratiocinatur, quod fit ut Princi-

In magistratus fures.

Iudiciaria Regis pedissequa.

pes singuli cũ tot litigijs rebusq; in populo subĩde emer gentibus sufficere haud queant, uiros sapientes non minus ueritatis quàm pietatis amatores, & qui ab auaricia sint alieni deligamus, & cõtrouersijs dirimẽdis præficiamus, id quod sacrum quoq; Mosen fecisse monẽte Raguele optimi iudicij uiro, sacræ historiæ testantur, Exodi XVIII. *Deut.* I. *& refertur apud Iosephum, antiq. lib.* III. *cap.* III. *ne'ue hanc muneris neceßitatẽ cõstuprare ausint qui ipsi præstituuntur, iusiurandũ, quo eis præitũ erat, in leges præstare etiam apud ueteres solitos, Asconius autor est, præter hoc quod Castorẽ & Pollucẽ, iudiciorum deos, rerumq; forensiũ testes in celeberrimo Prætorij loco cõstitutos habebãt.* Cicero *ĩ ultimis Verrinis, Vos (inquit) omniũ rerum forensium cõsiliorũ maximorum, legũ iudiciorũq; arbitri & testes celeberrimo in loco Prætorij locati Pollux & Castor, cæteros item deos, deasq; omneis imploro, atq; obtestor. Iudicis ergo officiũ esto, cõtrouersias nõ alijs modis definire quàm legibus, Principũ cõstitutionibus atq; receptis moribus proditũ est, idq; secundũ adducta & adprobata, hoc est, secundũ ea quorum indubitatã adeoq; certã cognitionẽ accepit, nulla personarum habita ratione, utpote cui idẽ esse debent, Actij qđ Titij, quod et Symãdius Aegyptiorũ rex quasi symbolo aliquo significari uoluisse uidetur, quãdo sepulchro suo imagines iudicũ sculptas imponi, posteritati olim reperiendas, statuit, quibus ab ipso collo ueritatis effigies dependeret, oculis penè clausis, atq; libris circuncircum positis, quapropter rectè Atheniẽses iudicia de cædibus ad Areopagum, Martis uicum noctu habẽda* existima

Iudices delecti.

Iudiciorũ dij.

Iudicũ imagines.

existimarunt, causamq; dicturis adfectibus abstinendum, tradit Isocrates in Areopagetico, & Fab. Quintilianus Institutionum libris, sic fore rati, ut iudices neq; miserabilium personarum intuitu, neq; uocis humanae lenocinio (habet enim oratoria nescio quam uocis ἐνέργειαν, qua hominum mentes adficere, & in quouis ferme permouendo quasi fascinare solet, unde & apud Platonem in dialogo qui εὐθυδημος inscribitur artis incantandi partem qs opinatur) traducti quod rectum est, pronunciet. Proinde si quando res maior fuerit, quam ut statim diffiniri queat memor sit uerbi quod Augusto frequens erat σπεῦδε βραδέως, leges scriptas aut morum consuetudines consulat, & sic mature atq; consulte pronunciet, neq; in hoc omnes in uniuersum leges perfunctorie arripiat, sed eas tantum quibus integra adhuc remanet autoritas, nam sunt leges Pandectarum, quibus principum constitutiones, & rursum constitutiones quibus recentiores sanctiones praesertim Autenticae, derogant. & ijs omnibus consuetudines, quae omnia nisi iudex ceu digitos suos enumerata habeat, facile impinget, atq; ex iure se respondere arbitratur, quando nec umbram iuris habet, cum idem sit legem aut non esse, aut inueteratam atque exautoratam esse.

Iudicium Areopagi noctu.

Festina lente.

Fructus.

Caeterum in singulis iudicijs, quid iudici faciundum incumbit, Iustinianus paucis monet. Cumprimis ut sententia proferatur, aut absolutoria, aut condemnatoria, q.d. si in rem actum sit, ratio etiam fructuum habeatur, id quod tunc commodius fiet, quando diuersitatem adceperit inter bonae fidei possessorem, atq; Praedonem, id est, nullam posidendi causam habentem.

Nam

Nam bonæ fidei poſſeſſor condemnatur ad reſtituendam rem cū fructibus tantum induſtrialibus ante īchoatam litem perceptis & extantibus, poſt uero etiam culpa neglectis aut conſumptis, l.certum.C.de rei uendicat. Sed qui mala fide eſt poſſeßor, & prædo, rem cum omnibus fructibus reſtituere iubetur, non tantum ijs quos percepit, ſed etiā quos percipere debuit. eſt copioſius in.l.ſed & ſi.§.quos autem.ff.de peti.hæred. Et nos ſuperius libro I I.*adnotauimus.*

Si ad exhibendum actum ſit &c.

Exhibere rem, eſt eius in publico (inquit Iul.Paulus) poteſtatem facere, ut ei qui agit experiūdi ſit copia: quod ut fiat, actio ad exhibendum neceſſaria, & maxime propter uendicationes inducta eſt, perſonalis quidem & in rem ſcripta, competēs ubi res, ſicut homo, mancipium, literarum monumenta, & ſi qua ſimilis, quam uendicare intendimus, aut cuius ope ad roborādam cauſſam noſtrā indigemus, penes alium eſt poſſeßorem, ſiue is ſit naturalis, ſiue ciuilis, ſiue prædo.l.iij.§.fi.cum.l.ſequenti.& l.cælſus.ff.ad exhiben. Exhibere. Actio ad exhibendum.

Et in hoc differt ab actione in factum, ex Edicto Prætoris de edendo, quòd edictum ſolū in ijs inſtrumentis & rationibus obtinet, quæ nobis mādantibus, ab eo cōficiūtur, qui aliquam habet functionem. diſſerit Bar.in l.quædam.ff.de edendo. nec tantū is iudicio exhibitorio uti poteſt, qui eſt dominus rei occultatæ, uel quaſi, uerumetiam qui iureiurādo adſtruit ea res ut exhibeatur ſua ītereße, uſqueadeo probatio per ſacramentum cum qualiquali notione hoc caſu ſufficit, l.iij.§.eſt autem.& §.ſciendū.

Interpretes in l. thesaurus. ff. eo. ti. Proinde actio ad exhibendum tametsi suis atq; proprijs tramitibus sit descripta, potest tamen cum uendicatiōe aut publiciana simul intentari, ita quòd unà decurrant, quando flagitamus aduersariū rem exhibere, atq; exhibitam ad nos spectare, iure dominij, uel quasi decerni, eumq; sic ad redhibendā legitimis modis cōdemnari, est in l. fi. C. ad exhibendum. referūt commentatores in l. j. ff. eo. tit. Neq; sufficit rem illam quādocūq; exhiberi, sed opus est in eum caussæ statum exhibeatur, quem actor tūc habebat, quando ad exhibendum agere cœpit, aliàs enim is cum quo actum est pro mora interiecta, atq; eò quòd interest nostra, idq; ad utilitatē actoris, quæ in æstimationē uenit, aliquādo maioris quā res sit, iuxta sacramentum in litem præstitum. l. iulianus. §. quantum autem §. fi. ff. ad exhiben.

Res quomodo exhibenda est.

Si familiæ Erciscundæ &c.

Famil. ercisc.

Operæpretium hic facturus est, qui diuersitatem inter familiæ Erciscundæ, & communi diuidundo iudicia animaduertit. Sanè iudicium familiæ erciseundæ cōmodatur pro bonis hæreditarijs, siue in uniuersum, siue ex parte diuidendis inter cohæredes, quorum si possessio ab eo petatur, qui non est hæres, uel qui dum uult hæres esse, non admittitur, petitione hæreditatis experiundum est, donec hæres esse pronuncietur.

Cōmuni diuidundo. Adiudicatoria; quādo res diuisionem nō recipit.

Sed communi diuidūdo iudiciū pro communibus rebus compertiendis datur, quæ hactenus indiuisim & cōmuniter sunt possessæ. Vti in Pandectis & Codice suis tractatibus scriptū reliquere iuris conditores. Et utrūq; iudicium aliquando adiudicatorium est. Nam si res aliqua

qua

qua commodam diuisionem non recipiat, permittitur Iudicem alteri ex litigatoribus rem ex bono & æquo etiam totam adiudicare, atq; eũdem alteri certa pecunia in rei locum inuicem condemnare, est in l. meuius. §. arbiter. ff. fami. ercis. l. in communi. ff. communi diuidundo. l. iij. C. eo. ti. & paulo ante de Actio. §. in quibus. Et hoc est qđ *Iustinianus dicit, Si unius pars prægrauare uidebitur. i. maior & pretiosior esse, à bilance transsumpto uerbo, ubi altera partium si ponderosior fuerit, prægrauat, alteramq; in æquilibrio excellit.*

Si finium regundorum.

Finium regundorum iudicium ex antiquis Solonis legibus cœpit, obtinens locum in prædijs rusticis tantum, ubi inter partes de confinio est controuersia. Dici*tur autem finiũ regundorũ quasi discriminãdorũ seu statuendorũ, quãdo regere pro eo accipitur antiqua & xuirali significatione, quod est suis finibus terminatũ habere, aut statuere, & regi fines dicũtur, inqt* Boetius *in ij. Topicorũ cõmẽtario, quoties unusquisq; ager proprijs finibus terminatur. Vnde regiones, singulas prouincias atque urbis parteis, certis cõfinijs circunscriptas, proinde cæli regiones apud Astronomos inuenimus. Regũtur cõfinia fermè per limites. Est aũt limes (secundũ Aggenũ Vrbicũ) quodcũq; in agro opera manuũ factũ est ad obseruationem finiũ. Quod si antiqua finiũ monumẽta cõspiciũtur, quibus prædia commode discriminari possunt ut sunt lapides, colliculi, petræ, arbores notatæ, trũci, fossæ, uiæ, riui, aut inter arua margines tanquam puluinæ, ea sequi iudex debet, nisi euidentioribus modis, quàm*

Finium regundorum.

Regere quid.

Limes quid.

Fines quibus distinguuntur.

hactenus fuissent, iam nunc distingui queat, quo uno ca su partem ex alterius agro alteri adiudicabit, & eum di uerso alteri in certa pecunia cōdemnabit, iuxta l. ij. & l. iij. ff. finium regundorũ. Sin uero nil tale adpareat, unde limitum notæ cognoscātur, & finalis sit quæstio, Iudex artis Geometricæ peritus, agros pro cuiusq; litigatorum modo & quantitate positis limitibus disterminato. Cæte Mensores. *rum Iudice artis mensurādi ignaro, dandi sunt mensores qui hoc ipsum faciant, quibus Theodosius & Valentinia nus AA. pro laborum uicißitudine quos in artē Geome triam impenderunt, præmiumq; suum constituere, eosq; inter Clariß. honoris ergô scribi uoluerunt, quos ob id Geometricis disciplinis instructos esse conuenit, quòd a gros suis finibus partibusq; metiri debent, & discrimina re: nō ut semper eiusdem sint magnitudinis atque spatij, sed habita etiam terræ secundũ bonitatem & malignita tem ratione, ubi paruus aliquādo ager quia melioris sun di, magnum & spatiosum uenæ deterioris æquare solet, ut sic unicuiq; quod suum est, iureq; consequi debet, con* Mensura quid. *tingat, quæ omnia mensura cognoscuntur. Est mensura complurium & inter se æqualium interuallorum longi tudo, latitudoq; finita. Sic uncijs & digitis pedem, pede x pedam. x peda actum, actu passus, paßibus stadium, sta dijs milliarium metimur: quo fit ut omnis areæ modus pedali mēsura cōprehendatur, ubi prætermittendum nō* Pes. *est, Pedem* XVI. *digitorum esse. Passum pedes habere* V. Passus. Actus. *Actus duplex est, Minimus pedes habet latitudinis* IIII. Iugerum. *longitudine pedes* CXX. *Iugerũ dictum, quod uno boum iugo per diem exarari potuisset, longitudine pedum ccxl.*

CCXL. *latitudine pedū est* CXX. *Stadium pedes habet* DCXXV. *Centuria uero primo* C. *iugerum, sed postea* CC. *iugerum modum obtinuit, cum* Romulus *cētenis ciuibus ducenta iugera tribuisse dicatur, quæ perfunctorie tantum atq; paucis adnotasse sufficiat, propter interpretes iuris ciuilis, qui hanc partem aut omnino prætereunt, aut frigidißime, & uix summis (ut aiunt) digitis attingunt, ut quibus* Encyclopædia *aliquot ante annis nō admodū arrisit, ad pleniorem huius loci rationē quod ꝑtinet, uidere est apud* M. Varronem *de re rusti. lib.* 1. *c.* x. Iul. Frontinum *de iure limitum, atq;* Aggenum Vrbicū, L. Columellā *rei rusticæ lib.* 5. *cap.* 1. *iudex autem finalis quæstionis nō tantum finium regundorum discernit, & contumaces reluctantesq; pro eo quod actoris interest, iuxta in litem datum iusiurandum condemnat, sed etiam eos qui terminos furati sint, mouerint aut exararint, uel arbores, atq; id genus limites conciderint, iudicio criminali pœna* L. *aureorum adficit. l. sed & §. si dicantur. ff. finium regun. & l. iij. ff. de termino moto. Pœnam eorū* Iul. Paulus *sententiarū lib.* V. *hanc esse ait, Si serui sua sponte terminos effoderint, exararint, arboresúe terminales subuerterint, in metallum damnandos,* Humuliores *in opus publicū,* Honestiores *in insulam amissa tertia bonorum parte relegandos.* Numa Pompilius *quia terminos* Ioui *sacros esse uoluit, constituit ut occultantes eos, aut transferentes sacrilegorum more occiderentur.* Nec *est mirum ueteres rem agrariam tanto studio curasse, ut quibus omnis reditus, atq; uectigalia inde fuerant, unde & locupletem, autore* Plin. *quasi loci. i. agri plenum di-*

Stadium.

Pœna eorū qui terminum mouerint.

Termini Ioui sacri.

xere, neq; minus agrorum copia luxurians auaræ mentis habebatur, quàm si reliquo rerum lucro præter modum inhiasset, usque adeo ut Manius Curius pro concione dixerit perniciosum intelligi ciuem, cui VII. agri iugera nõ essent satis. Propterea C. Licinius Stolon Trib. ple. legem rogauit, Ne quis amplius L. iugerum possideret. referunt Plinius lib. hist. nat. xviij. ca. iij. Aulus Gellius Noctium Attica. lib. vij. cap. iij.

Locuples unde

Lex Stolonis agraria.

TITVLVS XVIII.

De publicis iudicijs.



S Q V E huc de priuatarum actionũ iure, hoc est, de ijs iud. quæ in rem cuiusq; priuatam exponũtur, est enarratũ: quia uero pax cõmunis, atq; adeo respublica nõnunquam improbis hominũ ausibus uiolatur, id ne impune fiat, publica iudicia inducta sunt, quorũ exercitiũ ciuis ex populo etiã nõ læso permittitur, ea cõsyderatione quòd læso corpore, etiã membrũ lædi uidetur, ratione societatis communis, unde obligatiõis caussa descendit. Et hoc est, quod Plutarchus in Lucullo scriptũ reliquit, Iuuenibus apud Romanos ad eloquẽtiæ studiũ, atq; egregiã animorum cõtentionẽ exercendis licuisse, institutis reorũ accusationibus in improbos ciues impetũ cõcipere, populoq; Romano ingeniorũ suorũ hac ratiõe specimen præbere, imbibita statim ab ineunti ætate uitiorũ detestatiõe. Proinde quia nõ sumus bestiæ, quæ nõ nisi sanguine satiãtur, sed homines, qbus nihil inhumani inesse debet, catenus præstat defendere, quàm accusare. Rhetores modos tradunt quibus defensiones cõtra accusatoris impetum rursus paran

Publica iudicia

Accusandi studium.

sus parantur, quorum plenus est Fab. Quintilianus Institutionum oratoriarum lib. V. & extant aliquot argumẽtorum uestigia apud Anneum Senecam in libris controuersiarum. Cæterum publica iudicia, quia publicam quærunt uindictam, & sic modo ultimum supplicium, modo corporis coërtionem, aut pecuniariam pœnam fisco inferendam irrogant, semper sunt criminalia. l. senatus. ff. de accus. & l. iij. §. j. ff. de sepulchro uiolato. & ibidẽ gloss. Pœna enim quoties accusatori tantum adplicatur, iudicium priuatum & ciuile redditur, illi tantum competens qui est læsus. in l. agraria. ff. de termino moto. Insti. de iniurijs. §. patitur. & §. in summa. Et ne quis actiões pub. etiam populares dici putet, sic differunt: Actiones populares dicuntur, quæ ius populi tuentur, etiam ad uindictã publicam expositæ, sed ex autoritate Prætoris, qualis est, actio sepulchri uiolati, Ne quid in publico fiat, Si qs album Prætoris corruperit, & in uniuersum omnes actiones rempub. respicientes, quibus ex ui interdictorum postulare Prætor indulsit, iuxta gloss. in Rubricam, & l. ij. & l. popularis. ff. de popularibus actionibus. Publicæ uerò actiões, ex ijs solũ proficiscuntur legibus, quæ publica iudicia constituunt, sine adminiculo Prætoris, ut numerantur ferè in l. j. ff. de publi. iudi. Cuiusmodi est lex Iulia maiestatis, ex lege xuirali profecta. & ante Iulium ab Apuleio quoque rogata, Lex Iulia de adulterijs & stupro, Lex Cornelia de sicarijs & ueneficijs, & cæteræ quas Iustin. hic ordine recensct, & latius in XLVIII. Pandectarum, seu Digestorũ lib. & in Codicis Iustiniani XLI. describũtur, quibus si aliquid adnotatum ex bonis

Defensiones.

Iudicium publicũ, differt a priuato.

Actiones populares.

Publicæ actiones.

Budæus. autoribus uelis, apud Gulielmum Budæum, uiru m de re=
ctis studijs optime meritum, Romaniq́; iuris unicum no
stri temporis Herculem, in reliquis adnotationibus fermè
Pœnæ uariãt. ad stomachum inuenies. Pœnæ publicis legib. proditæ nõ
ubiq; apud omnes obseruantur, sed pro moribus regionũ
atq; municipalibus statutis sæpißime uariant, atq; ĩ par=
tibus minus cognitæ Endimionis somnium dormiunt.
Lex Iulia de adul. & stup. Quotus enim quisq; est, quem lex Iulia de adulterijs uel
parum uexat, quæ temeratores alienarum nuptiarũ gla=
dio ulciscitur. Virginum uero & uiduarum honestæ uitæ
stupratoribus, dimidiæ bonorum partis publicationem,
si honesti sunt loci, aut corporis coërtiõnem cum relega
tione, si humiles, pœnam irrogat. Quando adulterium
commisisse, uirginem'ue uitiasse, non modo impune est,
sed eatenus laudi, ut etiam gloriæ loco habeatur, aliquã=
do ijs qui sacris initiati sunt, pluria & adulteria & stu
pra perpetrata in nullis nõ cõmessationibus & balneis,
non secus atq; digitos suos enumerasse, ubi præterire nõ
Lapsus Baptistæ Pij. poßum, quod Baptista Pius, homo in ueterum disciplina
ab inferis uindicanda non postremus, hoc tractatu. §. sed
eadem lex Iulia, pro peccatoribus, pædicatoribus legen=
dum censet. Vocem, quæ ad hanc legis partem (quod pa=
ce Baptistæ dixerim) non conuenit, nam illi tantum per
stringuntur, qui uirginem uel uiduam honeste uiuentem,
sine ui stuprarunt, quorum honesti dimidia bonorũ par
te, humiles corporis coërtione atq; exilio puniuntur. Eos
Peccatores. peccatores Iustinianus non solum hoc loci, sed etiam pau
lo ab hinc. §. sin autem per uim. adpellat, id quod diuales
quoq; constitutiones faciunt, & non inepte, cum ueteri=
bus

bus peccatores pro ſtupratoribus ſeu adulteris propriè ſint dicti, utpote à peccare, quaſi pelliœre ſeu cum pellice conſuetudinem habere. Proinde mouiſſet Baptiſtam, quod pædicatores quos πυγιστὰς Græci uocant, eos nempe qui nefandam atq; peruerſam libidinem in maſculos exercent, lex Iulia priori capite comprehēdit, atq; ultore ferro perſequitur, ut eſt etiam in l.cum uir. C. ad leg. Iuliam de adul. ſic inquiente, Item lex Iulia de adulterijs coërcendis, quæ non ſolum temeratores alienarū nuptiarum gladio punit, ſed & eos qui cum maſculis nefandam libidinem exercere audent, in quos dudum ante lex Scatinia quoq; ſeueriſsime animaduertebat. Præter hoc quod Valerius Maximus non tantum eos uarijs ſupplicijs adfectos ſcribit, qui hoc malum perpetraſſent, ſed etiam qui pueros ad ſtuprū adpellare auſi fuiſſent. Hæc uero legis pars peccatoribus ſi honeſti ſunt, publicationem dimidiæ bonorū partis irrogat. Quare nō eſt quod pro peccatoribus, pædicatoribus, qui ultimo ſupplicio adficiūtur legi debeat: quod ob id referre ſtatui, ne frugi lector, atque in literis macte uirtute puer, quaſque caſtigationes oſcitanter & abſq; iudicio ſtatim recipiat. Fieri enim poteſt, ut dum unum uerbum nouitate quadā ductus, reſtitutum putes, totum locum temere peruertas, probandum ſiquidem eſt eorum ſtudium, qui ut bonis literis ſubueniant, nullis uigilijs parcunt, ſed nihil incōſulte ad imitationē ducendum quando ſæpius animi ſui contentionem ob oculos tibi ponūt, quo ipſe calcar recipias ad ueritatem rei altius inueſtigandam. Ego priuſquā rceptui canā, leges obſcuriores paucis explicabo. Crimen

Pædicatores.

Caſtigationes autorū cū iudicio recipiendas

Peculatus crimen.

peculatùs in quod lex Iulia animaduertit (l.unica. C. ad leg. Iuliam Peculatus. & l.j.ff.eo.tit.) in pecunia pub. furto sublata, Præterea in re sacra, aut religiosa, committitur, Nam ueteres, autore M. Varrone, omnem rerũ substantiam, peculium à pecore deriuatum dicebant, & in præsentiarũ pecunia publica, aurumq; & argentũ quod sacrũ religiosum'ue est, thesauri loco habetur, cuius uiolatores, crimen peculatus retenta antiqua uocis nomẽclatura, committunt. **Peculatus pœna.** *Pœna peculatus est in iudice eius'ue ministro, qui deliquit, capitis supplicium. l.j.C.de crim. pecul. alij deportantur, l. peculatus.ff.ad legem Iuliam peculatus.*

Plagium. *Plagium uero (in quod lex Fabia modo ultimum capitis supplicium, modo corporis coërtionem, modo in metallum cõdemnationẽ irrogat, l.fi.ff.de plagiarijs.) Est quando libere conditionis homo subducitur, & uenũdatur,* **Plagiarij.** *cuius rei plagiarij adpellantur, eo quod plagis sunt adficiendi, ut Accursiani ferunt, quibus in hoc & Laur. Valla adcedit, tametsi eadem ratione qui uirginẽ sine ui stuprasset, plagiarius esset, cũ & is plagis uerberibusq; adficiendus, si humilis sit, lege Iul. tradatur: Sed quia liberos homines uendunt, atq; seruos faciunt, qui à dominis uapulare plagisq; confici solent, Plagium nomen adrepsisse ego crediderim, cuius autores ob id Plagiarios dicimus.* **Ambire.** *Ambire quod Græci σπουδαρχιάζειν uel ἀρχαιρεσιάζειν uocant, est magistratum datis muneribus corruptisq; modis adfectare, à candidatis fermè, teste Val. de sumpto uerbo, qui inter comitia fauorẽ captaturi singulos quorũ suffragia aliquid posse existimassent, salutãtes ambi*

ambibant. Vnde Ambitus reus est, q uel datis muneribus, uel aliàs quæsitis technis, Magistratum præpostere quærit, q pro sola dignitate, apud Callistratũ atq; animi cãdore cuiquã absq; pretio iubẽte Theodosio Imperatore, deferri debent. Recte igitur Alexander Seuerus apud Lampridium, Honores iuris & gladij nũq̃ uẽdi passus est, dicẽs, necesse est ut qui emit, uendat. Crimẽ apud ueteres satis detestabile, sed deficiẽtibus hominũ moribus magis magisq; tolerabile eẽ cœpit, ambitus'que dici desijt, quãdo nulla nõ munia etiã sacra hodie coëmuntur, nõ secus quàm si ad hæc nũdinatiões publicæ institutæ essent, quod Põponius quoq; Atticus apud Corneliũ Tacitũ iniquißimo cõqueritur animo, cui malo, munera illa ecclesiastica plus q̃ uenalia ne caussam aliquam dederint, uel interim tutiorẽ accessum, cogitet is q rei Christianæ melius esse ex animo uelit. Ambitus pœna, ut Iul. Paulus scribit deportatio erat, quæ in locũ aquæ & ignis interdictiõis succeßit, forte ex lege quam C. Calphurn. Piso de ambitu rogauit, sed postea ex Senatusc. ad interpretationẽ legis Iuliæ promulgato, cẽtũ aureorũ cum nominis ignominia est cõstituta. l. unica. ff. ad legẽ Iuliã de ambitu. Sed hodie quia magistratus publici ad Principes cõuolarũt, nulla lex de ambitu uim obtinet, ut Pomponius testatur, sed ut quisque etiam crudelißimus ijs qui Principibus ad aurẽ sunt, maxime gratificari poterit, tanto maiorẽ magistratum deportat, nimirum ut similes habeant semper labra lactucas. quo fit ut audiamus nobis occini Horatianũ illud, Quicquid delirant reges plectũtur Achiui, Seditiõe dolis scelere, atq; libidine, & ira. Iliacos ĩtra muros peccatur,

Ambitus.

Magistratus hodie uenales.

Ambitus pœna

catur,& extra. Repetundæ sunt quicquid magistratus, uel iudex à subditis contra functionis decorum exegit, à repetere, secundum Vallam, nam finito magistratu repe tũtur, earum caussa, autore Pediano, ita se habebat: Reus si repetundarum sit conuictus atque damnatus, pecuniã restituat æstimata lite, hoc est, in pretium redactis omni bus furtis, quam summam pecuniæ proscriptis eius bonis sectores ad hoc constituti curabant. In reum repetunda-rum M. Acilius Glabrio legem tulit, ut nec comperendi natio ei permitteretur. post deinde l. iulia lis æstimatur i quadruplum eius quod est ablatum, cum nota infamiæ l. l. ff. ad legem Iuliam rep. & l. infamis. C. eo. ti. cuius sce-leris delatores nonnulli quadruplatores dicunt, nimirũ quod delati quadruplum luebant, alij eo quod ex delatio ne quadruplum bonorum eorum quos detulissent præ-mij loco acciperent, apud Festum, & Pedianũ. Eam pœ-nam si nostro seculo Iulius exigere uelit, multis uix tota rerum substantia repetundarum nomine satis esset, ut cunque nominis dispendiũ, cum id tanti nõ sit, atq; igno miniam deuoraremus. Lex Iulia de annona illis pœnam infligit qui frumenta atq; ea que ad uictum hominũ per tinent (nam eã annonam dicimus) uel inita societate, uel quacunque fraude cariora reddunt, quales sunt qui fru-mentorum nundinationes exercent, ut ipsi carius reuen dant, quod ne fieret, uetustas præfectum annonæ, ut Fene stella scribit, & Iulius Cæsar duos Aediles creauit, q ob id Cereales adpellati sunt, apud L. Fenest. de Magistra-tibus, & Halycar. VII. antiq. qui similiter cibariorũ & mensurarum rationẽ habebant. Iuue. Saty. x. Et de men

Repetundæ.

Repetundarum pœna.

Quadruplatores

sura ius

ſura ius dicere, uaſa minora frangere, pãnoſus uacuis æ-dilis Vlubris? Pœna legis de annona, præter hoc quòd ignominioſum facit x x. ſolidorũ eſt. Ex quibus facile eſt colligere, ueteres magnam Reipub. curam ſuſtinuiſſe, ut pauperibus iuxta ac diuitibus tolerabiliter per ciuitates uita eſſet, quando non erant contenti annonarias leges, quibus inopum ratio habita eſt, tuliſſe: niſi etiam leges ſumptuarias (quas Cato cibarias adpellare ſolebat,) ex Rhetris Lycurgi Romam translatas, autore Marcel. lib. rerum geſt. xxi. ſtatuiſſent, quibus cœnarum atque ganeæ modus præſtituebatur, ne & diuites immodicis gulæ ſumptibus rerum ſuarum diſpẽdium ſentirent, atque ad egeſtatem prolaberẽtur, uſq; eo Reipub. intereſt, ne quis rebus ſuis male utatur, Inſt. de ijs qui ſunt ſui uel alie. iu. §. ſed maior. Huiuſmodi ſunt, Lex Fannia. qua ſanciebatur non amplius in ſingulas cœnas ſumptus fore, quàm centenos æris, præter olus, far, & uinum, unde & centarias cœnas adpellant. Item lex Licinia quæ in nuptijs ducenos æris ſupra legẽ Fanniam indulſit. Item lex quã L. Cornelius Sylla rogauit, ut Calendis, Idibus, Nonis, diebusq; ludorum & ferijs quibuſdam ſolennibus ſeſtertios tantum tricœnos in cœnam proluere fas eſſet. Item lex Aemilia, qua ciborum genus, modusq; præfinitur. Et tandem lex Antij Reſtionis qua præter ſumptũ æris, id etiam cautum eſt, ut qui magiſtratus eſſet, magiſtratum'ue adpetiturus, ne quo ad cœnam niſi ad certas perſonas itaret, deſcribuntur ſatis abunde Aul. Gel. lib. noct. ij. ca. xxiiij. & Macrobio Satur. lib. iij. cap. ix. Poſtremo lex Iulia in eos animaduertit, qui pecuniam publicam in alium uſum

Pœna legis de annona.

Leges ſumptuariæ.

Lex Fannia.

Lex licinia.

Lex cornelia.

Lex Aemilia.

Lex Antia.

Lex Iulia de residuis.

usum delegatam, aut ex quacunq; caussa, ut scribit Martianus residētem, in suam conuertūt utilitatem, & de residuis inscribitur, quod pecuniæ illæ penes eum resident lucri faciundi caussa, apud quem esse non debent, cum in solum reipub. usum sint conseruandæ, quæ technæ nostro seculo multis opes nō modicas peperere. Cuius pœna est in tertiā partem amplius quàm accu satus recœpit, & nominis ignominia, l. lege. & l. lege Iulia peculatus §. lege Iulia. ff. Ad legem Iuliā pecu latus. & de residuis.

FINIS.



INDEX RErum, ac uocũ quæ in hoc opere continentur.

A

K Actio

Adem

quanta

Emancipa

Finium

I

Iudicium

in Liti


Nomen

Plebi

Tute

Vinum

FINIS.



11.

Lib. ^na sepulchrum nobile

Libitinarius qui mas rei curas

ubi funera lavatur

Sandepilla est infantium sepulchrum

x. annos infra

Feretrum [illegible] eidamnatos

Pollinctores dicuntur instituti ad hoc

ut funera mortuorum curent quasi

pollutores unctores curatores et

unctores Glo. l. qui ii § . i . ff de

[illegible] ~~[illegible]~~ ait si lib. ili. narius ff

pistoriam actio ne

